57
C
5

Digitized by Google

— MAG 108

Digitized by Google

SYNODUS DIŒCESANA RAVENNAS.

Digitized by Google

Digitized by Google

SYNODUS DIŒCESANA

QUAM

SUB FAUSTISSIMIS AUSPICIIS

SANCTISSIMI IN CHRISTO PATRIS

PII PAPÆ SEXTI

CELEBRAVIT

ANTONIUS CODRONCHI

ARCHIEPISCOPUS RAVENNAS

IN ECCLESIA METROPOLITANA

XIII. XII. XI. KAL. SEXT.

ANNO MDCCXC.



RAVENNÆ MDCCXCI.

EX TYPOGRAPHIA ARCHIEPISCOPALI.

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO SEXTO

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

ANTONIUS ARCHIEPISCOPUS
RAVENNÆ.

VOlumen hoc, BEATISSIME PATER, ſi vel ex animo meo, vel tuo iſto mitiſſimo ingenio, vel re-

rum,

Digitized by Google

rum, quas comprehendit, dignitate ſpectetur; non aliunde, quam a Te, petere auſpicia aut debuit, aut potuit. Is enim ſum ego, qui cum & primum in iſta Nobilium Academia Eccleſiæ diſciplina erudirer, in ſpem benevolentiæ tuæ ſingularis erectus: & mox apud Sardiniæ Regem ſpectabili ſane munere honeſtatus: & demum ampliſſimo, ſplendidiſſimoque Archiepiſcopatu auctus, toties Te & magnificentia Principem, & clementia Patrem fueram expertus; ut mortalium omni-

mni-

mnium ingratiſſimus haberi poſſem, niſi publice devotum Tibi animum, voluntatemque teſtarer. Huc accedit prompta illa, & expedita omnibus benefaciendi voluntas, & propenſio, qua ita ſingulorum ſtudia allicis, & mirifice attrahis; ut quicunque de Eccleſia pro virili parte mereri conantur, & patientiſſimis auribus excipias, & eorum opera auguſtiſſimo tuo inſcripta nomini circumferri patiaris. Quod ſi nullæ forent hæ cauſæ, quæ certe ſunt maximæ, illam ego graviſ-

viſſimam in promptu haberem, quod cum in hoc opere eccleſiaſticæ politiæ ſanctiones, & decreta contineantur, non poterat ad alium afferri, quam ad Principem Eccleſiaſticæ Hierarchiæ Caput, eundemque Eccleſiæ univerſalis Moderatorem. Itaque tua Tibi quodammodo inſcribo, dum hæc inſcribo. Neque cæteris ego titulis adducor; ſint ii quantumvis multi, ſint varii, ſint hominum prædicatione commendatiſſimi, quibus dulce eſt enarrare quæ, & quanta ad populorum felicitatem,

ad

ad Urbis ornamentum cogitaveris, ſuſceperis, perfeceris. Una me ſcilicet rapit, quæ me maxime juvat, divinitus Tibi credita Eccleſiæ Tutela, ex qua ſane fit, ut argumenti mei dignitas optime cum tua faciat dignitate. Sume igitur quod tuum eſt; eaque mecum utere humanitate, qua & accedentem ad Te excepiſti, & abſentem confirmaſti; quod quin mihi accidat nullus omnino dubito, quandoquidem ſi Te majeſtate gravem, & conſpicuum, ſumma quoque, & exi-

mia benignitate præſtabilem jam ſæpe cognovi . Id dum ego efflagito , Deum O. M. obteſtor , atque obſecro , ut Te ad commiſſi Gregis felicitatem , ad Orbis concordiam , ad Religionis decus , & ornamentum diutiſſime ſoſpitet , atque fortunet .

Apoſtolicam interim Benedictionem , ut mihi , gregique meo impartiaris ad tuos pedes humillime provolutus rogo , & expoſco .

IN-


Digitized by Google

Digitized by Google



Ex Musivo Baſilic. Claſsen. Raven.

INDICTIO
SYNODI DIŒCESANÆ.



ANTONIUS EX COMITIBUS CODRONCHI

Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Ravennæ Archiepiſcopus, & Princeps Pontificio Solio Aſſiſtens.

SExtus jam evolvitur annus , ex quo divina ſic diſponente ſapientia , cujus inveſtigabiles viæ ſunt , & imperſcrutabilia judicia ad hanc Metropolitanam Sedem a Beato Apollinari Apoſtolorum Principis Diſcipulo divinitus fundatam , & glorioſo ipſius , aliorumque Martyrum ſanguine conſecratam , Petri Chryſologi Civis noſtri ſanctitate non minus, quam doctrina ſingulariter illuſtratam , meritis licet impares , nil tale certo opinantes evecti fuimus . Ex tunc habendæ Synodi Diœceſanæ ſemper eſt ante oculos obverſata cogitatio , atque ardens ſtudium , non ſolum ut Sanctorum Patrum inſtitutis , & Tridentini Concilii Decretis ſatis faceremus , ſed ut quod magis animum noſtrum oblectat , Cooperatores noſtros , & comparticipes noſtræ ſollicitudinis , & paſtoralis vigilan-

Digitized by Google

ſantiæ in unum collectos alloqui , illorumque conſiliis adjuti ea poſſemus ſimul decernere, quæ ad Religionis , divinique Cultus ſplendorem , & dignitatem , ad eccleſiaſtici Ordinis diſciplinam , totiuſque Gregis ſalutem , atque incolumitatem magis apta , & opportuna fore viderentur. Licet enim a Prædeceſſoribus noſtris omni laude cumulatiſſimis multa jam fuerint ſaluberrime , ac ſapientiſſime præſcripta , tamen , ut fert rerum humanarum conditio , nonnulla ſemper , quæ præclare inſtituta fuerunt , temporum varietate , multiſque de cauſis aut dilapſa , aut penitus neglecta reperiuntur , quæ iterum reſtituenda ſunt , & ad obſervantiam revocanda .

Verum prius erat tota qua longe diffunditur luſtranda Diœceſis ad ovium vultus , indolemque noſcendam , nec non ad Paſtorum vigilantiam induſtriamque probandam . Quæ Luſtratio cum a Nobis jam fuiſſet peracta , alteram ſubito inſtaurare coacti fuimus beneficentia PII VI. Supremi Pontificis , qui nonnullarum jacturam reparando ſeptem illuſtres Parœcias huic adjunxerat Archidiœceſi , noſtræque curæ commiſerat . Quod igitur diſtracti hactenus non potuimus , nunc paſtorale hoc officium non propriis viribus , ſed Domini Noſtri Jeſu Chriſti bonitate confiſi , qui eſt Princeps Paſtorum , & animarum noſtrarum Epiſcopus peragendum ſuſcipimus , & hoc publico noſtro Edicto Diœceſanam Synodum in Metropolitano Ravennæ Templo diebus 20. 21., & 22. proximi Menſis Julii currentis Anni 1790. habendam indicimus ; quæ dies , ſicuti Feſtum Divi Apollinaris immediate præcedunt , ſic poterunt ſuorum erga Ravennates meritorum recordatione noſtros in Eum animos adeo accendere , & inflammare , ut præſentiſſimam Ipſius tutelam , & præſidium ſynodalibus actionibus facilius obtineamus . Ad hanc porro Synodum non ſolum hujus noſtræ Metropolitanæ Eccleſiæ Capitulum , & Canonicos peramanter invitamus , ſed etiam Dignitates , Canonicatus , & Beneficia Eccleſiaſtica cum cura , vel ſine cura animarum in noſtra Diœceſi obtinentes , omnes quocunque titulo ſacris Ordinibus inauguratos , Clericos denique ſive Sæculares , ſive Regulares jure , vel conſuetudine Nobis ſubjectos , & ad intereſſendum Synodo adſtrictos vocamus , & in virtute ſanctæ obedientiæ memoratis Synodi habendæ diebus adeſſe jubemus , indumentis , ac inſignibus dignitati cujuſque congruentibus , aut ſaltem talari Veſte , & mundo Superpelliceo indutos . Si qui ſtato die præſto non fuerint , aut nondum abſoluta Synodo ab Urbe diſceſſerint, niſi juſtam Nobis, & gravem cauſam ante probaverint , pœnis jure Canonico ſancitis obnoxii erunt .

Nil niſi grave , moderatum , & ſanctum, ut Eccleſiaſticas perſonas decet, laturos rati , de gravitate , & modeſtia ſive in itinere , ſive in diverſoriis ſervanda loqui abſtinemus : neque enim dubitamus, quin Laicis ea tunc maxime præbeant exempla virtutum , quæ a tam conſpicuo , & præclaro Eccleſiaſticorum virorum agmine jure merito debent expectari.

Et

Et ne Paſtorum abſentia infeſtiſſimo animarum hoſti prædandi, & in Gregem ſæviendi locum relinquat, ante profectionem quiſque Parochus ægrotos inviſat, Sacramentis, quos opus fuerit, muniat, probatoque Sacerdoti Gregem committat.

Quoniam vero non ſumus ſufficientes cogitare aliquid quaſi ex Nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt, a quo etiam bona cuncta procedunt, quique poſtulantibus dat ſapientiam affluenter, & non improperat, omnes noſtræ Civitatis, & Diœceſis Chriſtifideles hortamur, ac per viſcera miſericordiæ Dei noſtri obteſtamur, ut aſſiduis orationibus, & piis obſecrationibus divinam Nobis, & huic tanto negotio opem ſatagant impetrare. Eccleſiaſtici autem, & præſertim Sacerdotes in Sacro Altaris Miniſterio frequentiores, & ferventiores præ aliis preces effundant, Deum Optimum Maximum, cui propius accedunt, toto cordis affectu efflagitantes, ut firmo, maturoque judicio rite omnia ſanciamus. Singulis Feriis quintis, quæ præcedent diem Synodo præfinitam, apponatur in Miſſa Conventuali Collecta de Spiritu Sancto, & poſt eam recitentur in Choro, præſentibus Canonicis, & aliis Choro addictis, Litaniæ Sanctorum cum conſuetis Precibus, & Orationibus; quam quidem Collectam iiſdem Feriis quintis in Miſſa pariter addent omnes Sacerdotes. Parochi vero Litanias Sanctorum ſingulis Dominicis diebus recitent una cum Populo, illum excitando frequenter, ut etiam privatas Orationes pro felici Synodi exitu, & noſtræ Eccleſiæ incremento fundere non prætermittat.

Omnes vero utriuſque ſexus Chriſtifideles vere pœnitentes, & confeſſi, ac Sacra Communione refecti, qui Sanctam noſtram Metropolitanam Eccleſiam die, qua Synodus inchoabitur, ac in omnibus, & ſingulis actualis illius celebrationis diebus devote viſitaverint, & ibi pro Chriſtianorum Principum Concordia, hæreſum extirpatione, ac Sanctæ Matris Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam ſemel omnium peccatorum Indulgentiam conſequentur ex Brevi Ssmi Dñi Noſtri PII Papæ VI. dato Romæ 14. Februarii Anno MDCCLXXXV.

Volumus autem, ut Edictum hoc noſtrum ad Valvas Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, & Parochialium Eccleſiarum affixum omnes arctet, & afficiat, ac ſi cuilibet exhibitum, & intimatum fuiſſet.

Datum Ravennæ ex Noſtro Archiepiſcopali Palatio die 27. Menſis Martii Anno Æræ vulgaris 1790.

A. ARCHIEPISCOPUS RAVENNÆ, ET PRINCEPS.

Vincentius Bartoletti Cancell. Gen. Arch.

ORA-

ORATIO

HABITA

Ab Illño, & Rño Domino

ARCHIEPISCOPO

IN PRIMA SYNODALI ACTIONE

XIII. KAL. SEXT. MDCCXC.

QUOD optare, Viri Fratres, jamdiu, & precari ſolebamus, ut legitimo aliquo, publicoque indicto Conventu de hujus Eccleſiæ ſtatu vobiſcum communicare liceret, id hodie admirabili Dei Opt. Max. beneficio contigiſſe ſummopere gratulamur. Quid autem contingere poterat aut cumulatius ad vota, aut ad muneris noſtri rationem accommodatius? Memineramus ſiquidem ei Nos præponi vineæ, quæ primum ab Apollinari ipſius Apoſtolorum Principis Legatione plantata; tum Petri Chryſologi concivis, & Deceſſoris noſtri ſcriptis, exemplisque, ſepe veluti quadam circumdata; tot inde Martyrum purpurata ſanguine; totque vel Pontificum, vel Cæſarum donis, inſignibus, monimentis diſtincta, quo majori præ ceteris dignitate fulgeret, eo majus e-

tiam

tiam in evangelico villico ſtudium, vigilantiamque requireret. Augebat ſollicitudinem noſtram Pii Sexti beneficentiſſimi Pontificis ſingularis quidam animi ſenſus, & favor, qui cum Nos in Ravennatium Eccleſia ſummo Sacerdotii munere fungi vellet, qui pluribus, præcipuiſque nominibus Ei eſſemus obſtricti; jure quodammodo ſuo exigere videbatur, ut dilecti ab Ipſo Gregis nutrimento conſuleremus, & conceptæ de Paſtore opinioni, & ſpei reſponderemus. Hæc cum Nos taciti agitaremus, probeque intelligeremus nullam a Nobis poſſe majorem vicem rependi, quam ſi ſedentes in medio veſtrum legem vitæ, diſciplinæque proponeremus, incredibile dictu eſt, quanto jam antea iſtius cogendæ Synodi deſiderio exarſerimus, multoque revera maturius coegiſſemus, niſi & varii interjecti caſus, & ſuſceptæ potiſſimum Metropolis luſtrationes (quas etiam iterare debuimus ob ſeptem Paræcias ab Optimo Pontifice noviſſime additas, & a Nobis diligenter recognitas) diuturnum hoc animi noſtri deſiderium protraxiſſent. Ubi itaque primum, dirigente Domino greſſus noſtros, omnia diſponere, & præparare valuimus; quid haberemus antiquius, quam vota diu concepta implere; veſtrumque corona ſtipati docere omnem Populum verba vitæ, qui

&

Digitized by Google

& facta Sacerdotum ſuſpicit, & ab eorum labiis, tamquam ab Angelis Dei legem requirit?

Adeſte igitur ſpectatiſſimæ hujus Eccleſiæ Miniſtri, & inconfuſibiles Operarii. Illuxit jam dies, in quo ſufficientiam veſtram in omni bono opere, Nobis ſæpius ante perſpectam, cæteris etiam probare ſit datum. Quæ ſit utilitas e Synodis expectanda ipſi jam ſcitis, qui non humanæ ſapientiæ verba, ſed ſcientiam ſpiritus requirentes, in iis, quæ Ssmus Pontifex Benedictus XIV. de ipſarum celebratione præcepit, ſicut in omni Eccleſiæ doctrina abunde erudimini. Veſtrum ergo erit ipſius veſtigiis inſiſtere, atque ita Fidem, diſciplinamque explicare, ut quod eſt abjectum reducere, quod confractum alligare, quod denique firmum, & forte eſt cuſtodire poſſimus.

Primum itaque a Catholica Fide, veluti ab humanæ ſalutis initio, & radice omnis juſtificationis exordium erit ſumendum. Ea quippe ſuperædificata ſuper fundamentum Apoſtolorum, ac Prophetarum, firma, fixa, immutabilis eſt, nec ulla poteſt aut rerum viciſſitudine, aut temporum inclinatione variari. Sed quoniam oportet hæreſes eſſe donec homines, & continuari ſcandala donec lolium a tritico ſecernatur, diligenter præmuniendi erunt Populi adverſus hu-

jus

Digitized by Google

jus ætatis Novatores, quos etiam in Italiam noſtram derivatos eſſe dolemus. Noſtis, Viri Fratres, qui hodie tumultuentur callidi homines, & aſtuti, qui cum ad omnem tum virtutum ſimulationem, tum vitiorum diſſimulationem aptiſſimi evadant, modeſtis quibuſdam religioſiſque cautionibus omnem a ſe impietatis, pertinaciæque ſuſpicionem deprecantur. Itaque & nonnulla virtutum vel expreſſa, vel adumbrata ſigna præſeferentes, & quadam litterarum noſtrarum cognitione inſtructi, facilius eos, quibus ſe inſinuant, decipiunt. Nullibi ſiquidem pronior eſt Fidei lapſus, quam ubi quis aliqua pietatis, doctrinæque opinione erroribus ſuis ſanctitatis pondus, & eruditionis auctoritatem afferre videatur. Verum ſi vulpeculas fallaciſſimas ſedulo introſpiciamus, illico truculentam criſtati draconis ſpeciem deprehendemus. Redeunt videlicet ad male diſſimulatos mores, & qua saniorum animos leviter pertentando, qua turbulentis ingeniis ſpem novarum rerum injiciendo, obducta jamdiu, & percurata Eeclesiæ vulnera refricare conantur. Hinc mobilis illa, & infinita libido, qua figendis, refigendiſque Eccleſiæ tabulis populorum animos aſſuefaciunt: & dum unam, vel alteram partem, quaſi non optime conſtitutam, ſimulant emendare, univerſæ Chri-

ſtianæ rei pacem; & otium perturbant, aut etiam in magnum ſeditionis diſcrimen adducunt. Hinc inexpleta licentia, quæcunque olim a ſeditioſiſſimo quoque fuerint in hunc Eccleſiæ ſtatum excogitata, ea undique colligendi, collecta impudenter explicandi, explicata, quaſi divinitus probata, perdite defendendi. Hinc improbæ ſeceſſiones, hinc propoſiti paſſim famoſi libelli, hinc toti Europæ diviſa tot impia impiorum hominum ſcripta, quibus publici conſilii auctoritatem, ſacrorum curationem, univerſam denique religionum interpretationem, non modo ſacerdotum plebi communicant, ſed profanis etiam hominibus contaminandam, violandamque proponunt. Scilicet id velle videntur, ut omnia confundant, miſceant, evertant, ac ſublato Romani Pontificatus principatu, Eccleſiam vel ſtultiſſimo cuique perturbandam, vel etiam audaciſſimo cuivis diripiendam relinquant. Utinam, cum reſtet adhuc ad ſanitatem redeundi poteſtas, ita mature homines iſtos errati pœniteat, ut & graviora judicia declinent, & melius inpoſterum de Catholica re mereantur. Nos certe, & eorum vicem dolebimus, & Majorum veſtigiis inſiſtentes ſanctiſſimam parentem noſtram Eccleſiam ea, qua decet, pietate venerabimur: illi Nos per-

mit-

mittemus: illi credemus: illam audiemus: illam ſecundum Deum ipſum verebimur: quæ de divinis rebus ipſa ſentit ſentienda, quæ de humanis præſcribit facienda, quæ vetat vitanda eſſe ſine ulla dubitatione cenſebimus. Cum autem nonnulla ſint minus gravia, in quibus privatæ quiſque opinioni indulgere poſſit, cavebimus ſedulo ne modum in iis excedentes, firmiſſimum illud, quo invicem conſociari debemus, pietatis, religioniſque vinculum diſſolvamus. Satius enim erit nonnulla indicta relinquere, quam ita partium abripi æſtu, ut & ipſi pugnemus, & cæteris, qui a nobis diſſentiunt, inteſtini belli ſpectaculum præbeamus; cum præſertim factoribus, non diſcuſſoribus legis egeat Eccleſia, quæ in rebus certis unitatem, in dubiis libertatem, in omnibus caritatem ſervandam eſſe proponit.

Quo vero depoſitum Fidei ſanctum, & inviolabile maneat, eliminandi erunt impii libri, quorum hodie continenti licentia pene inundamur, & firmiſſime adhærendum Romanæ Eccleſiæ, cujus fœtu nati, lacte nutriti, ſpiritu animati neque ipſi decipi, neque alios decipere poſſumus. Si quis enim vaſtum, & ſcopuloſum, ut ita dicam, fidei mare, infirmo confiſus ingenii ſui navigio, ingrediatur, & in Ro-

ma-

manam Eccleſiam, tanquam in clariſſimos ſeptemtriones, minime intuens, curſum ſe ex ſententia confecturum, & in portum perventurum eſſe præſumat; is modo ſcopulis illidat, modo ad vada, & brevia adhæreſcat oportet. Nihil eſt ſiquidem hoc mari ſpecie tranquillius, nihil temere ingredienti revera periculoſius. Neque alia profecto eſt cauſa, cur ab ortu Religionis noſtræ ad noviſſima uſque tempora, non modo illiterati homines, atque vulgares, ſed ſummis ingeniis, ſummaque dignitate præditi naufragium fecerint, & quotidie faciant, niſi quod vel odio, vel invidia incenſi, vel ea, qua plures tentantur, contradicendi, jactandæque doctrinæ cupiditate excitati, a Romanæ Eccleſiæ clientela deſciſcunt. Ea itaque erit principalis illa Cathedra, ad quam, veluti ad lydium lapidem, cogitata noſtra exigenda putabimus; veriſſime exiſtimantes, eos, qui cum Romano Pontifice non colligunt, diſpergere, neque Chriſti eſſe, ſed Antichriſti. Sicuti enim unus eſt Deus, & Chriſtus unus, ita una Eccleſia, & Cathedra una ſuper Petrum Domini voce fundata, cui arctiſſime conjungi, & ſanctiſſimis ejus legibus, ac decretis obtemperare debemus, eorumque deplorare perfidiam, quibus, ut opportune monet Auguſtinus, (a) illud commune impugna-

(a) *L. 18. de Civ. Dei C. II.*

tio-

tionis genus eſſe videmus, ut in Caput Eccleſiæ, hoc eſt in Pontificem Romanum jacula contorqueant, quod capite truncato eorum incitator Diabolus triumphet, & totum corpus concidere, Fideique vinculum diſſolvere gaudeat.

Neque ſolum Fidem, quam immutabilem veneramur, ſed ipſos etiam Diſciplinæ ritus, legitimæ aliquando mutationi obnoxios ab ipſa Romana Eccleſia mutuabimur. Ejus ſiquidem eſt cæremoniarum genus præſcribere, quam non internæ modo, ſed externæ etiam unitatis centrum ſuſpicimus. Senſere id olim, & hodie ſentiunt male feriati homines, qui cum ovium veſtimentis induti fallere ſtudeant incautos, id rerum, errorumque ſuorum ponunt initium, ut magnos excitent de violata veterum diſciplina clamores. Quo demum evadat tantus hic vetuſtatis amor, & antiquum neſcio quid ſonans doctrina, tenemus omnes, qui remedium adhiberi vidimus ipſo ementito morbo multo gravius, atque periculoſius. Dum enim priſtinæ diſciplinæ caſtitatem ſe vindicare gloriantur, omnem omnino diſciplinam funditus eradicare cognovimus. Nos quidem ita bene novimus oves noſtras, ut ne ſuſpicari quidem valeamus ullum fieri poſſe inter ipſas tantæ inſolentiæ locum. Attamen pro injuncto Nobis debito monendos ſingulos, & u-

num-

numquemque obſecrandum cenſemus per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, ut ab ejuſmodi hominum commentis auditum avertant, eamque diſciplinam proponant, exponant, definiant, quam traditam a Majoribus, inſtauratam a Succeſſoribus, non minus Œcumenicæ Eccleſiæ Synodi, quam etiam Provinciales hic habitæ firmam, ratamque eſſe voluerunt.

Sed quoniam vanum eſſet Fidei, Diſciplinæque ſancita proponere, verbiſque ſonantibus annunciare, niſi eadem cordibus infixa recondantur, exemplis, actuque vitæ jugiter comprobante; rogamus, Ven. Fratres, ut quæ amanter cum approbatione ſuſcipitis, ſtrenue cum fructu tum veſtro ipſorum, tum animarum vobis concreditarum opere ipſo compleatis. Ea porro, quæ in Synodis præſcribuntur, non tam legis onera, quam Patris conſilia ſunt reputanda, quæ mundant, vivificant, ſanctificant, & ſine quibus tanquam oſſa arida, filii derelicti ſedent in umbra mortis. Quid igitur proderit loqui ad oſtentum verba vitæ, ſi mores ſenſuſque noſtri ab iiſdem quam longiſſime diſcrepent? Veſtrum itaque erit, dilectiſſimi Animarum Rectores, ita eſſe non interpretes tantum, red diſpenſatores myſteriorum Dei, ut decet illos, quibus Chriſtus ipſe Corpus ſuum verum,

&

& myſticum , Carnem nempe, quam de Virgine ſumpſit , & Fideles, quos redemit ſanguine ſuo, commendatos eſſe voluit. Luceat lux veſtra coram hominibus, ut a vobis bonorum operum ſanctitate excitati, glorificent cœleſtem Patrem ; vigeat in medio noſtrum Fides illa, quam ab Apollinari primum accepimus; vigeat religio ; vigeat pietas in Sedem Romanam ; vigeat morum, operumque caſtitas, qua ſemper Eccleſia Ravennas cæteris præſtitit, & in qua, præ ipſius titulis, inſignibus, prærogativis noſtri olim gloriabantur Majores. Proponite vobis univerſæ Eccleſiæ ſuſpiria, & lacrymas ; proponite miſeram temporum conditionem, & beneficium ſanguinis Chriſti a perditis hominibus imminutum ; proponite exemplum vigilantiſſimi Sacrorum Principis, qui, cum ad Chriſtianæ puppis gubernacula ſedeat, & fluctus, procellaſque undique concitatas proſpiciat, nunquam auctoritate, conſilio, monitis ſalutaribus conari deſiſtit, nubes atrociſſimæ tempeſtatis diſſolvere, & ad unam pietatem puram, ſinceram, caſtam mentes, animoſque invitare.

Hujus itaque incitamento, & tutela confiſi, munitique præſidio Beatiſſimæ Virginis Mariæ, ac Ss. Apollinaris, & Petri Chryſologi, qui Eccleſiam iſtam verbo foverunt, & exemplo, congre-

gre-

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

gregemur in unum, Ven. Fratres; & illuceſcente Jeſu in cordibus noſtris, qui eſt teſtis fidelis, qui eſt imago Patris, in quo tenebræ non ſunt ullæ, ita provideamus puſillo Gregi, ut mereamur cum ipſo Patris hæreditatem accipere. Quæ dum Nos fervida vota concipimus, rogamus item Deum, ut ipſius caritas, & communicatio Spiritus Sancti, & pax Domini Noſtri Jeſu Chriſti ſit in omnibus Vobis in ſæcula ſempiterna.

SE-

SERIES CHRONOLOGICA
ANTISTITUM
RAVENNATUM.

1. S. Apollinaris Antiochenus S. Petri Apoſtoli Diſcipulus ſedit ann. 28. menſ. 1. dies 4. Martyrio coronatus 23. Julii anno Chriſti 74.
2. S. Adheritus Græcus ſed. ann. 26. menſ. 2. obiit 27. Septembr. ann. 109.
3. S. Eleuchadius Græcus ſed. ann. 11. menſ. 5. ob. 14. Febr. ann. 112.
4. S. Martianus ſed. ann. 15. menſ. 2. ob. 22. Maji ann. 127.
5. S. Calocerus Græcus ſed. ann. 5. ob. 11. Febr. ann. 132.
6. S. Proculus Syrius ſed. ann. 9. menſ. 9. ob. 1. Decembr. ann. 141.
7. S. Probus Romanus ſed. ann. 33. menſ. 10. ob. 10. Novembr. ann. 175.
8. S. Dathus ſed. ann. 8. menſ. 7. ob. 3. Julii ann. 184.
9. S. Liberius ſed. ann. 21. menſ. 9. ob. 29. Apr. ann. 206.
10. S Agapitus Græcus ſed. ann. 26. ob. 16. Martii ann. 232.
11. S. Marcellinus ſed. ann. 50. ob. 5. Octobr. ann. 283.
12. S. Severus Raveanas ſed. ann. 64. ob. 1. Febr. ann. 348.
13. S. Liberius II. ſed. ann. 3. ob. 14. Julii ann. 351.
14. S. Probus II. ſed. ann. 10. ob. 6. Martii ann. 361.
15. Florentius ſed. ann. 13. ob. 16. Novembr. ann. 374.
16. S. Liberius III. ſed. ann. 4. ob. 30. Decembr. ann. 378.
17. S. Urſus Siculus ſed. ann. 19. ob. 13. Apr. ann. 396.
18. S. Petrus Antiſtes Hiſpanus ſed. ann. 29. ob. 31. Julii ann. 424. *Sub hoc Archiepiſcopo habitum eſt ann.* 419. *Ravennæ Concilium.*
19. S. Exuperantius ſed. ann. 5. ob. 30. Maji ann. 430.
20. S. Joannes Angeloptes ſed. ann. 2. menſ. 5. ob. ann. 432.
21. S. Petrus Chryſologus Forocornelienſis Eccleſiæ Doctor ſed. ann. 17. ob. 2. Decembr. ann. 449.
22. Neon ſed. ann. 2. menſ. 1. ob. 10. Febr. ann. 452.
23. S. Joannes II. ſed. ann. 25. ob. 12. Jan. ann. 477.
24. Joannes III. ſed. ann. 16. menſ. 10. dies 17. ob. 5. Jun. ann. 494.
25. Petrus III. vocatus *Junior* ſed. ann. 25. ob. ann. 519.
26. Aurelianus ſed. ann. 2. ob. 26. Maji ann. 521.
27. S. Eccleſius Ravennas ex familia Præfectorum ſed. ann. 13. ob. 27. Julii ann. 534.

* * * *

28. S. Urſicinus Ravennas ſed. ann. 3. menſ. 6. dies 9. ob. 5. Septembr. ann. 538.
29. S. Victor ſed. ann. 6. menſ. 11. dies 13. ob. 15. Febr. ann. 546.
30. S. Maximianus Polæ ort. ſed. ann. 9. menſ. 4. dies 8. ob. 22. Febr. ann. 556.
31. S. Agnellus Ravennas ſed. ann. 13. menſ. 1. dies 8. ob. 1. Aug. ann. 569.
32. Petrus IV. aliis III. ſed. ann. 4. menſ. 10. dies 28. obiit 17. Aug. ann. 574.
33. Joannes IV. aliis III. ſed. ann. 20. menſ. 1. dies 17. ob. 11. Jan. ann. 595.
34. Marinianus Romanus Ordinis S. Benedicti ſed. ann. 11. menſ. 1. ob. 23. Octobr. ann. 606.
35. Joannes V. ſed. ann. 5. menſ. 10. dies 18. ob. ann. 613.
36. Joannes VI. aliis IV. Ravennas ſed. ann. 17. menſ. 6. dies 8. ob. ann. 630.
37. Bonus ſed. ann. 18. ob. 25. Aug. ann. 648.
38. Maurus ſed. ann. 23. ob. ann. 671.
39. Reparatus ſed. ann. 5. menſ. 8. dies 26. ob. 30. Julii ann. 677.
40. Theodorus ſed. ann. 10. menſ. 3. dies 21. ob. 19. Jan. ann. 688.
41. S. Damianus Dalmatus ſed. ann. 16. menſ. 2. dies 16. ob. 13. Martii ann. 705.
42. Felix ſed. ann. 18. menſ. 7. dies 24. ob. 25. Novembr. ann. 723.
43. Joannes VII. aliis V. ſed. ann. 25. ob. ann. 748. *Habuit Ravennæ Concilium Epiſcoporum ann.* 731.
44. Sergius Ravennas ſed. ann. 21. ob. 25. Aug. ann. 769.
45. Leo ſed. ann. 6. ob. 14. Febr. ann. 777.
46. Joannes VIII. aliis VI. ſed. ann. 7. menſ. 1. dies 3. ob. ann. 784.
47. Gratioſus ſed. ann. 3. menſ. 4. dies 11. ob. 24. Febr. ann. 788.
48. Joannes IX. aliis VII. ſed. ann. 18. ob. ann. 806.
49. S. Valerius ſedit ann. 4. ob. 15. Martii ann. 810.
50. Martinus ſedit ann. 6. menſ. 5. ob. 10. Novembr. ann. 816.
51. Petronacius, aut Petronax ſed. ann. 17. ob. 10. Martii ann. 834.
52. Georgius ſed. ann. 13. ob. ann. 846.
53. Deusdedit ſed. ann. 4. ob. ann. 850.
54. Joannes X. aliis VIII. ſed. ann. 28. ob. ann. 878. *Sub hoc Archiepiſcopo habita ſunt a Joanne VIII. Summo Pontifice duo Concilia Ravennæ: primum ann.* 874. *alterum ann.* 877.
55. Romanus de Calcinaria ſed. ann. 10. ob. ann. 888. *Sub hoc Archiepiſcopo habitus eſt Ravennæ a Joanne VIII. Sum. Pontifice Epiſcoporum Conventus ann.* 882.
56. Dominicus Ublatella ſed. ann. 9. ob. ann. 898.
57. Joannes XI. aliis IX. Traverſarius Ravennas ſed. ann. 9. ob. ann. 906.

58.

58. Petrus V. aliis IV. adminiſtravit cum Joanne XI. ann. 1. ob. ann. 905. *Habitum eſt Ravennæ ſub his Archiepiſcopis a Joanne IX. Summo Pontifice Concilium ann. 904.*

59. Joannes XII. Ravennas, aliis X. ſed. ann. 8. *Electus Summus Pontifex, & dictus Joannes X.*

60. Theobaldus electus ann. 906. dimiſit ann. 907.

61. Conſtantinus ſedit ſolus ab anno 914. ad ann. 920., & cum Honeſto I. ad ann. 924. quo obiit.

62. Honeſtus I. de Honeſtis Ravennas ſed. cum Conſtantino ann. 4. ſolus ann. 3. ob. ann. 927.

63. Petrus VI. Bononienſis, aliis V. ſed. ann. 44. dimiſit ann. 971. *Habuit Concilium Provinciale Ravennæ ann. 954. Et alterum Ferrariæ ann. 970. Sub eodem Archiepiſcopo Joannes XIII. Summ. Pontifex habuit Ravennæ tria* Concilia. *Duo ann. 967. Tertium ann. 968.*

64. Honeſtus II. ſed. ann. 12. ob. ann. 983. *Duo habuit ann. 973. Epiſcoporum Conventus. Primus Parmæ, alter Mutinæ: & ann. 976. Provinciale Concilium Ravennæ.*

65. Joannes XIII. aliis XI. Ticinenſis ſed. ann 14. deceſſit ann. 997.

66. Gerbertus Gallus antea Archiepiſcopus Rhemenſis ſed ann. 1. menſ. 11. *Electus Summus Pontifex, & dictus Silveſter II. Habuit Ravennæ Provinciale Concilium ann. 997.*

67. Leo, aliis Neomutus ſed. ann. 2. dimiſ. ann. 1001.

68. Fridericus S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 3. ob. ann. 1004. *Adalbertus Archiepiſcopatum uſurpavit ann. 9.*

69. Harnaldus ſed. ann. 6. ob. 17. Novembr. ann. 1019. *Sub hoc Archiepiſcopo habitum fuit Ravennæ Concilium ann.* 1014. *Alterum Provinciale ann.* 1016.

70. Heribertus ſed. ann. 8. ob. 1027.

71. Gebeardus ſed. ann. 16. menſ. 10. ob. 15. Febr. ann. 1044. *Habuit duo Concilia Provincialia: unum Ravennæ ann.* 1031., *alterum Ferrariæ ann.* 1042.

72. Witgerus Colonienſis ſed. ann. 2. dimiſit ann. 1046.

73. Hunfridus ſed. ann. 5. ob. 24. Auguſti ann. 1051.

74. Henricus ſed. ann. 20. ob. ann. 1072.

75. Wibertus, ſeu Gibertus de Corregis Parmenſis ſed. ann. 28. ob. ann. 1100. *Electus Antipapa ſub nomine Clementis III. Habuit Ravennæ Conciliabulum.*

76. Ricardus electus ann. 1080. ob. ann. ſequenti.

77. Otho ſedit ann. 10. ob. ann. 1110.

78. Hieremias ſed. ann. 7. ob. ann. 1117.

79. Gualterius ſed. ann. 26. ob. ann. 1144. *Habitum eſt ſub eodem Ravennæ Concilium ann.* 1128.

80. Moyſes Vercellenſis ſed. ann. 10 menſ. 4. ob. 26. Octobr. ann. 1154. *Habuit Regii Epiſcoporum Conventum ann.* 1148. 81.

Digitized by Google

81. Anſelmus antea Epiſcopus Hamelburgenſis ſed. ann. 3. menſ. 2. ob. 12. Auguſti ann. 1158.
82. Guido Blanderata Mediolanenſis ſed. ann. 11. ob. 9. Julii ann. 1169.
83. Gerardus Ordinis Ciſtercienſis ſed. ann. 20. menſ. 11. ob. ann. 1190.
84. Guillelmus antea Epiſcopus Aſtenſis ſed. ann. 10. menſ. 7. ob. 31 Julii ann. 1201.
85. Albertus Bononienſis, prius Imolenſis Epiſcopus, ſed. ann. 5. ob. ann. 1207.
86. Ægidius Garzoni Bononienſis, prius Epiſcopus Mutinæ, ſed. ann. 1. menſ. 8. ob. ann. 1208.
87. Ubaldus prius Epiſcopus Faventinus ſed. ann. 7. menſ. 3. ob. ann. 1216.
88. Picininus ſedit menſ. 4. ob. ann. 1216.
89. Simeon, prius Epiſcopus Cervienſis, ſed. ann. 11. menſ. 5. ob. 31. Maji ann. 1228.
90. Thedericus de Caleſidiis Cæſenas ſed. ann. 21. menſ. 5. ob. 28. Decembr. ann. 1249.
91. Philippus Fontana Ferrarienſis ſed. ann. 20. menſ. 5. ob. ann. 1270. *Quatuor habuit Ravennæ provincialia Concilia. Unum ann.* 1253., *alterum ann.* 1259., *tertium ann.* 1261., *quartum ann.* 1270.
Vacavit Sedes Archiepiſcopalis ann. 4. *Interim ann.* 1274. *de mandato Gregorii X. habitum eſt Ravennæ Concilium ab Epiſcopis Provinciæ.*
92. Fr. Bonifacius Fliſcus de Lavania Januenſis Ord. Prædicatorum ſed. ann. 20. menſ. 2. ob. 24. Decembr. ann. 1294. *Habuit duo Concilia Provincialia. Unum Forocornelii ann.* 1280. *Alterum Forolivii ann.* 1286.
93. Opizo Sanvitalis Parmenſis, antea ejuſd. Urbis Epiſcopus, ſed. ann. 8. menſ. 2. ob. ann. 1303.
94. S. Raynaldus Concorregi Mediolanenſis, antea Epiſcopus Vicentiæ, ſed. ann. 18. incompletos ob. 18. Aug. ann. 1321. *Quatuor habuit Ravennæ Concilia Provincialia. Unum ann.* 1307. *Secundum, & tertium ann.* 1310. *Quartum ann.* 1311. *Quintum in Caſtro Argentæ ann.* 1314. *Sextum Bononiæ ann.* 1317.
95. Aymericus de Caſtro Luci S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 9. menſ. 10. dimiſit ann. 1332.
96. Guido II. de Robertis Regienſis, prius ejuſdem Urbis Epiſcopus, ſed. ann. 1. menſ. 4. ob. ann. 1333.
97. Franciſcus Michaellius Venetus ſed. ann. 8. menſ. 11. dimiſ. ann. 1342.
98. Nicolaus I. Canali Bergomenſis ſed. ann. 5. dimiſ. ann. 1347.
99. Fr. Fortanerius Vaſſellius Gallus Ord. S. Franciſci S. R. E. Cardinalis, & Patriarcha Gradenſis ſed. ann. 14. ob. ann. 1361.
100. Petrocinus Ferrarienſis Ord. Ciſtercienſis, antea Epiſcopus Torcellanus, ſed. ann. 7. menſ. 6. ob. ann. 1369.
101. Pileus de Prata Forojulenſis, antea Epiſcopus Paravinus, S. R. E. Cardinalis ſed. an. 17. menſ. 8. expulſus ann. 1387.

102.

Digitized by Google

102. Coſmatus Melioratus Sulmonenſis S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 12. menſ. 10. dimiſ. ann. 1400. *Poſtea electus Papa dictus Innocentius VII.*

103. Joannes XIV. Melioratus Sulmonenſis S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 10. menſ. 1. ob. ann. 1410.

104. Thomas Perondulus Ferrarienſis ſed. ann. 35. menſ. 10. ob. 20. Octobr. ann. 1445.

105. Bartholomæus Roverella Ferrarienſis S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 30. ob. ann. 1476.

106. Philiaſius Roverella Ferrarienſis ſed. ann. 40. dimiſ. ann. 1516.

107. Nicolaus II. Fliſcus de Lavania Januenſis S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 8. ob. 16. Decembr. ann. 1523.

108. Urbanus Fliſcus Nicolai ſupraſcripti Nepos adminiſtravit cum patruo ann. 2. menſ. 1.

109. Petrus VII. Accoltus Aretinus S. R. E. Cardinalis, & Epiſcopus Anconæ ſed. ann. 8. menſ. 6. ob. ann. 1532.

110. Benedictus Accoltus S. R. E. Cardinalis, antea Epiſcopus Cremonenſis, adminiſtravit cum ſupraſcripto Petro patruo ſuo ann. 8. menſ. 6. ſedit ſolus ann. 17. ob. ann. 1549.

111. Raynutius Farneſius Romanus S. R. E. Cardinalis Major Pœnitentiarius ſed. ann. 14. menſ. 9. dimiſ. ann. 1564., *quo habita eſt poſt ejus ceſſionem Diœceſana Synodus Ravennæ ab Epiſcopo Brittinorienſi Vicario Apoſtolico .*

112. Julius Feltrius de Ruvere Urbinas S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 12. menſ. 6. ob. 3. Septembr. ann. 1578. *Habuit Ravennæ Synodum Diœceſanam ann.* 1567. *Provincialem ann.* 1569. , *& alteram Diœceſanam ann.* 1571.

113. Chriſtophorus Boncompagni Bononienſis ſed. ann. 25. ob. ann. 1603. *Habuit Ravennæ Synodum Diœceſanam ann.* 1580. *Provincialem ann.* 1582. *Alteram Diœceſanam ann.* 1583. *Tertiam ann.* 1593., *& quartam ann.* 1599.

114. Petrus VIII. Aldobrandinus Florentinus S. R. E. Cardinalis Camerarius ſed. ann. 16. menſ. fere 6. ob. 10. Febr. ann. 1621. *Habuit Ravennæ quatuor Diœceſanas Synodos . Primam ann.* 1607. *Alteram ann.* 1609. *Tertiam ann.* 1613. , *& quartam ann.* 1617.

115. Aloyſius Capponius Florentinus S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 24. menſ. 6. dies 15. dimiſit 18. Septembr. ann. 1645. *Habuit Ravennæ duas Synodos Diœceſanas . Primam ann.* 1627. , *alteram ann.* 1640.

116. Lucas Torreggianus Florentinus ſed. ann. 24. menſ. fere 3. ob. 12. Decembr. ann. 1669. *Habuit Ravennæ Synod. Diœceſanam ann.* 1651., *& alteram ann.* 1660.

117. Palutius Alterius Romanus S. R. E. Cardinalis Camerarius ſed. ann. 3. dimiſ. 19. Febr. ann. 1673.

118.

Digitized by Google

118. Fabius Guiniſius Nucerinus ſed. ann. 18. menſ. 10. ob. ann. 1691. *Habuit Ravennæ Synod. Diœceſanam ann.* 1680.
119. Raymundus Ferrettus Anconitanus, prius Epiſcopus Lauretanus, & Recanatenſis ſed. ann. 27. menſ. 2. dies 15. ob. 24. Martii ann. 1719. *Habuit Ravennæ Synodum Diœceſanam ann.* 1702.
120. Hieronymus Criſpus Ferrarienſis ſed. ann. 6. menſ. 3. dimiſ. 17. Martii anno 1727. *Habuit Ravennæ Synod. Diœceſanam ann.* 1724.
121. Maphæus Nicolaus Farſettus Venetus ſed. ann. 13. menſ. 10. dies 21. ob. 6. Febr. ann. 1741.
122. Ferdinandus Romualdus Guicciolus Ravennas Congregationis Camaldulenſis adminiſtravit ann. 4. ſed. uti Archiepiſcopus ann. 18. menſ. 7. dies 28. ob. 7. Novembr. ann. 1763. *Habuit Ravennæ Synod. Diœceſanam ann.* 1749.
123. Nicolaus III. Oddus Peruſinus S. R. E. Cardinalis ſed. ann. 3. menſ. 3. dies 4. ob. 25. Maji ann. 1767.
124. Antonius I. Cantonius Faventinus ejuſd. Urbis Epiſcopus, poſtea Archiep. Ravennas, ſed. ann. 14. dies 27. ob. 2. Novembr. ann. 1781. *Habuit Ravennæ Diœceſanam Synodum ann.* 1774.
125. Antonius II. Codronchius Forocornelienſis renuntiatus Archiepiſcopus 14. Febr. ann. 1785. *Habuit Ravennæ Synod. Diœceſanam ann.* 1790.

IN-

Digitized by Google

INDEX
CAPITUM SYNODI,
EJUSQUE APPENDICIS.

PARS PRIMA.

Cap. I. De Fide Catholica tenenda, & profitenda. p. 1.
Cap. II. De Doctrina Chriſtiana . . . . p. 4.
Cap. III. De Prædicatione Verbi Dei . . . . p. 10.
Cap. IV. De Hæreticis, de Librorum impreſſione, ac de Judæis . . . . p. 14.
Cap. V. De Lectionibus Sacræ Scripturæ, & de Congregationibus Caſuum Conſcientiæ . . . . p. 18.
Cap. VI. De Feſtorum dierum cultu . . . . p. 22.
Cap. VII. De Jejunio, & Quadrageſima . . . . p. 26.
Cap. VIII. De ſacris Reliquiis, & Imaginibus . . . p. 33.
Cab. IX. De Miraculis . . . . p. 40.
Cap. X. De Oratione . . . . p. 41.
Cap. XI. De ſacris Supplicationibus . . . . p. 44.
Cap. XII. De ſacris Benedictionibus . . . . p. 53.

PARS SECUNDA.

Cap. I. De Sacramentis in genere . . . . p. 62.
Cap. II. De Baptiſmo . . . . p. 66.

Cap. III. De Confirmatione . . . . p. 75.
Cap. IV. De Sacroſancta Euchariſtia . . . . p. 79
Cap. V. De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio . . . . p. 93.
Cap. VI. De Sacramento Pœnitentiæ . . . . p. 107.
Cap. VII. De Caſibus Reſervatis . . . . p. 121.
Cap. VIII. De Canonico Pœnitentiario . . . . p. 125.
Cap. IX. De Indulgentiis . . . . p. 127.
Cap. X. De Extremæ Unctionis Sacramento . . . . . . p. 130.
Cap. XI. De Funeribus, & Sepulturis . . . . p. 137.
Cap. XII. De Ordinis Sacramento . . . . p. 150.
Cap. XIII. De Sacramento Matrimonii . . . . p. 167.

PARS TERTIA.

Cap. I. De Sacroſanctis Eccleſiis, & publicis Oratoriis p. 184.
Cap. II. De Oratoriis privatis . . . . p. 199.
Cap. III. De Beneficiorum Eccleſiaſticorum collatione . p. 203.
Cap. IV. De Bonorum Eccleſiaſticorum Adminiſtratoribus p. 212.
Cap. V. De Archivis . . . . p. 219.
Cap. VI. De vita, & honeſtate Clericorum . . . . . . p. 221.
Cap. VII. De Seminario Clericorum . . . . p. 230.
Cap. VIII. De Horis Canonicis . . . . p. 233.
Cap. IX. De Punctatoribus . . . . p. 243.
Cap. X. De Cæremoniarum Magiſtro . . . . p. 245.
Cap. XI. De Manſionariis, Cimeliarcha, & Ædituis . p. 246.
Cap. XII. De Muſicis, & Organo . . . . p. 247.
Cap. XIII. De Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ, & Collegiatarum . . . . p. 250.
Cap. XIV. De Parochis, eorumque munere . . . . . . p. 254.
Cap. XV. De Parochorum Urbis Conventu . . . . . . p. 264.

Digitized by Google

Cap. XVI. De Sanctimonialibus, deque aliis piis Fœminis collegialiter viventibus, vel ſeorſum in propriis, aut ſuorum domibus commorantibus . . . . *p.* 267.
Cap. XVII. De piis Laicorum Sodalitatibus . . . . . . *p.* 289.
Cap. XVIII. De Noſocomiis, Xenodochiis, Orphanotrophiis, Brephotrophiis, ac Montibus Pietatis . . . *p.* 295.
Cap. XIX. De Vicario Generali, & Archiepiſcopalis Fori Miniſtris . . . . *p.* 302.
Cap. XX. De Vicariis Foraneis . . . . *p.* 310.
Cap. XXI. De Examinatoribus, & Judicibus Synodalibus . . . . *p.* 312.
Cap. XXII. De Laicis . . . . *p.* 315.
Cap. XXIII. De Libellis famoſis, & Epiſtolis vulgo Lettere cieche . . . . *p.* 325.
Cap. Ultimum. De Conſtitutionibus Synodalibus . . . *p.* 326.
Decreta de Funeribus . . . . *p.* 329.
Officiales Cleri . . . . *p.* 343.
Aſſenſus Capituli Canonicorum . . . . *p.* 353.
Rogitus de Lectura Decretorum &c. . . . . *p.* 354.

APPENDIX PRIMÆ PARTIS.

Formula Juramenti Profeſſionis Fidei . . . . *p.* 355.
Formula Actuum Fidei, Spei, Charitatis, & Contritionis, & Indulgentiæ conceſſæ eoſdem Actus recitantibus . . . . *p.* 357. *& ſeq.*
Catalogus Oratoriorum, in quibus a Celebrantibus diebus Feſtis edocenda erit Doctrina Chriſtiana . . . . *p.* 358.
Indulgentiæ conceſſæ incumbentibus exercitio Doctrinæ Chriſtianæ . . . . *p.* 360.

* * *

Edictum Illmi, & Rmi D. D. Archiepiſcopi de obſervatione Feſtorum . . . . p. 361.
Indulgentiæ conceſſæ recitantibus Salutationem Angelicam mane, meridie, & veſpere, orantibus hora prima noctis, & feriis ſextis hora 21 . . . p. 364. & ſeq.
Indulgentiæ conceſſæ docentibus, & addiſcentibus methodum Orationis mentalis, & ipſam Orationem peragentibus . . . . p. 365.
Edictum Illmi, & Rmi D. D. Archiepiſcopi ſuper piis Exercitiis peragendis in Metropolitana triduo Rogationum . . . . p. 366.
Diſtributio viarum Ravennæ pro ſolemni Supplicatione Ss. Corporis Chriſti . . . . p. 368.
Ordo præcedentiæ ſervan. inter Confraternitates in Proceſſionibus, aliiſque functionibus Eccleſiaſticis . . . . p. 370.
Supplicationum ſolemnium Ss. Corporis Chriſti in Civitate Ravennæ, ejuſq. Suburbiis perpetuo haben. diſtributio . . . . p. 371.
Ordo ſervandus in Diœceſi in Supplicationibus Ss. Corporis Chriſti &c. . . . . p. 372.
Particula Bullæ Clementis XIII. ſuper facultatibus conceſſis nonnullis Ordinibus Regularibus, nomine Summi Pontificis populo benedicendi . . . . p. 372.
Ritus, & Forma ſervan. a Regularibus, quibus a S. Sede indulta eſt facultas Pontificiam Benedictionem effundendi ſuper populum . . . . p. 373.
Benedictio Equorum, & Animalium . . . . p. 374.
Benedictio contra Mures, Locuſtas, Bruchos, & Vermes noxios . . . . p. 375.
Modus impertiendi Benedictionem Pontificiam in articulo mortis &c. . . . . p. 376.

AP-

APPENDIX SECUNDÆ PARTIS.

Breve Ss. Dñi Nrī Pii Pp. VI., quo Magiſtratibus Civitatis Ravennæ, ſuiſque famulis in eo expreſſis facultas conceditur ſumendi Paſchalem Communionem in Eccleſia S. Sebaſtiani . . . . *p.* 379.

Ordo ſervandus inter Eccleſias Civitatis Ravennæ in ſolemni expoſitione Ss. Sacramenti Dominicis diebus &c. . . . . *p.* 381.

Ordo ſervandus pro adoratione Ss. Sacramenti occaſione XL. horarum in majori hebdomada in Eccleſia S. Sebaſtiani . . . . *p.* 383.

Catalogus Indulgentiarum Confratribus Societatum Ss. Sacramenti, aliiſque ejuſdem Ss. Euchariſtiæ cultoribus conceſſarum . . . . *p.* 384.

Edictum Archiepiſcopi Cantoni, quo Sacerdotibus præcipitur tertiam ſaltem horæ partem in Sacrificio Miſſæ inſumere . . . . *p.* 388.

Edictum Illmi, & Rmi D. D. Archiepiſcopi ſuper Miſſarum, & Legatorum piorum adimplemento . . . . *p.* 389.

Tabula Cenſurarum Illmo, & Rmo D. D. Archiepiſcopo in Synodo reſervatarum . . . . *p.* 393.

Decretum S. Congr. Indulg. ſuper Indulgentiis Stationum . . . . *p.* 393.

Inſtructio S. Congr. Inquiſitionis Romæ pro examine Teſtium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis *p.* 396.

Dubia circa exterorum Matrimonia cum reſponſionibus S. Congregationis . . . . *p.* 398.

Im-

Impedimenta tum impedientia, tum dirimentia Matrimonium vulgari ſermone a Parochis publicanda . . p. 400.

APPENDIX TERTIÆ PARTIS.

Edictum Illmi, & Rmi D. D. Archiepiſcopi, quo prohibetur pauperibus eleemoſynas quærere in Eccleſiis . p. 405.
Edictum Illmi, & Rmi D. D. Archiepiſcopi de reverentia Eccleſiis, & Locis Sacris debita . . . . . . p. 406.
Formulæ juramenti præſtandi a proviſis de Beneficio Eccleſiaſtico . . . . p. 410. *& ſeq.*
Methodus pro conficiendis Inventariis Bonorum Eccleſiaſticorum . . . . p. 412.
Edictum Illmi, & Rmi D. D. Archiepiſcopi ſuper habitu Clericorum . . . . p. 418.
Particula Edicti Secretariæ Status ſuper ludis prohibitis p. 419.
Tabula Veſperarum, & Miſſarum ab Illmo, & Rmo D. D. Archiepiſcopo, Dignitatibus, & Canonicis S. Metropolitanæ Eccleſiæ celebran. &c. . . . . p. 420.
Diſtributio Horarum pro recitatione divini Officii in Eccleſia Metropolitana . . . . p. 422.
Methodus pro Miſſarum celebratione tempore divinorum Officiorum in Eccleſia Metropolitana . . . . p. 426.
Tabula Feſtorum, quibus Metropolitanæ Eccleſiæ choro addictis vacationes interdicuntur ſub pœna duplicis punctationis . . . . p. 430.
Formula juramenti præſtandi a Punctatoribus . . . . . p. 430.
Tabula dierum, quibus Metropolitanæ Eccleſiæ Canoni-

cis

cis uſus Pontificalium indulgetur . . . . p. 431.
Literæ Ss. Dñi Nrĩ Pii Pp. VI., quibus ſeptem Eccleſiæ Parochiales e Diœceſi Faventina ſeparantur, & Ravennatenſi applicantur . . . . p. 432.
Formula teſtamenti, quod abſente Scriba, conficitur a Parocho . . . . p. 436.
Particula Decreti S. Congr. Ep., & Regular. ſuper acceſſum Regularium ad Monaſteria Monialium &c. . . . p. 437.
Tabella Feriarum Curiæ Archiepiſcopalis Ravennæ . . p. 438.
Formula Juramenti præſtandi ab Examinatoribus Synodalibus . . . . p. 440.
Formula Juramenti præſtandi a Judicibus Synodalibus . p. 440.
Edictum publicationis Synodi . . . . p. 441.

OFFI-

Digitized by Google

OFFICIALES
SYNODI.

Promotor.

Rm̃us D. Joſeph Lovatelli J. U. D. Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicus Primicerius.

Secretarius.

Adm. R. D. Joannes Baptiſta Paſcoli.

Secretarii Coadjutores, ſeu Decretorum Lectores.

R. D. Antonius Caſamurata. (*Metropolit. Eccl. Manſionarii Numerarii.*
R. D. Franciſcus Xaverius Cirri,
R. D. Gaſpar Poletti. (*Metropolit. Eccl. Manſionarii Supranumerarii.*
R. D. Cajetanus Sanſoni,

Judices Querelarum, & Excuſationum.

Rm̃us D. Ægidius Bezzi J. U. D. Metropolit. Eccl. Canonicus Pro-Vicarius Generalis Archiepiſcopalis.
Rm̃us D. Andreas Pignatti Sacror. Canonum, & Theologiæ Doctor Metropolit. Eccl. Archidiaconus.
Rm̃us D. Bartholomæus Gherardini J. U. D. Metropolit. Eccl. Canonicus,

Præfecti Diſciplinæ Synodalis.

Rm̃us D. Joannes Baccinetti Metropolit. Eccl. Canonicus.
Rm̃us D. Gaſpar Saporetti Philoſoph., ac S. Theologiæ Doctor Metropolitanæ Eccl. Canonicus Theologus.

Ma-

Digitized by Google

Magiſter Cæremoniarum.

Adm. R. D. Joannes Baptiſta Paſcoli.

Coadjutores.

R. D. Philippus Bregoli. (*Metropolit. Eccl. Manſionarii Numerarii.*
R. D. Nicolaus Fuſchini. (
R. D. Joſeph Brandolini. (

Oſtiarii, & Directores.

R. D. Carolus Severi.
R. D. Laurentius Montanari.
R. D. Joſeph Bologneſi.
R. D. Lucas Gubertini.
R. D. Joannes Baptiſta Melandri.
R. D. Franciſcus Morigi.
R. D. Thomas Meldoleſi.

Procuratores Cleri.

Perilluſtris, & excellentiſſimus D. Gaſpar Saccomandi.
Perilluſtris, & excellentiſſimus D. Franciſcus Gradara.

Notarii.

D. Sanctes Bartoletti. D. Franciſcus Scagnardi.

IN

IN NOMINE

SANCTISSIMÆ, ET INDIVIDUÆ

TRINITATIS

PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI

AMEN.

NOS
ANTONIUS CODRONCHI

Dei, & Apoſtolicæ Sedis Gratia

S. METROPOLITANÆ ECCLESIÆ RAVENNÆ

ARCHIEPISCOPUS, ET PRINCEPS

PONTIFICIO SOLIO ASSISTENS

INFRASCRIPTAS CONSTITUTIONES, *ET DECRETA*

IN HAC NOSTRA PRIMA

DIŒCESANA SYNODO

STATUIMUS, ET PROMULGAMUS.

CON-



Surge Appollinaris perge Ravennam

CONSTITUTIONUM
SYNODALIUM
PARS PRIMA
CAPUT I.

De Fide Catholica tenenda , & profitenda .

I. INTER cœleſtis gratiæ munera , quibus a ſummo bonorum omnium largitore Deo indeſinenter afficimur , illud ſane præclarum , ac ſummum eſt , quod ſedentes in tenebris , & umbra mortis , nos Fidei ſuæ , quæ humanæ ſalutis initium , fundamentum , & omnis juſtificationis radix eſt , (1) claritate illuſtraverit , & eduxerit in admirabile lumen ſuum .

A II.

(1) *Conc. Trid. Seſſ. 6. Cap. 8.*

II. Eximium hoc, ac præſtantiſſimum divinæ in nos munificentiæ, & charitatis donum grato animi ſenſu recolamus, & ſedulo cuſtodire ſtudeamus. Non omni nos vento doctrinæ, tanquam fluctuantes parvuli circumferri ſinamus, aut doctrinis variis, & peregrinis abduci patiamur. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ aliarum omnium principi, & magiſtræ, unde religionis origo manavit, ubi Fidei petra, ubi fons ſacerdotalis unitatis, ubi incorruptæ veritatis doctrina, conſtantiſſime adhæreamus; Pontificem Maximum, Divi Petri Apoſtolorum Principis Succeſſorem, & Chriſti Domini legitimum in terris Vicarium, cæterorum omnium Epiſcoporum, & Antiſtitum Patrem, ac Moderatorem veneremur, ſummamque ejus dignitatem, ac juriſdictionis amplitudinem, non humano jure, ſed divinitus collatam fateamur. Conſtitutiones dogmaticas, quæ ad Fidem, & mores pertinent a Cathedra Divi Petri, quam modo Pius VI. P. O. M., ſummo univerſæ Chriſtianæ Reipublicæ bono, tenet, ac moderatur, profectas ſincero animi obſequio, & veneratione proſequamur, quod perpetuo ab hac Sancta Ravennate Eccleſia ad hæc uſque tempora præſtitum fuiſſe gloriamur.

III. Sed ab iis, qui corde, & animo Fidem ad juſtitiam tenent, ore inſuper confeſſio fiat ad ſalutem neceſſe eſt. Non itaque Chriſti Evangelium erubeſcamus, quin pro eo viriliter laboremus: toleremus probra, ſuſtineamus irriſiones, non exhorreamus carceres, non metu aliquo, aut verecundia a libera Fidei profeſſione deterreamur. Jeſum Chriſtum, non corde modo, ſed & labiis palam confiteamur, ut nos ipſe coram Patre ſuo confiteatur: quales enim coram hominibus nominis ſui teſtes fuerimus, tali apud Deum Patrem teſtimonio ejus utemur (1). IV.

(1) *S. Hilar. Comm. in Matth. Cap.* 10.

IV. Sunt vero nonnulli, qui nominatim ex Tridentini decretis, & Pii IV. conſtitutione (1) Fidei profeſſionem ab eodem Pontifice propoſitam, quam in appendice dabimus, (2) emittere tenentur, videlicet

Proviſi de dignitatibus, & canonicatibus in eccleſia Metropolitana, (non autem coadjutores, niſi poſt mortem coadjuti) (3) coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali, & coram Capitulo ſaltem intra duos a die adeptæ poſſeſſionis menſes; alioquin fructus non faciant ſuos: (4) diſtributionibus tamen horis, quibus interſunt, reſpondentibus, exceptis (5).

Promoti ad Beneficia curam animarum habentia coram Nobis, aut Vicario Noſtro Generali intra idem tempus, ac ſub eadem amiſſionis fructuum pœna (6).

Qui in Metropolitana de manſionaria, vel in Collegiatis de canonicatu, aut de beneficio ſimplici in quacumque eccleſia proviſi fuerint, ex antiqua hujus diœceſis conſuetudine, quam religioſe ſervari volumus, nec non majorum noſtrorum inſtitutis (7).

Docentes publice, vel privatim theologiam, philoſophiam, jus canonicum, grammaticam, aliaſque bonas artes quaſcumque profitentes, vel legentes, (8) etiam ſi ab aliqua fuerint communitate conducti (9).

Qui magiſtralem, ſive doctoralem lauream ſunt conſequuturi. (10) Qui vero medicam artem profiteri volunt, Conſtitutionem S. Pii V., cujus initium eſt *Supra gregem* ſe ſervaturos, interpoſita juramenti religione, ſpondeant, ac promittant. No-

(1) *Conſt.* 88. 13. *Nov.* 1564. (2) *In Append. n.* 1. (3) *Gonzalez ad reg.* 8. *Cancell.* (4) *Trid. Seſs.* 24. *Cap.* 12. *de reform.* (5) *Sac. Cong. Conc.* 9. *Febr.* 1726. *apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* 5. *cap.* 2. *n.* 5. (6) *Trid. loc. cit.* (7) *Conc. Prov. Raven. Card. de Ruvere Synodi Diœceſ. Ravennat. Conc. Rom. Tit.* 1. *de Fide.* (8) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.* (9) *Sac. Cong. Conc.* 1581. & 1691. *Syn. Cantoni.* (10) *Pius* IV. *Conſtit.* In Sancta.

Novus Vicarius Generalis . (1) Beneficium adepti ad hanc Fidei profeſſionem teneri volumus, licet occaſione poſſeſſionis alterius beneficii eam alias emiſerint (2).

Univerſos vero Metropolitanæ noſtræ canonicos, & beneficiatos curam animarum habentes monitos volumus, Fidei profeſſionem per procuratorem emitti nullo pacto poſſe, emiſſam minime ſuffragari (3).

V. Nomen autem, cognomen, patria tum illius qui Fidei profeſſionem emiſerit, tum illius qui eam exceperit, annus pariter, menſis, dies, locus, cauſa emiſsæ profeſſionis a cancellario noſtro in libro ad hanc rem unice comparato diligenter referantur (4).

CAPUT II.

De Doctrina Chriſtiana.

I. CUM cætera omnia graviter, ſapienterque a Tridentinis Patribus ſtatuta ſunt, tum certe illud ſapientiſſime conſtitutum, ut Epiſcopi, ſaltem Dominicis, & aliis feſtivis diebus, pueros in ſingulis parochiis Fidei rudimenta, & obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos ſpectaret, doceri curarent (5).

II. Ne itaque paſtoralis muneris noſtri partibus deeſſe videamur, ſingulos, quibus in diœceſi noſtra animarum cura credita eſt, ut in hoc tam pium, tam ſalutare, ac maxime neceſſarium opus ſtrenuo, conſtantique animo incumbant, quo majori poſſumus ſtudio adhortamur, ac ſi opus

(1) *Conc. Rom. Tit. cit. Syn. Guiccioli.* (2) *Pyrr. Corrad. Prax. Benef. lib. 2. Cap. 16.* (3) *Sac. Cong. Conc. in Valentina 1610. apud Lambertin. Inſtitut. 60. num. 3. & alias.* (4) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere, & alia Syn. Diœceſ. Ravennat.* (5) *Conc. Trid. Seſſ. 24. Cap. 4. de reform.*

opus fuerit etiam per cenſuras eccleſiaſticas compellemus (1).

III. Statutis itaque diebus hora pomeridiana pueri, puellæque cujuſcunque paræciæ ad eccleſiam æris campani ictibus invitentur. Ad poſtremum ejuſdem æris campani pulſum duo ex qualibet Urbis, pagorumque paræcia juvenes per vias, vicos, & plateas circumeuntes, ſingulos quos invenerint, chriſtiana catecheſi erudiendos ad eccleſiam adducant. Ut convenerint, illos in duas, vel plures claſſes collectos, maribus a fœminis omnino ſejunctis, parochus fidei rudimenta edoceat. Et quoniam brevis, & univoca docendi methodus plurimum puerorum inſtitutioni prodeſſe ſolet, parochis præcipimus, ut Libello a Card. Bellarmino Clementis VIII. juſſu conſcripto, quem Benedictus XIII., & Benedictus XIV. probaverunt, (2) ſinguli utantur. Ac ne ab eo unquam diſcedant, illum parochi, & clerici, dum huic miniſterio operam navabunt, e manibus nunquam dimittant.

IV. Sed cum non una ſit omnium ætas, ingenium, conditio, non una debet eſſe pro ſingulis pueris docendi ratio. Alii enim, velut modo geniti infantes, lacte nutriendi ſunt, alii in Chriſto adoleſcentes ſolidiori cibo opus habent. In tradendis itaque fidei myſteriis, ac vitæ præceptis, doctrinam, & verba ad audientium ſenſum, & intelligentiam accommodet parochus, ne, cum eorum animos, qui exercitatos ſenſus habent, ſpirituali cibo expleverit, parvulos fame perire patiatur.

V. Quoniam pueri chriſtianam inſtitutionem, ut plurimum, refugiunt, parochi ſingulis annis puerorum, ac puellarum in paræciis degentium cathalogum conficiant, eoque

(1) *Trident. loc. cit.* (2) *Conc. Rom. tit.* 1. *cap.* 4. *Bened.* XIV. *Conſtit.* Et ſi minime 7. *Febr.* 1742.

que utantur, ut a ſacra catecheſi abſentes notent (1). Si quos diu abeſſe deprehenderint, alliciant, moneant, territent: hortentur eos, quorum curæ ſunt crediti, ut ad eccleſiam adducant. Ubi vero efficacioris remedii opus eſſe ſenſerint, rem ad Nos, vel Vicarium noſtrum deferant.

VI. Chriſtianæ Religionis elementa ignorantibus paupertatis teſtimonium ad quælibet ſubſidia ſibi comparanda, (2) denuntiationes matrimoniales, ſchedulam pro Confirmationis Sacramento, & Euchariſticæ menſæ participationem parochi denegabunt: (3) quin & eorum confeſſiones excipientes fixum illud immotumque animo ſemper habeant, invalidam eſſe abſolutionem ſacramentalem res neceſſitate medii ſcitu neceſſarias ignoranti impertitam, nec poſſe quemquam per Pœnitentiæ Sacramentum Deo reconciliari, niſi ante, excuſſa hujus ignorantiæ caligine, ad agnitionem fidei educatur: illius vero, qui neceſſaria neceſſitate præcepti ſuo vitio neſcit, abſolutionem in aliud tempus rejiciendam eſſe, niſi ſe vincibilis hujus ignorantiæ reum agnoſcat, & accuſet, ac intime dolens a Deo veniam precetur, ſeque in iis addiſcendis operam impenſe daturum ſerio promittat (4).

VII. Proprias tantum oves chriſtianæ fidei rudimentis erudiant parochi (5). Si quæ ex alieno ovili ventitabunt, eas ad paræcias ſuas remittant, ut ſuos paſtores cognoſcant oves, & cognoſcantur ab iis.

VIII. Sed quia non raro contingit tantam eſſe in aliquibus paræciis puerorum frequentiam, ut erudiendis omnibus unus non ſufficiat parochus, clericos ſive in minoribus, ſive in majoribus ordinibus conſtitutos per ſingulas pa-

ræ-

(1) *Synod. Guiccioli, & Cantoni*. (2) *Synod. Ferretti, Guiccioli, & Cantoni*. (3) *Ben.* XIV *Conſtit. cit.* §§. 9. & 11. (4) *Conſtit. cit.* §. 12. (5) *Sac. Cong. Conc* 9. *Aug.* 1732. *apud Lambertin. Inſtit.* 9. *num.* 10.

ræcias apte diſtributos, tantæ meſſis operarios aſſignabimus, ut nulla unquam opportunis, & neceſſariis auxiliis deſtituatur. (1) Presbyteros autem in Domino hortamur, ut pacti, quo Sacerdotio initiati ſunt, memores ne ſe ab hoc pio munere ſubducant. Non enim Eccleſiæ mancipati fuerunt, ut otio diffluerent, omnique ſolutam opere vitam agerent, ſed ut in vineæ cultura laborarent. Videant ergo, ne vineæ Dominus ipſis exprobret, quod hominibus ſtantibus in foro otioſis olim objecit.

IX. Aſt animarum rectores puerorum inſtitutioni ita addictos eſſe decet, ut adultorum curam non abjiciant. Inquirant itaque diligenter, an intra paræciæ fines aliqui ſint, qui divinarum rerum, quibus chriſtiani hominis ſcientia continetur, & ſalus æterna comparatur, ignorantia laborent; & ſi qui rudes adeo occurrant, eos paterno affectu, omnique charitatis officio ſibi demereantur, ut ad eccleſiam ſacram catecheſim audituri conveniant, domum etiam, ſi opus fuerit, accerſant, quod a quibusdam ruralibus parochis, hyemali præſertim tempore, maximo cum animi noſtri ſpirituali gaudio factitari novimus, nullique parcant labori, quo ad illi cœleſtium rerum cognitione informentur, & imbuantur. In eum etiam finem ſingulis Urbis parochis indicimus, ut ante Miſſam parochialem diebus feſtis celebrandam ante aram provoluti clara, & intelligibili voce actus virtutum theologalium, contritionis, & attritionis juxta formulam, quam in appendice dabimus, (2) nec non Symbolum Apoſtolorum, Orationem dominicam, Salutationem angelicam, Præcepta decalogi, Præcepta Eccleſiæ recitent, ac præire fatagant populo, verba ab ipſis prolata devote reddituro, ut hoc pacto ea fideles ſenſim addiſcant,

(1) *Conſtit. cit.* §. 6. (2) *In Append. num.* 1. *ubi exſtat cathalogus Indulgentiar.*

diſcant, atque aſſueſcant, ne dum feſtis, ſed aliis etiam diebus in hac pia exercitatione verſari. Hoc ipſum ruri poſt Evangelium ejusdem parochialis Miſſæ præſtari, ac in poſtrema quoque Miſſa, quæ populi commodo, ut plurimum celebrari ſolet, repeti mandamus. Hoc denique poſt Evangelium primæ Miſſæ in publicis ruralibus Oratoriis celebrandæ a ſacerdotibus, & capellanis, qui ibidem diebus Feſtis Sacrum fecerint, ſub pœna ſuſpenſionis a Miſſæ celebratione per quindecim dies quaque vice ab iis, qui hoc neglexerint, ipſo facto ſubeunda præſtari volumus, ac decernimus. (1)

X. Cum autem nonnulli longe intervallo a parochialibus diſtantes, raro admodum, inundantibus præſertim hyemali tempore pluviis, proprium parochum ſacram cathecheſim explanantem adire poſſint, interim ad proximiora Oratoria Sacrum audituri ſe conferentes, eorum quoque inſtitutioni paterna ſollicitudine providere cupientes, ſacerdotibus in Oratoriis, quorum notam dabit appendix, (2) rem divinam facturis mandamus, ut Chriſtianæ doctrinæ ſummam populo tradant, divinamque legem per aliquod temporis ſpatium annuntient. Reluctantes ſciant ſe gravibus pœnis in officium eſſe redigendos. (3) Parochos tamen ne alienæ operæ nimium tribuant monemus; quo loco res ſint opportune inquirant, in ſpem certam erecti, Deum omnium bonorum datorem quicquid laboris, ſtudii, ac vigilantiæ in hunc ſcopum collatum fuerit, uberi mercede retributurum.

XI. Singulis conſtitutis diebus, ut ſuperius diximus, puerorum inſtitutioni vacabunt parochi, ſolo Paſchatis,

&

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* §. 18., *Conc. Rom. tit.* 1. *cap.* 5. (2) *In Append. num.* 2. (3) *Bened.* XIV. *Conſtit. cit.* §. 14.

& Pentecoſtes dominico die prætermiſſo, in cujus locum feria ſecunda ſubſequens ſuccedat. (1) Sacrum autem quadrageſimale tempus parochorum ea in re curam, & diligentiam poſtulat ſingularem. Volumus propterea, per tres ſaltem hebdomadas ea a parochis præcipue explanari, quæ ad Pœnitentiam, & Euchariſtiam pertinere videbuntur, ut eorum accurata, & frequenti tractatione non modo pueri ad ſacram Synaxim primo admittendi, ſed reliquus etiam fidelis populus talis evadat, cui eadem Sacramenta in paſchali Solemnitate digne, & ſalutariter impertiri poſſint.

XII. Neque vero ad parochos tantum chriſtianæ catecheſis docendæ munus ſpectare putandum eſt. Nam ut omittamus parentes, tutores, dominos, alioſque familiarum rectores, quorum eſt liberos, pupillos, famulos noſtræ religionis myſteriis imbuere, Concilii Lateranenſis Decreto ſaluberrime cautum eſt, ut tam ludimagiſtri, quam piæ fœminæ pueros, puellaſque inſtituentes, diſcipulos ſuos in iis, quæ ad religionem, & mores pertinent, informare teneantur: (2) quod ni ſaltem ſemel per hebdomadam præſtiterint, & magiſterio privabuntur, aliaſque negligentiæ ſuæ pœnas exolvent. (3) Idipſum a ludimagiſtris etiam laicis a Communitatibus conductis jure poſtulamus. (4)

XIII. Cum autem reipſa compertum ſit lupos ſub ovina pelle ſæpe delituiſſe, optimo jure ſtatuimus, ne quis ſive vir, ſive fœmina publicum, aut privatum in noſtra diœceſi docendi ludum aperiat, niſi parochi teſtimonium de vita, morumque probitate, & de chriſtianæ doctrinæ peritia attulerit, veniamque a nobis impetraverit. (5)

XIV. Eos, qui parochos audire prohibentur, ut alum-

(1) *Synod. Cantoni*. (2) *Concil. Lateranen. ſub Leone* x. *apud. Ben.* xiv. *Conſtit. cit.* §. 7. (3) *Synod. Cantoni*. (4) *Sac. Cong. Conc.* 17. *Jul.* 1688. *apud Lambertin. Inſtitut.* 9. *num.* 13., & 14. (5) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere* de Scholis *cap.* 3.

ni in Seminario degentes, pueri, & puellæ in Monaſteriis, in Xenodochiis, Orphanotrophiis, in Hoſpitali S. Mariæ de Crucibus, aliiſque piis domibus commorantes, per Sacerdotes a Nobis delegandos dominico quoque die chriſtianæ doctrinæ elementis imbui curabimus.

XV. Ut vero ad chriſtianam catecheſim ſive addiſcendam, ſive edocendam promptiores, alacrioresque reddantur omnes, paſtores idoneo tempore Indulgentias exponant pene innumeras, quibus Summi Pontifices eos cumularunt, qui in hoc ſanctiſſimum opus ſtrenue incumberent. (1)

CAPUT III.

De prædicatione verbi Dei.

I. QUOD divinum verbum materiali cibo frequenter a Sanctis Patribus comparari conſueverit, eo equidem nomine factum novimus, quod cœleſtis doctrinæ eloquio virtutes foveri, pietatem roborari, corruptoſque hominum mores immutari compertum ſit, non ſecus ac profanis, ac communibus eſcis corpus alitur, augetur, & ſuſtentatur.

II. Evangelizandi miniſterium, præcipuum Epiſcoporum munus, (2) ſingulis, qui animarum curæ præſunt, demandatum eſt. (3) Iis itaque ex Tridentini Concilii auctoritate præcipimus, ut *diebus ſaltem dominicis, & feſtis ſolemnibus, plebes ſibi commiſſas pro ſua, & earum capacitate paſcant ſalutaribus verbis, docendo ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, annunciandoque eis cum brevitate, & facilitate ſermonis vitia, quæ eos declinare, & virtu-*

(1) *In Append. num. 3.* (2) *Trid. Seſſ. 5. Cap. 2. De reform.* (3) *Trid. loc. cit.*

tutes, quas ſectari oportet, ut pœnam æternam evadere, & cœleſtem gloriam conſequi valeant. Nemo ſe ab hoc munere ſubducat, vel ex eo quod a jurisdictione noſtra quavis ratione ſe immunem eſſe contendat. (1) Tridentini mandatis ſinguli parere ſtudeant. Qui officio defuerint, noverint ſe per eccleſiaſticas cenſuras, vel aliis ad arbitrium noſtris remediis ſore compellendos (2). Ut vero eo munere rite perſungantur, plurimum proderit, ſi Catechiſmi Romani juſſu S. Pii v. editi, & noviſſime a Clemente XIII. ſummopere commendati, doctrinæ inhæreant (3).

III. Sed quoniam conſuetudine inductum eſt, ut ſacro Quadrageſimæ, & Adventus tempore alii, qui noſtra, & parochorum vice fungantur, concionatores aſſumantur, Nos hunc morem retinentes, idoneos viros ad id muneris eligere non prætermittemus, qui deſignatis diebus juxta cujuſque loci uſum, quem omnino ſervari volumus, populis Evangelium annuncient. Si qui vero concionatoris eligendi jure glorientur, eum opportune nominent. Id ſi neglexerint, nominationem auctoritate noſtra ſupplebimus (4).

IV. Si cui parocho per ea etiam tempora proprias divini verbi pabulo enutrire oves libitum fuerit, non repugnabimus: meminerit tamen ſe ſtatuto pro concionatore ſtipendio minime fruiturum, retentis tantum eleemosynis ſponte oblatis, (5) niſi aliquod forte peculiare legatum loco ſtipendii conſtitutum eſſet. Sed parochos per eadem tempora, quibus reſici maxime, & in Domino gaudere paſtoris præſentia oves debent, a ſuis eccleſiis abeſſe, ut alio concionaturi ſe conſerant, nullo pacto patiemur.

V. Nullus ſive ſæcularis, ſive regularis, etiam in eccle-

(1) *Trid. loc. cit.* (2) *Trid. loc. cit.* (3) *Clem.* XIII. *in Encyc.* In Dominico agro 1761. (4) *Sac. Cong. Conc.* in Aquilana 1738. (5) *Sac. Cong. Conc.* in Ravallenſi 1615 *Monacell. tit.* 11. *Form.* 7.

cleſiis ſuorum Ordinum, Nobis contradicentibus, prædicare præſumat. (1)

VI. Regulares de licentia ſuorum ſuperiorum in eccleſiis ſuorum ordinum, quocumque tempore, quavis ex cauſa concionaturi, ſive ſermonem habituri, antequam prædicare incipiant, perſonaliter ſe coram Nobis præſentent, & benedictionem petant: in eccleſiis vero, quæ ſuorum ordinum non ſunt, præter ſuorum ſuperiorum licentiam, noſtra etiam accedat licentia neceſſe eſt. (2) Immo ſtatuta Prædeceſſorum noſtrorum innovantes, parochis, aliiſque eccleſiarum rectoribus inhibemus, ne concionem, aut ſermonem ullum, ullo unquam tempore, quacunque in eccleſia, a quacunque perſona, quocumque prætextu, niſi ex noſtra licentia haberi ullo pacto præſumant. (3)

VII. Quorum in eccleſiis Adventus, & Quadrageſimæ tempore conciones futuræ erunt, parochi de ea re fideles præmonebunt; (4) gravibuſque verbis hortabuntur, ut ad ſuſcipiendum cum manſuetudine inſitum verbum frequentes accurrant, non ut auditores tantum, ſed ita animo comparati, ut quæ audierint alta mente reponant, & vita, ac moribus exequantur.

VIII. Adventantibus concionatoribus feſtivo, atque hilari vultu occurrant parochi. Eorum ſedem vel in propriis ædibus, vel in alia a laicorum conſuetudine remota domo conſtituant.

IX. Singulis autem, quibus hoc apoſtolicum munus obeundum eſt, graviſſima illa Divi Pauli verba in memoria penitus inſideant: *in omnibus exhibeamus nosmetipſos tanquam Dei miniſtros, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Igi-

(1) *Conc. Trid. Seſſ. 24. cap. 4. de Reform.* (2) *Conc. Trid. Seſſ. 5. cap. 2. de Reform.* (3) *Synod. Prov. Rav. Boncompagni.* (4) *Lambertin. inſt. 27.*

Igitur prudentia, morum gravitate, & ſanctæ converſationis exemplo, quod eſt veluti perpetuum quoddam prædicandi genus, cæteris præire ſtudeant, ut, cum eos vitam verbis æqualem inſtituere auditores intellexerint, & magnam ſibi venerationem pariant, & uberiores laboris ſui fructus percipiant. Errores autem, & ſcandala ſi quis in populum diſſeminare auſus fuerit, ſciat ſe, quamquis regularem, & in monaſterio ſui vel alterius ordinis concionantem, a prædicatione eſſe interdicendum. (1)

X. Verbum autem Dei adminiſtrantes, vere loquantur ſermones ejus. *Incerta, vel quæ ſpecie falſi laborant*, non evulgent. (2) Difficiliores item, & ſubtiliores quæſtiones, quæ ſupra captum populorum aſſurgunt, non attingant. In id vero omni conatu incumbant, ac omnes eloquentiæ ſuæ nervos intendant, ut corruptelas omnes, & vitia, quæ juxta cujuſque loci conditionem magis graſſari a parochis intellexerint, perpetua objurgatione inſectentur, utque fidelium animos ad chriſtianæ virtutis, & ſpiritualis diſciplinæ ſtudium inflamment. Dum autem vitia exagitant, caveant, ne quem, præſertim vero parochum, ignominia, aut reprehenſione nominatim notent, aut deſignent. De oratione autem nimium expolienda, ornandaque non laborabunt, ne inanis eloquentiæ commendatione magis ſibi laudem aucupari, quam de ſpirituali auditorum profectu ſolliciti eſſe videantur. (3)

XI. Dum ſacræ conciones habebuntur, circulatores a plateis exulare, ludos cujuſcunque generis removeri, apothecas, & tabernas claudi omnino jubemus, ut fideles omnibus impedimentis ſoluti, & alacrius conveniant, & avidius appetant verbum Dei.

XII.

(1) *Conc. Trid. Seſſ. 5. cap. 2. de Reform.* (2) *Trid. Seſſ. 24. Decret. de Purgat.* (3) *Litera Sac. Congr. Conc. 6. Jul. 1680. Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.*

XII. Quoniam vero qui altari deſerviunt, cum altari participant, æquum eſt eos etiam, qui Evangelium annuntiant, de Evangelio vivere. Quæ ergo pro concionatoribus ſive a jure, ſive a conſuetudine ſtipendia taxata ſunt, ea ſine cunctatione, ac imminutione ulla perſolvi volumus, ac mandamus. (1)

XIII. Religioni demum, & honeſtati conſulentes, laudabilem conſuetudinem, quæ olim ubique obtinebat, ut mares ſeorſim a fœminis concionibus intereſſent, ubi adhuc viget, retineri, ubi vero intermiſſa eſt, quoad fieri poterit, inſtaurari præcipimus. (2) Noctu vero nulla concio, nullus ſermo, neque de paſſione Chriſti Domini, niſi impetrata a nobis venia, habeatur. (3)

CAPUT IV.

De Hæreticis, de librorum impreſſione, ac de Judæis.

I. QUAM animarum rectores, aliique divini Verbi præcones fidei puritatem, morumque integritatem fidelium mentibus, & cordibus magno labore, ac diligentia inſerere, atque alere ſtudent, eam perverſi, ac perditi homines, ſedentes in cathedra peſtilentiæ per ſummum ſcelus corrumpere, labefactare, & mortifera doctrinarum labe polluere perpetuo connituntur.

II. Cum autem fieri nullo modo poſſe intelligerent, ut cum omnibus coram colloquerentur, & in eorum aures venenatas voces infunderent, volumina evulgarunt prope innu-

(1) *Sac. Cong. Conc. in Viterb. an.* 1628. *Sin. Prov. Rav. Card. de Ruvere. Sin.* Cantoni. (2) *Conc. Prov. Rav. Card de Ruvere. Sac. Congr. Ep. & Reg.* in Iaquenſi *juſſu Clem.* XI. *Synod. Guicc.* Cantoni. (3) *Syn. Prov. Raven. cit. Sac. Cong. Ep. & Reg.* in Caſtrenſi 1629.

numera , quibus & captioſo argumentorum genere , & inanis facundiæ lenocinio multo facilius , ac latius impietatis errores diſſeminarent , ac infidelitatis ſuæ virus evomerent . His quaſi præſtigiis , quibusdam legentium aures , animoſque ludificantur , & imperitæ multitudini adeo imponunt , ut non pauci ea fraude , thecniſque decepti , ab avita , caſtaque religione abducantur .

III. Teterrimam hanc luem pro viribus coercere ſtudeamus , conjunctiſque , & conſociatis animis , inſenſiſſimos chriſtiani nominis hoſtes aggreſſi , eorum impios conatus procul a noſtris finibus propulſemus . Parochi itaque , concionatores , animarumque moderatores in libros hujusmodi acerrime invehantur , fideleſque ab eorum conſuetudine abſtrahere omni contentione curabunt : quam eorumdem evolutio homini illiterato , & eccleſiaſticarum diſciplinarum imperito periculoſa ſit tum rationibus , tum exemplis oſtendent , quamque turpe , & indignum ſit catholico viro ſe iis erudiendum tradere , qui non aliam aſſumpſiſſe videntur religionem , quam ut injuſto bello veram religionem perſequantur .

IV. Plurimum etiam ad tuendam fidei puritatem prodeſſe poterit , ſi parochi edictum Sanctæ & Supremæ Congregationis Sancti Officii quotannis , ut moris eſt , evulgantes , ſerio fideles hortabuntur , ut Archiepiſcopali Noſtro , vel Sanctæ Inquiſitionis Tribunali juridice revelent hæreticos , aut de hæreſi quomodolibet , etiam leviter , ſuſpectos , eorum fautores , receptatores , aut defenſores , cæteroſque , qui ex ſacrorum Canonum , & Conſtitutionum Apoſtolicarum præſcripto ad fidei Tribunal deferendi ſunt , propoſita excommunicationis pœna , quam , præter lethalis culpæ reatum , incurrunt , qui ſalutaribus his Eccleſiæ mandatis obedire detrectant .

V.

Digitized by Google

V. Bibliopolis omnino inhibemus, ne libros prohibitos ſine noſtra, aut alterius, quem huic negotio præfecerimus, licentia in ſcriptis impertienda (quam quidem licentiam ii quoque ſibi comparare tenebuntur, qui libros quoſcumque, etiam ad proprium uſum, in diœceſim noram inferre voluerint) introducere, venales habere, aut diſtrahere audeant, ſub pœnis ſacrorum Canonum, & Conſtitutionum Apoſtolicarum, aliiſque arbitrio noſtro inferendis. Ne vero prædicti bibliopolæ propriæ culpæ ignorantiæ velamen obtendant, in ſingulis eorum officinis librorum prohibitorum indicem, cujus ope interdictos libros ſecernere valeant, perpetuo ſervari mandamus.

VI. Typographi Lateranenſis, & Tridentini Concilii decreta, nec non Indicis regulas (1) calleant, & ſervent. In primis vero, ne quid formis excudant, quod cenſoribus imprimendorum a Nobis, & ab Inquiſitore deputatis exhibitum ante non fuerit, ut probentur probanda, & improbanda reprobentur. Ipſa vero probatio in ſcriptis detur, atque in fronte libri vel ſcripti, vel impreſſi authentice appareat. (2) Sed nec quicquam jam ab ipſis excuſum, abſque noſtra vel Vicarii noſtri generalis licentia ſcripto concedenda, evulgare præſumant. Qui aliquid hac in re peccaverint, digna eorum factis animadverſione plectentur.

VII. Judæi per omnes gentes diſperſi, inquit Auguſtinus, (3) teſtes ſunt iniquitatis ſuæ, & veritatis noſtræ. Sed quia catholicis commixti degunt, plura, & quidem graviſſima integritati fidei mala ex eorum conſuetudine imminere poſſunt, niſi legibus coerceantur. Quæ ergo de ipſis

(1) *Conc. Later. ſub. Leon. x. ſeſſ. x. Conc. Trid ſeſſ. 4. in Indice Reg. x. & tit. de impreſſ. libror.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 4. decret. de edit. Libror.* (3) *S. Auguſt. enarrat. 1. in pſal. 38.*

ſis a Suprema Sanctiſſimæ Inquiſitionis Congregatione ſancita ſunt, accurate obſervent. Signum crocei coloris, quo a chriſtifidelibus ſecernantur, ut pontificiæ ferunt Conſtitutiones, (1) nunquam dimittant. Omnes ſub eodem tecto inhabitent, ex quo noctu exire non audeant. Moniales, vel alias quaſcunque fœminas, quæ in communitate vivunt, ſub quocumque prætextu alloqui, ſine noſtra, aut Vicarii Noſtri Generals licentia, non præſumant. A rebus ſacris quibuſcunque coemendis abſtinebunt. Cum chriſtianis familiariter non agant; ludere, comedere, bibere, aut ſimile aliud quidpiam cum illis agere prohibentur. Non eos ſibi famulari jubeant, aut permittant; (2) non ſe ab iis dominos vocari patiantur: (3) non ad ſuos lactandos filios chriſtianas nutrices adhibeant. Diebus feſtis de præcepto neque ulla opera ſervilia publice exerceant, neque contractus ineant: uſuras ratione mutui, ſive quocunque alio nomine a chriſtianis non extorqueant. Fœneratores gravioribus pœnis afficientur.

VIII. Fideles vero viciſſim a Judæorum conſuetudine, & familiaritate abhorrebunt. Non illis, ſabbatis præſertim, aliiſque eorum feſtis diebus, famulentur, non ad ſuas curandas infirmitates judæos medicos arceſſant; (4) non mulieribus hæbreis filios lactandos, aut nutriendos ullo modo tradant: (5) neque in iis, quæ ſupra commemoravimus, participes, ſeu ſocios eſſe præſumant.

C CA-

(1) *Paulus* IV. *S. Pius* V., *Bened.* XIII., *&* *Bened.* XIV. *de Syn. Diœceſ. lib.* 6. *cap.* 4. n. 2. (2) *Edict. Clem.* XI. 2. *Aprilis* 1708. (6) *Paul.* IV. *Conſt.* Cum nimis 12. *Jul.* 1555. (4) *Ben.* XIV. *de Synod. Diœceſ. loc. cit.* (5) Rit. *Rom. de Bapt.*

CAPUT V.

De Lectionibus Sacræ Scripturæ, & de Congregationibus caſuum conſcientiæ.

I. QUANTUM dedeceat eos, qui divino cultui mancipantur, ſacrarum literarum ignoratio, is plane intelliget, qui per Malachiam dictum eſſe cogitaverit *labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent de ore ejus*. (1)

II. Quemadmodum vero non aliunde uberius, aut luculentius divina myſteria, & recte vivendi præcepta, quam ex Scripturis ſacris depromi, & hauriri poſſunt, hinc ſaluberrimo Tridentini decreto, & Benedictina conſtitutione cautum eſt, ut ne dum in Eccleſiis Cathedralibus, ſed in Collegiatis etiam oppidorum inſignium, ſi ibi clerus numeroſus fuerit, præbenda conſtitueretur, & conſtituta doctori in ſacra Theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem facultate ſuſcipiat, & cæteroquin magis idoneo in formali concurſu ab examinatoribus renunciato, conferretur, qui ſacram Scripturam exponeret, & interpretaretur (2).

III. Ut autem fructus & utilitates, quas Tridentina Synodus ex præbendæ theologalis inſtitutione perceptum iri ſperavit, omnino, & cum effectu percipiantur, Canonicus, qui theologalem præbendam in Metropolitana noſtra obtinet, ſeu obtinebit, ſuam in hoc miniſterio diligentiam deſiderari nunquam patiatur. Dominicis itaque diebus, poſt veſperas chorali indutus habitu cathedram conſcendens, ſacri textus enarratione in unaquaque lectione præmiſſa, ex ejus-

(1) *Malach. c.* 2. 7. (2) *Trid. ſeſſ.* 5. *de Reform. cap.* 1. *Ben.* XIII. *Conſtit.* Paſtoralis officii.

ejusdem textus expoſitione deductas excitet, ſolvatque quæſtiones ſive ad hiſtoriam, ſive ad fidem, ſive ad mores; ſive ad quamlibet aliam chriſtianæ inſtitutionis partem pertinentes, quæ humanæ nedum eruditioni, ſed ſpirituali etiam audientium ſaluti prodeſſe valeant. (1) Has porro lectiones per quadraginta vices in ſingulos annos habendas eſſe in Concilio Romano ſancitum fuit (2). Scimus enim vero a divinis officiis, quæ in Metropolitana noſtra celebrantur, Canonicum Theologum quominus officio fungatur ſuo, frequenter impediri; quæ tamen ex conſuetudine lectiones haberi ſolent, inconſultis Nobis, ab eo nullatenus omittantur: alias prætermiſſi muneris rationem, quæmadmodum in laudata conſtitutione cautum eſt, ſe noverit redditurum. (3)

IV. Fruſtra autem hæ lectiones haberentur, ſi auditores deeſſent. Præteritarum Synodorum acta pervolventibus, olim clericos, & ſacerdotes omnes ſæculares ad audiendas Scripturæ Sacræ lectiones compulſos eſſe compertum eſt. (4) Canonicos, & presbyteros cathedralis eccleſiæ iiſdem lectionibus intereſſe debere, eoſque ab Epiſcopo compelli poſſe, pluries ſacra Concilii Congregatio decrevit. (5) Saluberrimæ hujus legis exequutionem, ubi opus fuerit, urgere nobis conſtitutum eſt. Interim vero ſacerdotes, & clericos urbis ſingulos, potiſſimum autem Metropolitanæ clerum enixe hortamur, ut Canonico Theologo ſcripturas ſacras interpretanti adeſſe velint, firma ſpe freti, maximam inde ſibi utilitatem fore obventuram. Idipſum a capitulis, & clero, tum Argentæ, tum Portus Majoris, qui-

(1) *Conc. Rom. Tit. 1. c. 8.* (2) *Conc. Rom. Tit. 1. c. 7.* (3) *Conſtitut. cit.* (4) *Conc. Prov. Raven. Card. de Ruvere Syn. Diœceſ. Boncompagni* 1580. *Syn. Criſpi*. (5) 11. *Augnſt.* 1618. *apud. Barboſ. in Urbinaten.* 10. *Maji* 1663. *S. Cong. Ep. & Reg. in Fundana* 16. *Martii* 1593.

quibus in locis præbendas theologales ereximus, (1) preſtari vehementer exoptamus.

V. Sed & Theologiæ moralis ſcientia eccleſiaſticis ſummopere neceſſaria eſt. Huic autem comparandæ plurimum proderunt congregationes, ſeu conferentiæ caſuum conſcientiæ, quos in fine Kalendarii ſingulis annis apponi curabimus. Hæ in urbe habebuntur coram Nobis, vel Vicario noſtro generali in aula noſtri palatii: In Terra Argentæ coram Vicario noſtro Archiepiſcopali ibidem reſidente: In reliquis diœceſis noſtræ partibus coram Vicariis noſtris foraneis, ac in ea parochiali domo, quæ omnibus commodior ſit. Singulis menſibus habebuntur, Julio, Auguſto, Septembri, & Octobri exceptis; ad eas omnes animarum curam gerentes, confeſſarios, & clericos in ſacris conſtitutos convenire jubemus.

VI. Bini in ſingulos menſes caſus in urbe diſcutiendi erunt. Unus ex confeſſariis a nobis, vel a Vicario noſtro generali deputandus primi caſus reſolutionem elaborabit. Alter vero caſus primo reſolvendus erit a confeſſario ſorte delecto, tum unus ex clericis ſorte item delectus poſtremo dubio ſatisfaciet. Demum Theologus noſter, aut alter ex parochis juxta morem a Prædeceſſore noſtro inductum, audita ejuſdem caſus reſolutione a confeſſario, & clerico, ut præfertur, facta, jactis fundamentis, ex quibus quæſtionum reſolutio pendet, uberius differet, ac diſputabit.

VII. In diœceſi vero ſecundi tantum caſus ſolutione contenti erimus; congregationes tamen octies in anno haberi omnino volumus & decernimus. Illud tantum fieri indulgebimus, ut quæ hiberno tempore propter viarum aſperitatem congregationes haberi nequeunt, eæ ad menſes æſti-

vos

(1) *Decret S. Viſit. die 23. Apr. & 4. Maji 1789.*

vos transferantur. Itaque congregationum præſides certa die, atque hora pro qualibet congregatione præfinita, ea de re omnes, & ſingulos ſui vicariatus parochos, confeſſarios, ac etiam ſimplices ſacerdotes ſcripto præmonebunt. Dum omnes convenerint, brevi oratione præmiſſa, unus vel plures ex confeſſariis, juxta ſortitionem, propoſita dubia enodabunt. Poſtremo parochus, cui ſorte obtigerit, appoſite, & erudite, prout theologum virum decet, allatis, ſiquæ forte circumferantur doctorum opinionibus, quid de iiſdem dubiis ipſe ſentiat, quibus rationibus innitatur, perſpicua methodo exponat.

VIII. Hujus ſecundi caſus reſolutionem ſinguli, qui conferentiis intererunt, manu ſua ſcriptam, & ſubſignatam afferre, eamque vel cancellario noſtro in urbe, extra urbem vero congregationis præfecto, ipſa congregatione ſoluta, reddere omnino teneantur. Qui non interfuerint, ſuas tamen reſolutiones cancellario noſtro, vel eidem congregationis prefecto *reſpective* mittent, Nobis vel Vicario noſtro generali una cum aliis poſtea reddendas, ut ea perpendentes, de eorum in ſtudiis diligentia, & progreſſu ſumamus experimentum.

IX. Qui a prædictis congregationibus abſuerint, nullam abſentiæ ſuæ excuſationem a nobis approbandam afferentes, quique caſus explanationem, ut ſupra, dare neglexerint, ii per vices ſingulas pœnam quatuor juliorum dabunt nemini ullatenus remittendam.

X. Horum autem nomina cancellarius noſter in urbe, extra urbem vero congregationum præfecti diligenter adnotata Nobis exhibebunt, vel exhibenda curabunt. (1)

CA-

(1) *Synod. Guiccioli, Synod. Cantoni.*

CAPUT VI.

De Feſtorum dierum cultu .

I. QUONIAM homines terrenis occupationibus implicati, ab externo Supremi Numinis cultu facile abducuntur, divina proinde & eccleſiaſtica lege certi ſtatuti ſunt dies, quibus a negotiis, corporiſque laboribus feriati, Deum ipſum, quem alioquin intimis ſenſibus pie colerent, exteriori religionis ritu proſequerentur, mentemque cœleſtium rerum contemplatione, & myſtica quadam quiete reficerent.

II. Dies igitur feſtos divino Numini dicatos ſumma religione coli, & ſanctificari opus eſt. Nemo itaque a media nocte feſtum præcedente uſque ad aliam mediam noctem ſubſequentem, quo temporis ſpatio feſtum circumſcribitur, quicquam ſervilis operis aggrediatur. Agricolas nullis volumus ruralibus occupationibus detineri. Quod ſi hæc differi non poſſint, quin gravis jactura ſubeunda, aut timenda ſit, ex piæ matris Eccleſiæ benignitate tolerantur, & permittuntur. Nemo tamen manum operi admoveat, quin facultatem in ſcriptis a Vicario noſtro Generali, vel a Vicario foraneo, vel a proprio parocho ante obtinuerit. Hos vero monemus, & in Domino hortamur, ne plus æquo, nec niſi præviæ auditionis Sacri conditione appoſita, petentibus obſequantur; non ſimulata cauſa, non quæſitus color, ſed vera tantum & probata neceſſitas petitæ diſpenſationi locum præbeat. Statuant ſibi ante oculos præclara illa verba: *ſe decipit ipſe qui fallit, nihilque per noſtram facilitatem Tribunalis excelſi judicio derogatur, cui illa ſunt rata quæ pia, quæ vera, quæ juſta ſunt*. (1) III.

(1) *Felix* III. *ep.* 7. *apud Lambertin. Inſtit.* 65. *n.* 41.

Digitized by Google

III. Quieſcant pariter cujuslibet mechanicæ artis profeſſores. Muliones, atque agaſones, niſi jam in itinere conſtituti, a vecturis faciendis, ſeu locandis, (1) bajuli a ferendis oneribus abſtinebunt. Porcos mactare, in fruſta concidere, ſalſamenta conficere vetitum eſt: ſuere, penſa trahere, neta texere, linteorum ſordes abluere, & quidquid aliud eſt fœminæi operis, interdicitur. Quæ ferialibus diebus commode præſtari poſſunt, ne in feſtos doloſe rejiciantur. Invaleſcentem apud ruricolas morem ſtuparios malleos, vulgo *gramole*, ad linum, cannabumque purgandum diebus feſtis, etiam poſt veſperas, ſtatuendi, a diœceſi noſtra prorſus eliminari mandamus. Qui hæc, & alia hujuſmodi agere non verebuntur, divinam ultionem reformident, ac præterea pœnis in Edicto noſtro ſub die prima Auguſti 1787. alias edito ſtatutis ſciant ſe eſſe ſubjiciendos.

IV. Ægrotantium neceſſitati, populorum commodo, ſimulque reverentiæ feſtis diebus debitæ proſpicientes, laudatum edictum noſtrum pharmacopolis, barbitonſoribus, tabernariis, aliiſque hujuſmodi, ſive in urbe hac, ſive in diœceſi exiſtentibus iterum intimamus, (2) ut quæ inibi ſancita perſpexerint, accurate ſervent.

V. Sileat etiam judiciale forum: actiones tum criminales, tum civiles, præterquam in caſibus in jure expreſſis, intermittantur. (3)

VI. Mercatus, qui in diœceſi noſtra haberi ſolent, ſi in diem feſtum inciderint, in antecedentem, vel ſubſequentem diem erunt transferendi.

VII. Nundinas etiam diebus feſtis intermitti æquum eſſet.

(1) *Conſtit. S. Pii v.* Cum primum 19. *Apr.* 1566. *& ex decret. S. Congr. Conc.*
(2) *In appendice n.* 1. (3) *Can.* nulli. *Can.* Conqueſtus *de feriis. Synod. Prov. Raven. Boncompagni, Synod. Feretti, Guiccioli, Cantoni.*

ſet. *Sed ne pejora contingant abſurda, præcipimus, quod poſſumus, non quod optamus*. Cum itaque experientia compertum ſit, frequentes vix haberi poſſe nundinas extra dies feſtos, quibus confeſtim populi confluunt, quovis alio ſoluti labore, ac negotio, hinc ne commoda, atque commercia humanæ vitæ opportuna minuantur, eas diebus feſtis fieri indulgemus, ea tamen lege, ut matutinis, & pomeridianis horis, quibus divina officia in Metropolitana noſtra, in urbe, aut in Collegiatis, & parochialibus eccleſiis in diœceſi celebrantur, vel Dei verbum populo annunciatur, apothecæ claudantur, contractus non fiant, nec publica poſſint exerceri commercia, ut qui ad nundinas confluxerint, miſſæ ſacrificio, & divinis officiis interſint, aliiſque chriſtianis operibus feſtum ſanctificent. Hæc apoſtolica auctoritate conſtituta (1) qui negligere auſi fuerint, pœnis ſeverioribus coercebuntur.

VIII. Quod ſi a ſervilibus operibus feriandum eſt, quod animum a divino cultu abducant, quanto magis ab illiberalibus ludis, ebrietatibus, impudicitiis, aliiſque tenebrarum operibus abſtinendum, quibus homo peccati ſervus efficitur, (2) & a Dei charitate ſeparatur.

IX. Neque vero cum a prædictis fideles quieverint, ac ceſſaverint, continuo eos diem feſtum plene, & perfecte celebraſſe putandum eſt. Sacroſancto igitur altaris Sacrificio pia, ac religioſa animi attentione omnes interſint: ac præterea meminerint dies feſtos in eum finem inſtitutos eſſe, ut in precibus, diviniſque laudibus frequentes, & aſſidui ſint, ut eccleſiis interſint, ſacramenta ad animæ vulnerum curationem comparata adhibeant, egenis eleemoſynam tribuant, ægros viſitent, mœrentes ſolentur, aliiſque pie-

(1) *Ben.* XIV. *conſtit.* Ab eo tempore 5. *Nov.* 1745. (2) *Joan.* 8.

pietatis, ac religionis officiis ſe exerceant, ut demum Sanctos una cum Chriſto regnantes, tamquam patronos, congruis honoribus proſequantur. (1)

X. Quoniam vero fideles divinis rebus vacantes profana aliquando oblectamenta interpellant, curandum propterea nobis eſt, ut ea omnia removeantur, quibus dierum feſtorum cultus perturbari poſſet. His itaque diebus non publici ludi, non choreæ, & ſaltationes, (2) aut id genus alia habeantur. Circulatores, ludiones (3), aliique hujus furfuris homines non prodeant, nihil venale promant, non unguenta, non opobalſama, non aliud quidpiam, etiam medicinæ prætextu, & quacumque licentia, præterquam noſtra, ſuffulti (4) exponant, aut vendant, geſticulationes, aliaque præſtigia in vulgus non edant; citharædi a muſicis inſtrumentis pulſandis ceſſent; nemo larvatus egrediatur (5). Cauponæ, popinæ, & ſimilia loca commeſſationibus, compotationibus, & ludis, prout in citato edicto cautum eſt, occludantur, ſolis advenis, & mendicis recludenda. Nihil omnino venale prope eccleſias proſtabit, ac ne ea quidem, quæ religionis, & pietatis ſpeciem præſeferunt.

XI. Præter feſta catholico orbi communia, dies Sancto Apollinari primo hujus Eccleſiæ Antiſtiti ſacer ab univerſa hac diœceſi ſolemniter colendus, ac celebrandus eſt.

XII. Animarum curatores quolibet die dominico ſacrum peragentes futura omnia ineuntis hebdomadæ feſta populo ſignificabunt: (6) utque ſe ſe obtulerit occaſio, commoda, atque utilitates, quæ ex feſtorum dierum reli-

D gio-

(1) *Catech. Rom. Ben.* XIV. *conſtitut.* Nihil profecto 12. *Aug.* 1742. (2) *Conc. Tolet.* III. *relat. Cap.* irreligioſa conſuetudo. 3. *de conſecrat. diſt.* 3. *S. Car. Borr. Provinc.* III. (3) *Ben.* XIV. *Conſtitut.* Inter cætera 1. *Jan.* 1748. (4) Decret. *S. C. C. die* 30. *Apr.* 1622. (5) *Bened.* XIV. *Conſtitut. cit.* (6) *Syn. Guiccioli, Cantoni*.

gioſo cultu dimanant, commemorabunt; ſimulque minas, & ſupplicia proponent iis, qui feſta temere violare, & profanare auſi fuerint, conſtituta, ut ſancto timore perculſi ab hoc graviſſimo ſcelere deterreantur. Veſpere autem pervigilii cujuslibet feſti æris campani ſonitu de ſubſequenti feſto, ut fert antiqua conſuetudo, fideles admoneantur.

CAPUT VII.

De Jejunio, & Quadrageſima.

I. QUI ſævientem in membris noſtris, rationiſque imperium detrectantem peccati legem, & effervefcentem carnis laſciviam, queis in vetitum impellitur humanum genus, jejuniorum inedia, & maceratione coerceri, hisque, levibus quaſi pennis, animum in ſublime elatum ad cœleſtium rerum perceptionem, & contemplationem attolli, juſtiſſimumque noſtrorum ſcelerum vindicem ad clementiam, & miſericordiam flecti, ſecum animo reputabunt, maximum nobis ad ſalutem præſidium in eorumdem jejuniorum diſciplina comparatum eſſe fatebuntur.

II. Indicta ſtatis diebus jejunia fideles omnes, qui vigeſimum primum ætatis annum tranſegerint, ſub lethali ſervare tenentur, niſi juſtis de cauſis a communi lege ſolvantur.

III. Unicam comeſtionem, ciborum delectum, & certam comeſtionis horam jejunii ratio, & natura requirunt. Ab iteratis igitur comeſtionibus abſtinendum, tolerata tamen, ex longæva univerſali conſuetudine, colatiuncula veſpertina. A carnibus quoque, nec non ab iis omnibus, quæ *ſementinam carnis trahunt originem*, *a lacte vide-*

delicet , *caſeo* , & *ovis* temperandum . Refectio autem ne notabiliter ante meridiem ſumatur .

IV. Inter præcipua orthodoxæ diſciplinæ capita adnumerandum quadrageſimale jejunium , *quod olim in lege* , & *in Prophetis primitus adumbratum* , *ipſius Domini noſtri Jeſu Chriſti exemplo veluti conſecratum* , *ab Apoſtolis traditum* , *a ſacris canonibus ubique præſcriptum* , & *ab univerſali Eccleſia ab ipſo ſui primordio retentum* , & *obſervatum eſt* . (1) Hoc nimirum nobis quotidie peccantibus communis pœnitentiæ remedium conſtitutum eſt , ut per conſortium crucis Chriſti nos etiam aliquid in eo , quod ipſe propter nos præſtitit , ageremus , utque *corpore mortificati* , & *Chriſto conſepulti* , *ad novam in paſchali ſolemnitate novi hominis vitam revocati* , *magna cum fiducia reviviſcenti Chriſto Domino occurremus* . (2)

V. Quicumque per ætatem alia infra annum jejunia ſervare tenentur , hujus etiam quadrageſimalis abſtinentiæ lege obſtringuntur .

VI. Qui eſurialibus cibis ferendis vires ſibi deeſſe putaverint , non illico ſe carnibus , aut lacticiniis impune uti poſſe , exceptis repentinis caſibus , arbitrentur . *Illi vero* (ſunt verba Concilii Toletani) *quos aut ætas incurvat* , *aut languor extenuat* , *aut neceſſitas arctat* , *non ante prohibita violare præſumant* , *quam a ſacerdote permiſſum accipiant* . (3)

VII. Hæc autem diſpenſatio *nemini ſine legitima cauſa* , & *de utriuſque medici conſilio* impertienda eſt . (4) Medici itaque in primis teſtimonium ſcripto exaratum , quo legitimam diſpenſandi cauſam adeſſe conſtet , ſibi comparabunt ; tum illud a proprio parocho , vel confeſſario ſubſigna-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Non ambigimus 30. *Maji* 1741. (2) *Clem.* XIII. *Conſtit.* Appetente 20. *Decembr.* 1759. (3) *Conc. Tolet.* VIII. *can.* IX. (4) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.*

ſignari curabunt: poſtremo ad canonicum pœnitentiarium, vel canonicum theologum licentiam impetraturi accedant (1). In Villis vero, in quibus nullus invenitur medicus, ſolius parochi licentiam poſtulamus (2). Hæc pro ſingularibus obtinendis diſpenſationibus methodus omnino ſervetur. Ii vero, quorum fidei, & conſcientiæ hoc negotii commiſſum eſt, rem hic agi non exiguam, ſed graviſſimam reputantes, nihil antiquius habeant, quam ut munere ſuo ea qua decet integritate fungantur. Medici præſertim inquirant diligenter, quid cujusque vires valeant, quid ferre recuſent (3). Quibus lactantia ſufficiunt, carnes denegabunt. Meminerint non deeſſe fideles a chriſtiana pœnitentia abhorrentes, qui ne leve aliquod modicæ abſtinentiæ incommodum perferant, affectæ valetudinis cauſam doloſe objiciunt. Qui minus caute in re tanti momenti ſe geſſerint, ſciant ſe diſtrictam ſupremo Judici rationem reddituros.

VIII. Diſpenſatio vero pro tota civitate, oppido, vel populo, hæc omnino a ſancta Sede, quoties opus fuerit, impetranda eſt. Non eſt autem petenda, niſi ex *graviſſima, & urgente neceſſitate*. (4)

IX. *Igitur peculiares morbi, quamvis frequentes, inpoſterum pro cauſa ſolvendæ abſtinentiæ non adducantur. Quis enim ſibi perſuadere poſſit cives univerſos alicujus urbis, & diœceſis eodem tempore graviſſimo morbo teneri, vel in eodem diſcrimine verſari omnes, ut periculoſam ægritudinem contrabant?* (5)

X. Sed neque ſufficiens cauſa reputanda eſt, quod *forte piſces, vel ova caro pretio vendantur. Sicut enim urbes ba-*

(1) *Conc. Prov. Rav.*, *Card. de Ruvere*, *Syn. Guiccioli*, *Cantoni*. (2) *Conc. Prov. cit.* (3) *Lambertin. Inſtit.* 15. (4) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* Non ambigimus. (5) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Libentiſſime 10. *Jun.* 1745.

habent egenos cives, *ita etiam opulentos*, *e quibus etiam alii vitæ ſuſtentationem labore*, *ac ſudore ſibi comparant ; alii vero patrimonio*, *ac divitiis ſatis ſuperque abundant . Itaque ſi emendis piſcibus grave pretium ſolvendum ſit*, *id quidem egenis civibus*, *non autem divitibus ſuffragatur* . (1)

XI. Juſtæ igitur petendæ , & obtinendæ a quadrageſimali temperantia generalis diſpenſationis cauſæ, binæ tantum recenſentur .

XII. Prima cum morbi *civibus univerſis communes habentur* , *ob aliquam aeris corruptionem ;* ſeu cum medicinæ profeſſores ſcripto teſtantur , morbos *eſſe talis naturæ* , *ut nulla ætas libera* , *& incolumis eſſe queat* , *& affirmant illis ipſis* , *qui inter cives ſalvi* , *& integri numerantur* , *eamdem perniciem imminere* .

XIII. Altera legitima cauſa tunc aderit , *ſi revera in aliquo loco neque oleum* , *neque piſces comparari poſſint* . (2)

XIV. Ubi igitur de graviſſima , urgenteque neceſſitate , juxta ſuperius dicta , conſtabit , officium noſtrum apud ſanctam Sedem pro obtinenda quadrageſimalis obſervantiæ relaxatione numquam deſiderari patiemur . Tum vero ſolum carnium eſum poſtulabimus , cum , interpoſito medicorum teſtimonio , id omnino neceſſarium judicabitur ; nec ſufficiens neceſſitati remedium afferri conſtabit, ſi ova tantum , & lacticinia concedantur . (3)

XV. Eos vero , qui hujuſmodi facultatibus utentur , præmonendos duximus , ad binas conditiones implendas ſub gravi teneri , videlicet *ne jejunii lex unius per diem comeſtionis ullo modo violetur* , *ac ne ſimul in menſa carnes* , *& piſces apponantur* . (4) Quæ quidem geminæ conditiones ſi-

ve

(1) *Ben.* XIV. *cit. Conſtit.* (2) *Ben.* XIV. *cit. Conſtit.* (3) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* (4) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.*

ve in quadrageſima, ſive cum aliud quodpiam jejunium indicitur, ſervari debent (1).

XVI. Memorata autem conditio de utroque epularum genere non miſcendo, dies quoque dominicos quadrageſimales complectitur. Piſcibus tamen edendis non interdicuntur ii, quibus datur tantum facultas adhibendi ova, & lacticinia (2).

XVII. In veſpertina refectione, quæ permitti jejunantibus conſuevit, carnes, aut quæ ex carne originem trahunt, nullo modo adhibeantur; ſed eo utendum eſt cibo, eaque portione, quibus utuntur homines rectæ, & meticuloſæ conſcientiæ (3).

XVIII. Porro jejunantes a carnium abſtinentia diſpenſati, unica excepta comeſtione, in omnibus æquiparantur iis, quibuscum nullo modo diſpenſatum eſt; atque hinc potiones lacte permixtas ſibi licere falſo præſumerent. (4)

XIX. Carnes, alioſque cibos, quorum uſus jejunantibus interdicitur nemo quadrageſimali tempore vendere audeat, niſi qui ea venditandi pro ægrotantibus, & valetudinariis a Nobis, vel a Vicario noſtro generali in urbe, in diœceſi vero a Vicariis foraneis, vel a parochis facultatem obtinuerit. Ea vero ne proſtent, ſed pannis obtecta in abditis apothecæ ſerventur; neque omnibus indiſcriminatim veneant, ſed iis tantum, qui facultatem, quam ſupra indicavimus, exhibebunt. Qui ſine hac facultate vendere, aut emere præſumſerint, trium ſcutatorum pœna ſingulis incurrenda vicibus, aliiſque arbitrio noſtro punientur.

XX. Iisdem obnoxii erunt pœnis caupones, & tabernarii, qui vetitos jejuniorum tempore cibos miniſtrabunt, aut

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* (2) *Ben.* XIV. *in Epiſtola* Si Fraternitas tua. 8 *Jul.* 1744. (3) Ben. XIV. *Epiſt. cit.* (4) Clem. XIII. *Encyc.* Appetente 20. *Decem.* 1759.

aut parabunt, quique parari, iiſque quemquam veſci, niſi prædicta facultate exhibita, patientur.

XXI. Mercatorum officinæ, tabernæ, aleatoria loca, aliaque vulgo *Caffè* civitatis, & diœceſis, cum primum æris campani ſignum pro concione edi cæperit, etiam feriatis diebus, adeo claudantur, ut altera tantum oſtii pars pateat, nec, niſi concione abſoluta, reſerentur; ſtatuta in contrafacientes trium ſcutatorum pœna quaque vice incurrenda, & piis locis arbitrio noſtro applicanda. Eamdem ſubibunt pœnam circulatores, qui quadrageſimali tempore in plateis, aliiſque civitatis, & diœceſis locis prodire, ludibundi ſpatiari, ſuaſque ſcurilitates exercere auſi fuerint.

XXII. Eorum vero ſatis non poſſumus execrari licentiam, ſeu potius inſaniam, qui vigilias, choreas, ludos poſtrema bacchanalium die celebrari ſolitos ultra mediam noctem producunt, cum jam non ridendi, ſed flendi tempus adveniſſe æris campani ſigno admonentur. Si quos invenire erit hujus notæ homines, congruis remediis eorum audaciam coercebimus. (1)

XXIII. Sed in eos maxime noſter exardeſcet zelus, qui primo quadrageſimæ die dominico choreis ſe devoverint. Qui igitur eo audaciæ, & irreligionis progreſſi fuerint, ut tantam injuriam ſacratiſſimo quadrageſimæ tempori inferre non dubitaverint, ſciant ſe pœnas daturos ſeveriores, & in ſubſidium etiam excommunicatione afficiendos. (2)

XXIV. Ne vero jejuniorum neglectui ignoratio ulla prætendi poſſit, animarum paſtores dominico quoque die inter miſſarum ſolemnia de occurrentibus in hebdomada eſurialibus feriis, nec non de jejunio Sancti Apollinaris feſto ab univerſa hac diœceſi præmittendo populum præmonebunt.

XXV.

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Inter cætera 1. *Jan.* 1743. (2) *Sinod. Criſpi*, *Guiccioli*, *Cantoni.*

XXV. Omnes interim in Domino cohortamur, atque obſecramus, ut indicta jejunia ſumma animi alacritate ſuſcipiant, & congrua religione perficiant: non ſuavitates exquirant in dapibus, non cupediarum delicias ſectentur, quæ quamvis cum abſtinentia a vetitis cibis non diſcrepare videantur, tamen eas qui menſæ apponat ſuæ, illum non immerito dixeris, non tam uſitatas abjeciſſe delicias, quam cupiditatem ſuam ad inuſitatas illecebras traduxiſſe. (1)

XXVI. *Sed quia non ſolo jejunio animarum noſtrarum ſalus acquiritur, jejunium noſtrum miſericordiis pauperum ſuppleamus. Impendamus virtuti quod ſubtrahimus voluptati. Fiat refectio pauperis abſtinentia jejunantis* (2). Qui vero ab alimentis abſtinent, a noxiis quoque vitiis ceſſent. Fruſtra enim corpus per abſtinentiam conteritur, ſi interim corda in flagitiorum cœno volutentur.

XXVII. Eos denique, qui communem omnium chriſtifidelium pœnitentiam, ac diſciplinam ſervare nequeunt, commonere non prætermittimus, *ne per alia pietatis opera, ut ſua cuique devotio ſuggeret, peccata ſua expiare, & Deo ſatisfacere negligant; quinimo ſanandis vulneribus, quibus humana infirmitas ſauciatur, diligentem adhibere ſtudeant curationem, ut culpas de mundano pulvere contractas, dum caſta jejunia decoquere non poſſunt, per pia opera, orationum ſuffragia, & eleemoſynæ munera redimant.* (3)

CA-

(1) *Clem.* XIII. *Encyc.* Appetente 20. *Dec.* 1759. (2) *S. Leo Serm.* 2. *de jejun.* (3) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* Non ambigimus.

CAPUT VIII.

De ſacris Reliquiis, & Imaginibus.

I. SACRARUM Reliquiarum, & Imaginum cultum a primævis chriſtianæ religionis temporibus receptum, unanimi Sanctorum Patrum conſenſu comprobatum, continua mirabilium rerum virtute, & cœleſtium donorum gratia commendatum, convellere, atque evertere conati ſunt hæretici, (1) quorum errores jampridem ab Eccleſia reprobatos, (2) iterum Tridentina Synodus condemnavit. (3)

II. Sed quoniam Paſtoralis officii noſtri ratio poſtulat, ut a ſacrarum Reliquiarum, & Imaginum cultu omnem ſuperſtitionem, & turpem quaſtum eliminemus, (4) hæc propterea, quæ ſequuntur, edicimus.

III. Nemo ſive ſæcularis, ſive regularis Sanctorum Reliquias, publicæ fidelium venerationi exponat, etiam in eccleſiis quomodolibet exemptis, niſi a Nobis, vel a Deceſſoribus noſtris ante recognitas, vel approbatas fuiſſe conſtiterit. (5)

IV. Reliquiæ, quarum dubia fides eſt, publicæ venerationi non proponantur, ſed honeſtatis cauſa decenti, ac tuto loco recondantur, & aſſerventur. (6) Sanctorum Reliquiæ de novo effoſſæ, vel inventæ non recipiantur, Nobis inconſultis, qui ſimul atque de iis aliquid compertum habebimus, adhibitis in conſilium theologis, aliiſque piis viris, quod veritati, ac pietati conſentaneum viſum fuerit, ſtatuemus. (7)

E V.

(1) *Vigilantius, & Iconoclaſtæ.* (2) *In II. Nicæna Syn.* (3) *Seſſ. 25. decret. de invocat. vener., & Reliq. Sanct., & ſacr. Imag.* (4) *Trid. loc. cit.* (5) *Trid. loc. cit.* (6) *Syn. Prov. Rav. Card. a Ruvere, & Boncompagni. S. Cong. Rit. Syn. Guiccioli, & Cantoni.* (7) *Conc. Trid. loc. cit.*

V. Qui Reliquias a Summo Pontifice approbatas ſe habere glorientur, caveant, ne fidelium pietati colendas exponant, niſi Nobis factum rite probaverint, nihilque fraudis ſubeſſe docuerint. (1)

VI. Eorum Reliquias, qui cum ſanctitatis, aut martyrii fama, vel opinione defuncti ſunt, ex privata devotione quidem, ſeu cultu privato, qui nec nomine Eccleſiæ, nec tamquam ab ipſa inſtitutus exhibetur, coli, & venerari fas eſt, non autem publico cultu, qui nomine Eccleſiæ, vel tamquam ab ipſa inſtitutus deferatur. (2)

VII. Non modo autem Sanctorum, qui canonizati ſunt, ſed etiam Beatorum Reliquiæ cultum, & venerationem promerentur; hoc tamen interpoſito diſcrimine, quod illorum Reliquias ubique, & quovis cultu publico proſequi liceat, iſtorum vero eo tantum loco, eoque publico cultu, quem Summus conceſſerit Pontifex, quique in brevibus conceſſionis exprimi conſuevit: illorum in proceſſionibus Reliquias circumferre actus religionis eſt; iſtorum vero non item. (3)

VIII. Reliquiæ aliæ appellantur inſignes, ſcilicet integrum corpus, caput, brachium, crus, vel ea pars corporis, in qua paſſus eſt Martyr, dummodo ſit integra, & non parva; aliæ vero dicuntur parvæ. Eccleſiis, quæ primi generis Reliquiis gaudent, ſi de illarum identitate conſtet, ſintque de Sanctis in martyrologio romano relatis, diem illi Sancto, cujus eſt Reliquia, feſtum ſolemni Miſſæ Sacrificio, & divinorum officiorum ſub ritu duplicis minoris recitatione celebrare jure conceditur, (4) non tamen cum octava, niſi id peculiariter a Sede Apoſtolica indultum ſit. (5)

IX.

(1) *Sixtus v. Conſt.* 88. *incip.* Dominus. *S. Cong. Rit.* 19. *Octobr.* 1691. (2) *Cap.* cum ex eo 2. *de reliq. & venerat. Sanct. Lambertin. l.* 2. *c.* 7. *n.* 7. *de Servorum Dei Beatific. & de Beat. canonizat.* (3) *S. Cong. Rit. ſub Alex.* v.1. 1659. (4) *S. Cong. Rit.* 8. *Apr.* 1628. (5) *S. Cong. Rit.* 12. *Aug.* 1613.

IX. Dum Reliquias ad altare pro earum expoſitione deferri contigerit, id ſacerdotis miniſterio, ſtola, & ſuperpelliceo induti, omnino peragatur. Quod ſi inſignes fuerint, hoc ſolemniore ritu, & majori cum reverentiæ ſignificatione præſtandum erit, præeuntibus nimirum clericali habitu miniſtris lumina deferentibus, pſalmos, & hymnos canentibus. Ubi vero ad ſacram aram perventum fuerit, unde fidelium venerationi exhibendæ erunt; hæ in propria ſede, cui nulla deſuper umbella immineat, collocentur, ac illarum antiphona decantata, congrua oratio recitetur. (1)

X. Quo tempore ſacræ Reliquiæ erunt expoſitæ, duo ſaltem cereæ faces in altari, aut lampades colluceſcant. (2)

XI. Si eodem in altari Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum exponendum ſit, Sanctorum Reliquiæ amoveantur. (3)

XII. Antiquis Reliquiis, de quarum identitate non conſtat, ea veneratio impertienda eſt, quam hactenus obtinuerunt. Quare ſi ex diuturnò tempore exponi conſueverunt, eas in poſterum exponi non repugnabimus. (4)

XIII. In vaſculis, ſeu thecis, benedictione noſtra donandis, (5) affabre elaboratis, & ſericis velis, quæ Sanctorum ordinibus ſuo colore reſpondeant, rubri nempe coloris, ſi ſint Martyres, albi, ſi Virgines, viridis ſi Confeſſores, ſi autem Chriſti Domini, aut Beatæ Virginis, panno auro texto involutæ (6), ac inſcriptis ſingulorum Sanctorum, quorum ſunt, nominibus, excipiantur Reliquiæ; tum cryſtallo ſuperpoſito claudantur, ſerico filo obligentur, & ſigno noſtro hiſpanicæ ceræ impreſſo per deputatos a Nobis

bis

(1) *Syn. Prov. Raven. Boncompagni Syn. Aldobrandini, Ferretti, Cantoni.* (2) *S. Rit. Cong. 22. Jan. 1701. Syn. Cantoni* (3) *Inſtruct. Clem. XI. 20. Jan. 1705.* (4) *S. Cong. Conc. apud Bonac. Barboſ. Monacel.* (5) *Pontif. Rom. hoc tit.* (6) *Syn. Ferretti, Criſpi.*

bis muniantur, ac demum ſchedulæ de more exarentur, quibus Reliquiarum identitas comprobetur.

XIV. Sanctorum Reliquiæ in tabernaculo, ubi Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſervari conſuevit, nunquam retineantur. (1)

XV. Eccleſiarum rectores, in quibus Sanctorum adſunt Reliquiæ, curent, ut in eccleſia, vel in ſacrario decens locus paretur, in quo recondantur, cum inſcriptione grandioribus characteribus exarata, qua fideles admoniti Sanctorum Reliquias eo loci aſſervari, ad eorum præſidium invocandum invitentur. (2)

XVI. Quæ vero eccleſiæ Sancti alicujus inſigni Reliquia decorantur, eam lampade, ſaltem diebus feſtis, prælucente, populo indicare non prætermittant. (3)

XVII. Corpora, & inſignes Reliquiæ Sanctorum, vel Beatorum, nec non Servorum Dei, in quorum beatificationis cauſis Sedes Apoſtolica jam manum appoſuit, de civitate ad civitatem, vel de eccleſia ad eccleſiam, inconſulta prædicta Sede Apoſtolica, non transferantur. Illorum vero Servorum Dei corpora, in quorum cauſis, ut præfertur, Sedes Apoſtolica nondum manum appoſuit, accedente noſtra licentia, transferri poterunt. (4)

XVIII. Deceſſorum noſtrorum (5) veſtigia perſequentes, pœnam excommunicationis in laicos, ſuſpenſionis vero in clericos, ipſo facto incurrendam, Nobiſque reſervatam ſtatuimus, qui corpora Sanctorum, vel eorum inſignes Reliquias diſtrahere, vel ab eccleſiis, in quibus aſſervantur, auferre auſi fuerint.

XIX. Reliquias abradere, ut earum pulvis deglutiendus

(1) *S. Cong. Rit. 22. Febr. 1593.* (2) *Syn. Prov. Rav., Boncompagni, Criſpi.* (3) *Syn. Capponi, Ferretti, & Criſpi.* (4) *Lambertin. loc cit. l. 4. part. 2. cap. 21.* (5) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.*

dus præbeatur ægrotis, Sacræ Congregationis decreto vetitum eſt. (1)

XX. Abuſum vero, ſi alicubi forte invaluit, Sanctorum inſignes Reliquias ad ægrotos deferendi, tolli omnino volumus, & præcipimus. (2)

XXI. Inter ſacras Reliquias videntur quodamodo recenſendæ ceræ illæ imagines, quæ a Summo Pontifice ſolemni ritu, & precibus benedici, & conſecrari, quæque ab agni effigie in illis impreſſa *Agnus Dei* appellari conſueverunt. Mirabilem harum virtutem, & efficaciam verſibus, & ſoluta oratione proſequuti ſunt eccleſiaſticorum rituum ſcriptores, quos inter Benedictus XIV. (3) Eas igitur *decenter, ac reverenter a cunctis haberi, deferri, & cuſtodiri præcipimus*. (4) Quemadmodum vero laudabile eſt tales Agnos Dei thecis honorificis excipere, & circumornare, ita eos pingere, minio inficere, auro, vel colore aliquo obducere, aut venales habere ſub pœna excommunicationis interdicitur. (5) Eos item liquefacere, ut, alia ſuperaddita cera, multiplicentur, vetitum eſt, niſi peculiari privilegio indultum ſit.

XXII. Imagines Chriſti, Deiparæ Virginis, & aliorum Sanctorum in templis præſertim habendas, & retinendas, eiſque debitum honorem, & venerationem impertiendam eſſe, firma fide credimus, & profitemur. Sed ne aliquem errore ductum, aut ſuperſtitione imbutum a vero earum cultu aberrare contingat, parochi diligenter explicabunt, Imagines ipſas non ideo colendas, *quod credatur ineſſe aliqua in iis divinitas, vel virtus, propter quam ſint colendæ, vel quod ab eis ſit aliquid petendum; vel quod fiducia*

cia

(1) *S. Cong. Ep.* 17. *Decembr.* 1591. (2) *Conc. Prov. Mediolan.* I. (3) *Ben.* XIV. *in formula impreſſa in appendice ad Tom.* III. *Bullarii num.* 5. (4) *Greg.* XIII. *In Conſt.* Omni certe 11. *Jan.* 1572. (5) *Greg.* XIII. *Conſt. cit.*

cia in imaginibus ſit figenda, veluti olim fiebat a gentibus, quæ in Idolis ſpem ſuam collocabant, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant; ita ut per Imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus, & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum illæ ſimilitudinem gerunt, veneremur. (1) Earum vero inſtitutum eo dirigi declarabunt, ut beneficiorum Dei memoria excitati, ad ipſum colendum, atque diligendum vehementius inflammemur, & ſalutaribus Sanctorum exemplis, quorum Imagines oculis ſubjiciuntur, moniti, ad eorum imitationem vitam, moreſque noſtros componamus. (2)

XXIII. Nemini liceat in ſacris ædibus, etiam quomodolibet exemptis, ullam inſolitam inferre Imaginem, niſi a Nobis ante approbata fuerit, (3) & eccleſiaſtico ritu benedicta. (4)

XXIV. In ſacris Imaginibus effingendis *omnis laſcivia vitetur, ita ut procaci venuſtate non pingantur, nec ornentur.* (5) Nihil iſtæ indecens, indecorum, profanumque præſeferant, atque hujuſmodi ſint, ut in illis inſpiciendis pietas excitetur, nec quicquam in iis appareat, quod prototypo, & exemplari ſuo ex approbata Eccleſiæ conſuetudine non conveniat. (6)

XXV. Licet Divinitatis, & Angelorum forma nullo artificio effingi, nullis coloribus, aut figuris exprimi poſſit, attamen Trinitatis Perſonæ, & Angeli rite ſub iis formis exprimuntur, ſub quibus tam in veteri, quam in novo Teſtamento apparuerunt. (7)

XXVI. Sacris Imaginibus non appingantur profanæ patro-

(1) *Conc. Trid. loc. cit.* (2) *Catech. Rom. par.* III. *Cap.* 2. (3) *Conc. Trid. loc. cit. S. Cong. Conc.* 5. *Jun.* 1700 *apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœc. l.* 9. *cap.* 15. *n.* 5. (4) *Pontif. & Rit. Rom. de benedict. Imag.* (5) *Conc. Trid. loc. cit.* (6) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.* (7) *Ben.* XIV. *Conſt. incip.* Sollicitudinis noſtræ: 1. *Oct.* 1745.

tronorum, vel benefactorum effigies. Siquæ alias fuerint appictæ, ſuperinductis coloribus deleantur. (1)

XXVII. Nullius Servi Dei in Sanctorum, aut Beatorum albo nondum ab Eccleſia relati Imaginem cum ſplendoribus, radiis, aut aliis ſanctitatis ſignis liceat effingere, multoque minus in eccleſias inferre, diſtribuere, & publicæ venerationi exponere; pœnas ſeveriores arbitrio noſtro daturi tam pictores, & ſtatuarii, qui ſimiles Imagines fingere auſi fuerint, quam eccleſiarum rectores, & patroni, qui eas in altari apponi, vel aliter publico cultui exponi permiſerint. (2) Quin ne ullius quidem Sancti, vel Beati, cujus cultus ab Eccleſia approbatus ſit, Imagines venales habere niſi noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis in urbe, in diœceſi vero Vicarii Foranei licentia in ſcriptis acceſſerit, nemo præſumat, ſub pœnis arbitratu noſtro inferendis.

XXVIII. Cruces, & ſacræ Imagines humi, vel aliis indecoris locis, ubi vel pedibus conculcari poſſint, vel ſordibus exponi, nunquam efformentur, neque pro inſignibus tabernarum appendantur. Siquæ expreſſæ, vel appoſitæ ſint, deleantur omnino, tollanturque, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis. (3) Si quæ vero in viis publicis, aliiſque honeſtis locis proſtent nimia vetuſtate fatiſcentes, vel ab iis, quorum intereſt, inſtaurentur, vel penitus auſerantur. (4)

XXIX. Omnes Sanctiſſimi Salvatoris, & Sanctorum Imagines, nec non Cruces in eccleſiis exiſtentes, ex præſcripto S. Rituum Congregationis, tempore paſſionis obtegantur. (5)

XXX. Oblationum, ſi quæ fiant Imagini etiam intra fi-

(1) *Syn. Criſp. Conc. Prov. Mediol.* I. (2) *Urb.* VIII. *Conſt.* 27. *incip.* Sanctiſſimus. (3) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni Syn. Criſpi, Guiccioli, Cantoni, S. Cong.* 17. *Maji* 1596. (4) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni Syn. Criſpi*. (5) *Decret. S. Rit. Cong.* 16. *Nov.* 1649.

Digitized by Google

fines paræciæ regularium exiſtenti , adminiſtrationem Nobis reſervamus . (1)

XXXI. Veſtes, quæ Beatæ V. Mariæ, & Sanctorum Imaginibus induendis adhiberi ſolent, ſint certæ, & determinatæ, neque ullis poſtea profanis uſibus deputentur . (2)

XXXII. Quæ voti cauſa offeruntur tabellæ, ſive argenteæ, ſive cujuſvis alterius materiæ, prope altaria, vel ſacras Imagines, quibus a fidelium pietate oblatæ fuerunt, appenſæ, non autem ipſimet pictæ telæ infixæ, ſerventur, nuſquam ſine noſtra licentia diſtrahendæ . (3)

XXXIII. Parochi, & concionatores fideles commonere non prætermittant, ac præſertim patresfamilias, ut a ſuis domibus obſcœnas, ac turpes Imagines, quibus ad ſæculi vanitates juvenes præcipue invitari ſolent, omnino ejiciant, ſacraſque, & pias ſuffici curent, quarum obtutu ad pietatem, & devotionem cohortentur . (4)

CAPUT IX.

De Miraculis .

I. QUONIAM homines ita a natura comparati ſunt, ut eorum, quæ in hac immenſa rerum univerſitate aſſidue oculis obverſantur, aſpectu parum commoveri ſoleant, ingentibus propterea prodigiis, quæ naturæ vires excedant, identidem excutiuntur, ut inuſitata eorum novitate perculſi, ſummam Dei virtutem, & poteſtatem admirentur, rebuſque divino afflatu patefactis firmiorem præbeant aſſenſum .

II. Hæc Deum portenta tum in veteri, tum in nova lege per ſe, perque Sanctos ſuos, in quibus ſe mirabilem prædicari gaudet, pluries edidiſſe, utriuſque fœderis pagi-

næ

(1) *S. Cong. Ep. & Reg. in Peruſ.* 20. *Sept.* 1605. *S. Cong. Conc.* 1727., *& alias.* (2) *Cap.* mancipia 3 *de rer. permut. & cap.* veſtimenta 32. *de conſecrat.*, *diſtin.* 1. *Syn. Criſpi.* (3) *Syn. Ferretti.* (4) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni.*

næ aperte teſtantur : hæc noſtris etiam temporibus operari cum incomprehenſibilis conſilii ſui ratio poſtulat , probe novimus . Sed quia haud raro contingit , ut vel inconſulta vulgi temeritate , vel turpis gratia quæſtus falſa aliqua , & conficta miracula celebrentur , hinc Tridentini decretis inhærentes ſtatuimus , *nulla admittenda eſſe nova miracula* , niſi Nobis recognoſcentibus , & approbantibus . (1)

III. Cum primum itaque *vulgi concurſu* , *& populi clamore quid pro miraculo promulgatur* , (2) eccleſiarum etiam quomodocumque exemptarum rectores , & domini totius rei ſeriem ad Nos deferant , ut omnia cognoſcere , & quæ pro Dei gloria , & Sanctorum honore , prævia matura deliberatione , agenda videbuntur , ſtatuere valeamus . Interim tamen dum noſtrum ea de re judicium expectatur , populi clamores , & concurſus compeſcant , neque patiantur erigi altaria , aut vota , oblationesque publice ſuſpendi , ſed ea privatim retineant , donec de miraculi veritate legitime conſtiterit . (3)

IV. Caveant porro animarum curatores , aliique concionatores , ne in ſuis ſermonibus ulla recens edita miracula tamquam certa , & explorata populis evulgent ; neque alia recenſeant incerta , & abſurda , aut ineptas revelationes , quæ nullius fide digni auctoris teſtimonio comprobentur .

CAPUT X.

De Oratione .

I. UT preces ſine intermiſſione fundendas ad divina , quibus maxime indigemus , promerenda auxilia , vel

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. decret. de Reliq. Sanct. , & Sacr. Imagin.* (2) *Conc. Prov. Raven. Card. de Ruvere .* (3) *Syn. Aldobrandini Syn. Criſpi , Guiccioli , & Cantoni .*

vel ſola humanæ infirmitatis conſideratione admonemur; ita effuſæ in nos Dei beneficentiæ ac largitatis argumentis, queis aſſidue augemur, & cumulamur, jure a nobis poſtulari intelligimus, ut omni gratiarum honore eum proſequamur, ſummiſque laudibus celebremus.

II. Ut autem orandi ſtudium fidelium animis altius infigatur, orandi neceſſitatem divino præcepto nobis impoſitam eſſe (1) parochi denuntiabunt, quodque oporteat ſemper orare, & nunquam deficere, ut in omni oratione, & obſecratione, cum gratiarum actione, petitionibus noſtris apud Deum innoteſcentibus, ipſe, qui in omnes eum invocantes dives eſt, nec noſtras ab ſe deprecationes, nec ſuas a nobis amoveat miſerationes.

III. Docebunt præterea, cur, quando, qua ratione, pro quibus orare oporteat, quænam poſtulanda, & quærenda a Deo ſint. Poſtremo pie, atque ſuppliciter ad Sanctos confugiendum, ut ſalutis noſtræ patrocinium ſuſcipiant, & ſua nos apud Deum gratia tueantur; præcipue vero ad Deiparæ Virginis cultum, & invocationem hortabuntur; *Dignum quippe eſt, ut quæ laudum præconia meretur ab Angelis, obſequiis etiam frequentetur humanis, eique poſt Deum totus orbis exhibeat laudem, per quam ſuſcepit propriæ ſalutis auctorem. Optima ſane ſpes eſt apud eam habere confugium, quæ ſcilicet inter omnes cæleſtis curiæ Senatores impetrandi apud Deum primum obtinet locum.* (2)

IV. Religioſum morem ad fovendam, augendamque erga eamdem Beatam Virginem Mariam devotionem inductum, mane ſcilicet, meridie, & ſub noctem recitandi conſuetam orationem *Angelus Domini*; nec non ſub horam noctis recitandi pſalmum *De profundis*, vel ſemel Orationem Do-

(1) *Lucæ* 8. (2) *S. Petrus Damiani l. 6. ep.* 29.

Dominicam, & Salutationem Angelicam cum verſiculo *requiem* &c. in ſuffragium Animarum chriſtifidelium defunctorum; quemadmodum, & recitandi quinquies Orationem Dominicam; & toties Salutationem Angelicam ſingulis feriis ſextis hora vigeſima prima ad paſſionis, & agoniæ Domini noſtri Jeſu Chriſti memoriam recolendam, parochi enixe fidelibus commendabunt; modum, & conditiones orandi docebunt, & cœleſtium munerum copiam, quibus Summi Pontifices in hac pia inſtituta rite incumbentes cumularunt, exponere non prætermittant. (1) Singulis autem vicibus tam in Metropolitana noſtra, quam in parochialibus, aliiſque eccleſiis, ut moris eſt, pulſentur campanæ, quo chriſtifideles opportune admoniti, hoc religionis officio perſungantur. (2)

V. Vocalis orationis uſus, cui mentalis non comitetur, nullius eſt emolumenti; non enim labiis tantum, & inani verborum ſono, ſed corde etiam, & mente orandum eſt. Eſt tamen alia peculiaris precandi ratio, quæ mentalis appellari conſuevit, quæque intimo mentis, & cordis affectu tota abſolvitur. Animarum curatores, & confeſſarii ad hanc orandi rationem ineundam, & ſine intermiſſione frequentandam opportuna cohortatione fideles allicere, & indulgentiarum, quas Summi Pontifices iis, qui orationi mentali operam darent, liberaliter conceſſere, commemoratione inflammare ſtudeant, & enitantur. Quod ut alacrius aggrediantur, meminerint eoſdem cœleſtes theſauros iis itidem patere, qui orandi, ſeu meditandi rudes quomodocunque orare, & meditari docuerint. (3)

VI. Maxime vero cohortandi ſunt chriſtifideles ad illud

(1) *In Append. n.* 1. (2) *Syn. Cantoni*. (3) *Ben.* XIV. *Conſt.* Quemadmodum nihil 16. *Decembr.* 1746. *in Append. n.* 2.

lud orationum genus, quæ publice ab Eccleſiæ miniſtris nomine Eccleſiæ fiunt, ut ſacroſanctum Miſsæ Sacrificium, divina officia, ſupplicationes, & alia hujuſmodi, quæ & dignitate, & utilitate cæteris præſtant.

VII. Formulas ab Eccleſia præſcriptas in publicis orationibus omnino ſervari jubemus. His quicquam addere, ab iis detrahere, ſeu eas quomodocunque immutare nemo audeat. (1)

CAPUT XI.

De ſacris Supplicationibus.

I. PRÆCLARUM pietatis, ac religionis ſpecimen ſolemnes ſupplicationes ſemper præbuiſſe, easque vel ad Dei beneficia promerenda, vel pro collatis a ſumma ejus in nos benignitate grates digne referendas adhiberi conſueviſſe, tutiſſimumque in iis præſidium ad deprecandas calamitates, divinumque furorem reſtinguendum conſtitutum fuiſſe, & graviſſimorum ſcriptorum auctoritate, & ſacrarum Literarum monumentis edocemur. (2)

II. Hæc præſtare, hæc apud Deum publicas impetrare ſupplicationes, parochi, & concionatores, quo tempore magis opportunum fuerit, populos præmonebunt, eoſque ad hoc tam pium inſtitutum ſancte, modeſteque frequentandum excitare pro viribus conabuntur, ut quorum cauſa indicuntur, fructus, & utilitates facilius aſſequantur. Sed ut omnia rite, atque ordine procedant, quæ ſequuntur duximus ſtatuenda.

III.

(1) *Ben.* XIV. *Conſt.* Quemadmodum preces 23. *Martii* 1743. (2) *Eſdræ c.* 11. *Joſue* 6. 2. *Reg.* 6. & 3. *Reg.* 8.

III. Quæ vel ex Eccleſiæ præſcripto, vel cujuslibet loci conſuetudine haberi ſupplicationes ſolent, nunquam intermittantur, ſub pœnis arbitrio noſtro inſerendis. Extra ordinem vero, & inuſitatæ, etiam laica poteſtate imperante, non peragantur, niſi ante a Nobis indictæ fuerint, qui ex hominibus aſſumpti pro hominibus conſtituimur in iis, quæ ſunt ad Deum. (1)

IV. Scimus facultatem regularibus jure conceſſam eſſe, proceſſiones quaſdam extra monaſteriorum ſuorum clauſtra per viam ſemel electam ducendi. (2) Sed pueros, puellaſque fictitio habitu Angelos, vel Sanctos referente in ſuis ſupplicationibus admitti vetamus: (3) quod & in proceſſionibus cleri ſæcularis, & ſodalitiorum omnino interdicimus. Quas vero per eorumdem monaſteriorum ſepta haberi contigerit, ad eas fœminæ nullatenus admittantur. (4)

V. Pridie ejus diei, quo ſupplicationes habendæ erunt, feſtive pulſentur campanæ. Die conſtituta ad eccleſiam, unde ſupplicandi initium faciendum erit, mature ſe conferant quotquot intereſſe tenentur. Clerus ſæcularis talarem veſtem, ſuperpelliceum, & biretum, aut aliam pro cujuſque dignitate veſtem deferat. Regulares proprium quiſque ſui ordinis habitum induant; laicorum ſodalitates, ſuis quæque inſignibus, vexilliſque diſtinctæ. Templum ineuntes ad aram Sanctiſſimi Sacramenti, genibus poſitis, ſuppliciter procumbant, utque ibi paullulum immorati fuerint, ſinguli ſeorſim ordines conſiſtant, exeundi tempus opperientes. Inde in ordines abeant, inſtructiſque agminibus, gravi ac decoro

(1) *Ben. XIV. Conſt.* Quemadmodum preces 23. *Martii* 1743. (2) *Greg. XIII. Conſt.* 10. Cum interdum *S. Rit. Cong. in Piſaur.* 3. *Nov.* 1613., *& alias*. (3) *S. Cong. Ep. apud Monacel. t. 1. tit. 5. form. 7. n. 33. in* Placentina 4. *Sept.* 1602., *& alias apud. Nicol. verbo* proceſſio *n.* 8. (4) *Ben. XIV. Conſt.* Regularis diſciplinæ *die* 3. *Jan.* 1742.

ro inceſſu bini gradientes, litanias, pſalmos, hymnoſque ex Rituali Romano depromptos alternent. Siquæ de prælatione contentiones factæ fuerint ad Nos deferantur, ut vel eas e veſtigio componere, (1) vel aliam, prout res ipſa poſtulabit, rationem inire poſſimus. (2) Clerum, ac ſodalitates populus ſubſequatur. Fœminæ non viris immixtæ, ſed ſeorſim poſt ipſos progrediantur. (3) A mutuis colloquiis omnes abſtineant, vagos oculorum aſpectus cohibeant, graviter, modeſteque incedant, piis precationibus intenti, & cujus rei potiſſimum cauſa ſupplicatio indicta fuerit animo revolventes.

VI. Supplicantium e templo egredientes choros feſtus æris campani ſonus proſequatur, redeuntes excipiat; quod ab aliis etiam in via occurrentibus eccleſiis præſtandum erit.

VII. Viæ, per quas ſacra ſupplicationum pompa ducenda erit, non modo ſcopis diligenter mundentur, ac expurgentur, verum etiam, prout cuique facultas fuerit, religioſe, decenterque exornentur.

VIII. Eodem, quo progreſſi fuerint, ordine ad eccleſiam, unde diſceſſerunt, ſupplicantium agmina revertantur; nec quiſquam etiam regularis ante abſcedat, quam preces de more fuerint perſolutæ. (4)

IX. Ne autem ordo, & recta diſciplinæ ratio perturbetur, quod, maxime ubi multitudo convenerit, pertimeſcendum, quoties ſupplicationes habendæ erunt, præter cæremoniarum magiſtros, qui ritus moderentur, ac regant, viros idoneos, atque uſu peritos cum poteſtate adhiberi volumus, qui omnibus præſto adſint, qui nunc conſiſtere agmina, nunç progredi jubeant, omniaque apte, atque

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 13.* (2) *Cærem. Epiſc. l. 2. cap. 33.* (3) *Rit. Rom. de proceſſionibus.* (4) *S. Rit. Cong.* in Siracuſana *6. Sept. 1636. & in Piſaur. 7. Martii 1648.*

que in tempore peragi curent. His munus ſuum exequentibus, ſinguli abſque ulla recuſatione obtemperabunt; ſecus pro merito pœnas daturi.

X. Supplicationes, quæ ex antiquiſſimo Eccleſiæ inſtituto in litaniis Majoribus, & Minoribus fieri conſueverunt, pie, & juxta ejuſdem Eccleſiæ morem peragantur. Edendi, & bibendi, ſecumve eſculenta, & poculenta deferendi in ſacris proceſſionibus, agriſque luſtrandis, conſuetudinem, ſi alicubi ſorte inoleverit, parochi tollere ſtudeant; ac fideles, præſertim die Dominica, quæ proxime rogationes antecedit, quam hæc dedeceat corruptela ſæpius admoneant. (1) Quæ vero preces, aliaque pietatis exercitia in Metropolitana noſtra per eos dies haberi decrevimus, (2) ea inpoſterum nunquam intermittantur.

XI. Solemni ſupplicationi, quæ quotannis in pervigilio S. Apollinaris peragi ſolet, ſodalitia ſingula intereſſe jubemus. Sed & ſacerdotes, & clericos omnes in Domino hortamur, ut exiguum hoc cultus, & obſequii ſui erga præcipuum, urbis hujus, & diœceſis patronum argumentum præbere non prætermittant.

XII. Pie admodum, & religioſe inductum in Eccleſia morem, ut præcelſum Euchariſtiæ Sacramentum in *proceſſionibus reverenter, & honorifice per vias, & loca publica circumferretur*, non in ejus tantum ſolemnitatis die, ſed in aliis etiam, ut nunc fit, infra octavam diebus ſervari, & cuſtodiri decernimus. *Æquiſſimum eſt enim, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, cum chriſtiani omnes ſingulari, ac rara quadam ſignificatione gratos, & memores teſtentur animos erga communem Dominum, & Redemptorem pro tam ineffabili, & plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria, & triumphus re-*

(1) *Rit. Rom. de proceſſionibus*. (2) *Edictum 8. Maji 1790. in Append. n. 1.*

repræſentatur : atque ſic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio, & hæreſi triumphum agere, ut ejus adverſarii in conſpectu tanti ſplendoris, & in tanta univerſæ Eccleſiæ lætitia poſiti, vel debilitati, & fracti tabeſcant, vel pudore affecti, & confuſi aliquando reſipiſcant. (1)

XIII. Civitatis regiones, atque vias in ipſo Sanctiſſimi Corporis Chriſti die feſto ſolemni Metropolitanæ noſtræ ſupplicatione ſingulis annis perluſtrandas Deceſſores noſtri deſignarunt. Nos novam, hujus rei gratia, methodum, quam hujus Synodi exhibebit Appendix, (2) ſtatuimus, ac omnino ſervari jubemus.

XIV. Hanc ergo triumphalem Salvatoris noſtri celebritatem non modo intima animorum religione, ſed externo etiam ſolemniori ritu, profuſis ubique gaudiis, proſequamur. Quæ de ſupplicationibus ordinandis, dirigendiſque generatim ediximus, ad hanc potieri jure referri volumus.

XV. Viarum tractus, per quem Auguſtiſſimum Chriſti Corpus circumgeſtari contigerit, porrectis, & extenſis in aere velariis, atque tentoriis, quoad fieri poterit, cooperiatur; aulæis, aliiſque ornamentis apte diſpoſitis externæ ædes obtendantur, ut in tanti Regis adventu, vel ipſi parietes exſultare gaudio, & lætitia geſtire videantur. At quodvis ſpectaculi genus, etiam ſacras actiones referentis, vel quicquid aliud ſcenicam levitatem præſeferens, quod riſum potius excutere, quam commovere ad pietatem valeat, ab hujus gravitate, & ſanctitate loci penitus arceatur: quin ne profanæ quidem imagines, quamvis alioquin honeſtæ, ſacris permiſceantur. Tranſeunte ſacra ſupplicationis pompa, nemo feneſtris, vel alio quovis ſuperiore loco ſpectatum ſeſe efferat, nemo colloquia de rebus non plane ne-

(1) *Conc. Trid ſeſſ.* 13. *c.* 5. (2) *In Append. n.* 2.

neceſſariis ſerere, muſſitare, multoque minus nugari, cachinnari, vel impudenter procari audeat; non cibum ullum, aut potum palam ſumere, vel aliis porrigere præſumat, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis. (1) Fœminæ, ſive ſupplicantium agmina comitantes, ſive ſpectatum prodeuntes, non aliter, quam obvoluto capite, ſimplici cultu, vultuque ad modeſtiam compoſito, ſe conſpiciendas præbeant.

XVI. Sacerdotes, & clericos quoſcumque quævis beneficia, licet non reſidentialia obtinentes, ſi præſentes fuerint, ſolemni Metropolitanæ noſtræ ſupplicationi talari veſte, & ſuperpelliceo, vel aliis pro cujuſque dignitate inſignibus indutos, ac cereas faces geſtantes adeſſe volumus, pœna unius aurei in eos, qui ſe doloſe ſubducere auſerint, conſtituta. Cæteros autem ſacerdotes, & clericos beneficio carentes, omnes nunc hortamur in Domino, (2) ne adeo inofficioſi, ac irreligioſi videri velint, ut cum cœlorum Regem, cujus ſeſe obſequiis manciparunt, tanta celebritate circumferri contigerit, ad eum pie, ſanctèque cum reliquo clero deducendum non excitentur; quin & per compita, viaſque, aut præ domorum foribus deſidia torpentes conſiſtere, ſeu hac illac vagari non vereantur. At ubi paterna adhortatione nequicquam Nos profeciſſe cognoverimus, alia excogitabimus remedia, quibus eos in officium redigamus.

XVII. Sed & laicorum ſodalitates omnes, ſuis quæque ſaccis indutæ, & accenſos cereos deferentes, hunc auguſtiſſimo Sacramento cultum adhibeant. (3) At vero illuſtrius adhuc religioſæ pietatis exemplum erga Sanctiſſimum

 Chri-

(1) *Syn. Guiccioli, & Syn. Cantoni*. (2) *S. Cong. Conc. 12. Jun. 1677. apud Lambertin. inſt. 31.* (3) *Vide metlod. in Append. n. 3.*

Chriſti Corpus a ſacrorum inſtitutorum profeſſoribus jure expectamus, quos & Tridentini decreto obſequentes probe novimus, (1) & ferventiori divini cultus ſtudio æquum eſt inflammari.

XVIII. Præter hanc celebriorem Divini Sacramenti ſupplicationem, aliamque minus ſolemnem, quæ in ejus feſti die octava in Metropolitana noſtra haberi conſuevit, ſingulis etiam infra octavam diebus, ſabbato excepto, juxta methodum, quam in appendice iterum referri jubemus, (2) nec non in Dominica ultima cujuslibet menſis in Metropolitana noſtra, & in Dominica Palmarum ab hac eadem Metropolitana ad eccleſiam S. Sebaſtiani proceſſiones de more inſtitui volumus, & mandamus.

XIX. Hic porro publicus & ſolemnis Euchariſtico Sacramento cultus, etiam in collegiatis, aliisque diœceſeos noſtræ paræciis, occurrente ejus feſto, deferendus eſt. Quare in ſingulis prædictis locis, ubi quatuor ſaltem ſacerdotes inveniri poterunt, hanc ſupplicationem, ſi minus æquali pompa, at certe pari animorum pietate, & religione celebrari decernimus. Binas tamen eodem die in eadem congregatione ſupplicationes haberi, ne ea res populi infrequentiam faciat, inhibemus. (3) Atque, ut contentionum, quæ de præcedentia oriri poſſent, cauſam præcidamus, habita in ipſo Corporis Chriſti die feſto ſupplicatione ab archipresbyterali, ſeu plebana ſingularum congregationum eccleſia, reliquæ parochiales ſubſequentibus diebus feſtis ſingulæ ſuas inſtituant ſupplicationes, ſervato ordine, quem methodus nunc primum edita, & in appendice relata exhibebit. (4) Omnes beneficiatos illius paræciæ, in qua ſupplicatio fiet, ſi

(1) *Trid. ſeſſ.* xxv. *c.* 13. (2) *In Append. n.* 4. (3) *Syn. Cantoni*. (4) *In Append. n.* 5.

ſi præſentes fuerint, eidem cum talari veſte, ſuperpelliceo, & cereo intereſſe jubemus. Qui, dum gravi aliqua cauſa a Nobis cognoſcenda non impediantur, ab eo religioſo officio ſe ſubducere auſerint, uno aureo multabuntur. Sed quo majore ſacerdotum, & clericorum inopia ruri laboratur, eo enixius univerſos clericali ordini adſcriptos indiſcriminatim monemus, ut quæ adeo ſui muneris ſunt, alacriter præſtare non prætermittant, ſuoque exemplo ad pie, religioſeque proſequendum ſacroſanctum Euchariſtiæ Sacramentum populum excitare ſtudeant. Nemo galerum, nemo pallium, niſi imbre cogente, gerat; omnes aperto capite, & ſui quiſque ordinis habitu inſignes incedant.

XX. Quo vero frequentior eſt Sanctiſſimæ Euchariſtiæ ad infirmos delatio, eo diligentius curandum, ut qua decet religione, ac honorifico comitatu fiat. Parochi ergo Ritualis Romani regulas, & ritus hujus rei cauſa editos (1) accurate cuſtodiant, atque ut ab aliis in mores traducantur, ſollicite urgere non prætermittant. Populos vero etiam atque etiam hortentur, ut cum conſuetis campanæ ictibus de ſacra communione ad ægrotos deferenda admonebuntur, ad eam religioſe deducendam confeſtim accedant; interdum etiam indulgentias evulgantes, quas Sanctiſſimum Sacramentum comitantibus Summi Pontifices liberaliter conceſſere, ut cœleſtis theſauri adipiſcendi ſtudio ad pium hoc opus frequentandum magis accendantur.

XXI. Cum autem a parochis in ſolemnioribus anni diebus, aut occaſione peculiaris Jubilæi, vel Indulgentiæ Sanctiſſimum Sacramentum maximo apparatu, & pompa infirmis deferri contigerit, eccleſiæ omnes, ſive ſæcularium, ſive regularium, ſive monialium Sacram Euchariſtiam ante

(1) *Rit. Rom. de commun. infirm.*

te earumdem eccleſiarum portas majores, vel laterales, vel ante januam majorem domus, conventus, monaſterii, aut ædis parochialis tranſeuntem feſtivo æris campani ſonitu tam in eundo, quam in redeundo proſequantur, (1) quacumque etiam immemorabili conſuetudine in contrarium non obſtante.

XXII. Auguſtiſſimi autem Sacramenti ſodalitates, quas ejus religioſo cultui proſpicientes in ſingulis diœceſeos noſtræ ruralibus paræciis erigi curavimus, (2) ſe in eum potiſſimum finem inſtitutas eſſe cogitantes, quoties in publicis ſupplicationibus, vel aliter deferri, aut publice ſacram hoſtiam exponi contigerit, proprio amictæ habitu, aſſumptiſque de more cereis, ad eam ſive aſſectandam, ſive venerandam properabunt, ac illuſtriora ad imitandum pietatis exempla cæteris exhibebunt.

XXIII. Quoniam autem quæ aperto aere deferuntur, vento, aut pluvia improviſo ſuperveniente, non raro extinguuntur lumina, hinc quatuor ſaltem laternas, aliis grandiores, nobilioreſque ſummis haſtis, in morem, ſuperimpoſitas, cum accenſis intus cereis ſaculis, ſacerdotem ſacram Euchariſtiam extra eccleſiæ ambitum geſtantem circumſtare jubemus. (3)

XXIV. Qui ſacerdoti Euchariſtiam deferenti obviam fient, eam illico procidentes adorabunt. Aurigæ, veredarii, veterinarii, muliones, ruricolæ, qui carpenta, rhedas, jumenta, currus ducunt, ſubſiſtant, equos cohibeant, caput venerabundi aperiant, ac, ſi fieri poterit, terræ procumbant. Qui vero equis inſident, vel rhedis vehuntur, continuo deſiliant, ac genibus provoluti tamdiu tremendum

hoc

(1) *Decret. S. R. C. urbis, & orbis* 10. *martii* 1787. (2) *S. Viſit. decreto* 8. *Sept.* 1787. (3) *Conc. Rom. tit.* 15. *c.* 7.

hoc Sacramentum proni venerentur, quoad ſacerdos ipſe prӕterierit: quin etiam ut ſupremam Domini majeſtatem reverenter proſequantur, & comitentur, eos per Jeſu Chriſti viſcera obteſtamur, atque obſecramus. (1)

XXV. Cum incendia, grandines, nimbi, turbines; aliӕque calamitates impendent, tabernaculum patefacto oſtio cum luminibus aperire, ac in conſpectu ſanctiſſimӕ Euchariſtiӕ litanias recitare, aliaſque preces religioſe fundere, ut in ſummum nos diſcrimen adductos integros, atque incolumes ſervet, rite, ac pie factitari novimus. At vero illam e tabernaculo educendi, ad eccleſiӕ januam afferendi, vel cum eadem benedictionem impertiendi morem ab Eccleſia rejectum, Nos quoque rejicimus, ac omnino a diœceſi noſtra eliminari mandamus. (2)

XXVI. Si quando ſupplicationes pro re gravi, vel bono publico extra ordinem indixerimus, ad eas ſӕculares clerici beneficia, vel officia eccleſiaſtica obtinentes, regulares, & piarum ſodalitatum confratres invitati, intereſſe teneantur. (3)

XXVII. Proceſſiones interdiu, non autem noctu, niſi noſter conſenſus acceſſerit, habeantur. (4)

CAPUT XII.

De ſacris Benedictionibus.

I. MIRAM, atque divinam virtutem ſacris benedictionibus ineſſe, quӕ per eas quotidie patrantur porten-

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni, Lambertin. Inſtit.* 5. *Syn. Diœceſ. Rav. fere omnes.* (2) *Ben.* XIV. *Conſt.* Cum ut recte noſti 27. *Jul.* 1755. (3) *S. Cong. Ep.* 25. *Octobr.* 1602. *&* 7. *Apr.* 1690. *S. Cong. Conc.* 3. *Aug.* 1709. *apud Ferrar. v.* Proceſſiones *n.* 13. 14. 15. (4) *S. Cong. Rit. in* cauſa Indiarum 20. *Jul.* 1600.

tenta ſatis ſuperque teſtantur. Ea propter paſtoralis miniſterii noſtri ſollicitudine admonemur, ut non modo pium earum uſum fidelibus commendemus, verum etiam ſanctiori earumdem diſciplinæ proſpicere, & quicquid ab ejus ratione alienum irrepſiſſe cognoverimus præſentis Synodi auctoritate ſubmovere ſatagamus.

II. Noverint ſacerdotes quænam benedictiones Nobis, quænam parochis reſerventur, ne inconſulta temeritate, vel majoris dignitatis ſibi munera uſurpent, vel in alienæ jurisdictionis fines invadant.

III. Eccleſiæ itaque, aræ altaris, ſeu ejusdem lapidis, calicis, patenæ conſecrationem, quæ ſacra oleorum unctione perficitur, adeo juris noſtri eſſe ſciant, ut nulla Nobis delegandi facultas relicta ſit. (1) Ejuſdem generis eſt benedictio campanarum, quæ certis ritibus, & cæremoniis peragi ſolet. Primarium vero eccleſiæ ædificandæ lapidem, eccleſias, oratoria publica, cæmeteria benedicere, vel eaſdem eccleſias, & oratoria non conſecrata, nec non cæmeteria ipſa reconciliare, noſtri quoque muneris eſſe intelligant, ita tamen ut ſimplici etiam ſacerdoti Nobis integrum ſit benedicendi, vel reconciliandi poteſtatem, cum expedire viſum fuerit, delegare. Altarium autem mappas, corporalia, pallas, & ſacra indumenta quæcumque (cingulo, pluviali, ſacra pyxide, & oſtenſorio minime exceptis, quæ ſua etiam benedictione donari volumus) benedicere, ita noſtrum eſſe ſciant, ut, facultate ſaltem Nobis a S. Rituum Congregarione tributa, alios ad id muneris delegandi jure gaudeamus. (2)

IV. Priores, Guardiani, aliique regularium ſuperiores locales, qui privilegio a Summis Pontificibus conceſſo fruun-

(1) *Lambertin. Inſtit.* 21. *n.* 11. (2) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 9. 10. 11. 12.

untur ſacras miniſtrorum veſtes, & altaris ornamenta, pro quibus ſacra non adhibeatur unctio, benedicendi; nec non Abbates, aliique Prælati, qui calices, patenas, campanas, & alia hujus generis, ſacra oleorum, a Nobis benedictorum, unctione conſecrandi facultate potiuntur, ſciant, id juris ad ſuppellectiles ſuarum dumtaxat eccleſiarum circumſcriptum eſſe, (1) niſi peculiarem a Sede Apoſtolica facultatem obtinuerint.

V. Benedictio ſuper populum adeo muneris epiſcopalis eſt, ut olim presbyteri, ne re quidem divina peracta, eam impertiri conſueverint. (2)

VI. Quamvis autem plurium ſæculorum contraria prævaluerit diſciplina, quæ ſacerdoti poteſtatem facit, peracto Miſſæ Sacrificio, populum benedictione jure ſuo dimittendi, ea tamen ſtatuta lex eſt, ut ſi Epiſcopus Miſſæ in ſua diœceſi interſit, ad eum ſe prius convertat ſacerdos, eique caput inclinans, benedicendi populo veniam ab eo veluti poſtulare videatur. (3)

VII. Nullam præter hanc ſimplex ſacerdos benedictionem ſuper populum jure ſuo impertiri præſumat.

VIII. Regulares vero, quibus jure delegato benedictionem ſuper populum effundendi poteſtas eſt, populum ipſum præmoneant de indulgentia a Sede Apoſtolica conceſſa, de præceptis operibus pro ea lucrifacienda, de die, quo viſitanda eccleſia, de hora denique, qua Pontificia benedictio conferenda erit. Meminerint vero noſtram *in ſcriptis* licentiam requiri, antequam de his per publica edicta fideles certiores faciant, *vel, ſi edicta hujuſmodi omitti contingat, triduo ſaltem ante ipſam benedictionis diem*, eamdem licentiam

(1) *Decret. Alex.* VII. 27. *Sept.* 1651. (2) *Lambertin. tract. de Sacrif. Miſſæ ſect.* I. *n.* 382. *Bened.* XIV *conſtit.* Exemplis Prædeceſſorum 10. *Martii* 1748. (3) *Bened.* XIV. *conſtit. cit. Rubrica miſſal. tit. de benedict. in fine Miſſæ.*

tiam *in ſcriptis* omnino impetrandam eſſe, ſub pœna ſuſpenſionis ab omni officio, & dignitate, aliisque Sanctæ Sedis arbitrio inferendis, (1)

IX. Ut vero ab hac ſolemni ſuper populum benedictione impendenda, Nobis ignaris, vel diſſentientibus, quibus ejusdem populi cura, & ſollicitudo commiſſa eſt, abſtinere regulares debent, ita etiam ab ea elargienda ſe ſciant eſſe interdictos, quoties a Nobis poſt Miſſarum ſolemnia Romani Pontificis nomine eadem impertietur benedictio, nimirum in Paſchate Reſurrectionis D. N. J. C., alioque die feſto ſolemni arbitrio noſtro deſignando (2). Caveant inſuper, ne populo benedicturi circumadſtantibus miniſtris, pluviali, vel trina crucis productione utantur, ſed ſuperpelliceo, & ſtola induti, atque unico ſigno crucis emiſſo rem abſolvant (3), ritumque a Benedicto XIV. præſcriptum, quem eorum oculis ſubjici juſſimus (4) religioſe ſervent; quem ſi neglexerint, hujus benedictionis tribuendæ facultatem ſibi noverint auferendam. (5)

X. Nos autem Apoſtolicam benedictionem ſolemniter collaturi eo ritu, & formula utemur, quam Clemens XIII. conſtituit.

XI. Licet Abbatibus regularibus indultum ſit in Miſſis, veſperis, & matutinis pontificaliter celebratis benedictionem epiſcopali more, cum trina crucis productione elargiri; ne tamen extra pontificalia id ſibi tribuant, Sacræ Rituum Congregationis decreto cautum eſt. (6)

XII. Sed & parochorum jura ſarta tecta eſſe volumus. Qua-

(1) *Bened.* XIV. *Conſt. cit. Clem.* XIII. *Conſt.* Decet Romanos Pontifices *in Append. n.* 1. (2) *Clem.* XIII. *Conſt.* Inexhauſtum. *Idem Conſt.* Decet Romanos Pontifices. (3) *Bened.* XIV. *Conſt. cit.* (4) *In Append. n.* 2. (5) *Bened.* XIV. *Conſt. cit.* (6) *Decret. S. R. C. approb. Alex.* VII. 27. *Sept.* 1659.

Digitized by Google

Quare nubentium benedictiones a nemine, præterquam a proprio parocho, vel ab eo ſacerdote, quem ipſe delegaverit, impertientur, quacunque conſuetudine non obſtante. (1) Quod ſi quis Parochus, vel alius ſacerdos, ſive ſæcularis, ſive regularis, alterius paræciæ ſponſos ſine illorum parochi licentia benedicere auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu ab Ordinario illius parochi, a quo benedictio ſuſcipienda erat, abſolvatur. (2) Quamvis autem hæc nuptialis benedictio a parocho utriuslibet de jure impertiri poſſit, conſuetudinem tamen fere ubique obtinentem, ut hæc a parocho ſponſæ conſeratur, omnino in diœceſi noſtra ſervari volumus. Si vero ſponſa ſtatim poſt contractum matrimonium, nondum benedictione recepta, ad domum viri in alterius paræciæ finibus ſitam traducta fuerit, ab ejusdem viri parocho nuptiæ benedicentur. Quibus temporibus nuptiarum ſolemnitates prohibitæ ſunt, iis etiam nuptias benedicere interdictum eſt. Conjuges autem parochus hortetur, ne ante benedictionem ſacerdotalem in templo ſuſcipiendam in eadem domo cohabitent (3), neque matrimonium conſument, nec etiam ſimul, niſi aliquibus propinquis, vel aliis præſentibus, maneant. (4) Prorſus vero omittenda benedictio erit, ſi ſponſus, & ſponſa in aliis nuptiis fuerint benedicti; quin & ſi tantum ſponſa fuerit vidua, & alias benedicta, licet vir nunquam uxorem duxerit; ſecus ſi mulier nemini unquam nupſerit, quamvis forte vir alias matrimonium iniiſſet (5). Item benedictio impertienda, ſi ambo vidui fuerint, & neuter ex ipſis in primis nuptiis fuerit benedictus. (6) Hæc porro

H con-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ.* XXIV. *c.* 1. *de reform. matrim.* (2) *Trid. loc. cit.* (3) *Conc. Trid. loc. cit.* (4) *Rit. Rom. de Sacram. Matrim.* (5) *Rit. Rom. loc. cit.* (6) *Cap.* vir autem 3. *de ſecundis nuptiis*.

conjugalis benedictio inter Miſſarum ſolemnia omnino impertienda eſt . (1)

XIII. Nemo item mulieres poſt partum ad purificationem admittere , nemo fontem baptiſmalem , (2) aut ædes in majori hebdomada (3) benedicere , vel alias quaſcunque benedictiones , quas ad parochos jure , vel legitima conſuetudine pertinere conſtiterit , ſibi temere uſurpare præſumat .

XIV. Reliquæ benedictiones rerum , locorum , atque perſonarum , quæ nulli reſervantur , a quocunque ſimplici ſacerdote impune impertiri poſſunt .

XV. Benedictionum miniſtri , quicunque tandem ſint , non alios quam ex Rituali Romano , Miſſali , ac Cæremoniali petitos ritus , ac formas adhibeant . (4) Superpelliceo ſaltem , & ſtola pro ratione temporis , niſi aliter notetur , in omni benedictione extra Miſſam utantur . Stando benedicant , & aperto capite . Eſculenta , & poculenta , & quicquid ejuſmodi eſt nunquam ſuper altare benedictionis gratia poni patiantur , ſed menſam ad hoc commodo loco parandam curabunt . (5)

XVI. Equos , aliaque animalia humanis uſibus utilia in die feſto Sancti Antonii Abbatis , aliiſque per annum pro opportunitate benedicere , ac ſoſpitatori huic eximio commendare , ex uſu eſt , & eventus felix ſæpe vota ſecundat . Hunc ſervari morem vehementer optamus .

XVII. Sed & religioſi inſtituti conſuetudinem agros benedicendi , ut mures , locuſtæ , bruchi , & vermes frugibus noxii , quibus non raro vexamur , exterminentur , maxime commendamus . Harum benedictionum formas , & ritus ,

(1) *Rit. Rom. loc. cit. S. Cong. Conc. in Piſaurien.* 13. *Jul.* 1638. (2) *S. Cong. Rit. in Decret. urbis , & orbis* 12. *Jan.* 1704. *Lambertin. Inſtit.* 105. *n.* 115. (3) *S. Cong. Conc. in Bononien.* 2. *Jul.* 1620. (4) *Bened.* XIV. *Conſt.* Inter omnigenas 2. *Febr.* 1744. §. 18. (5) *Rit. Rom. de Benedict.*

tus, quoniam in Rituali Romano deſunt, eccleſiaſtica auctoritate approbatos in appendice vulgari juſſimus, (1) eoſque in uſum deduci omnino mandamus.

XVIII. Benedictionis, cum plenaria indulgentia fidelibus in mortis articulo conſtitutis Romani Pontificis nomine, & auctoritate elargiendæ facultatem, quam eccleſiarum paſtores paullo arctioribus concluſam limitibus jandudum judicarunt, eam poſtmodum Summi Pontifices ita prorogare, & ampliare conſueverunt, ut omnes in extremo vitæ mortalis agonæ conſtituti hoc ſibi cœleſte præſidium valeant comparare. Nos itaque, quibus eamdem benedictionem impertiendi facultas ad omne tempus, quo adeptum hujus eccleſiæ regimen obtinebimus, cum poteſtate ſubdelegandi, collata eſt, animarum chriſtifidelium curæ noſtræ commiſſarum ſaluti paterna charitate conſulere cupientes, parochos omnes ſive civitatis, ſive diœceſeos noſtræ, & quo ad moniales illarum confeſſarios ordinarios, pro tempore exiſtentes, quoad Nobis videbitur, deligimus, ut, cum Nos vel paſtoralibus occupationibus, vel locorum intervallo præpediti ſingulis adeſſe non poſſumus, vicaria eorum opera omnibus ægrotis hujus ſpiritualis ſubſidii in extremo articulo adipiſcendi cupidis facile occurramus. Hæc porro ſubdelegatorum facultas, Nobis etiam vita decedentibus, non expirat, ita ut nova conceſſione opus ſit pro temporaneo Vicariorum Capitularium, aut Apoſtolicorum regimine, ſed tamdiu manet, quamdiu a Nobis, vel a noſtris ſucceſſoribus non auferatur. Quos vero pio huic miniſterio præfecimus, vel inpoſterum præficiemus, meminiſſe volumus, *non id duntaxat erga nobiliores, & potentes hujus ſæculi, ſed erga pauperes quoque, & abjectæ ſortis homines præſtandum eſſe*

(1) *In Append. n. 3.*

ſe. Omnes ergo, & ſingulos utriuſque ſexus chriſtifideles in mortis articulo conſtitutos vere pœnitentes, & confeſſos, ac ſacra communione refectos, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contritos, nomen JESU ore, ſi potuerint, ſin minus, corde devote invocantes, & mortem tamquam peccati ſtipendium de manu Domini libenti, atque alacri animo ſuſcipientes, hoc enim præcipue opus in hujuſmodi articulo conſtitutis imponitur, atque injungitur, per novos anteactæ vitæ doloris actus, ac ferventiſſimæ in Deum charitatis affectus, rite præparatos, atque diſpoſitos, ac in ſpem æternæ vitæ erectos, ad præfatam benedictionem, & plenariæ indulgentiæ fructum conſequendum admittant. (1) Ut vero ſpirituale ſolatium, vel iis morientibus, qui illud petierint, dum ſana mente, & integris erant ſenſibus, ſeu veriſimiliter petiiſſent, vel ſigna contritionis dederint, etiamſi poſtea linguæ, cæterorumque ſenſuum uſu deſtituti ſint, aut in delirium, vel amentiam inciderint, impertiendum eſt; ita excommunicatis, impœnitentibus, aut in manifeſto mortifero peccato decedentibus, omnino denegandum. (2) Ritus pro hujuſmodi benedictione impertienda, applicandaque plenaria indulgentia a Benedicto XIV. conſtitutus, & approbatus, atque iterum in appendice recuſus (3) ab omnibus religioſe ſervetur.

XIX. Conſuetudinem benedicendi cum ligno ſanctiſſimæ Crucis, cum ſacris Imaginibus, cum Sanctorum Reliquiis approbamus, & retineri vehementer optamus; (4) ſed ritum præcipue commendamus cum auguſtiſſimo Euchareſtiæ Sacramento, in quo omnium benedictionum auctor latet, populo benedicendi.

XX.

(1) *Ben.* XIV. *Conſt.* 34. Pia Mater 1747. *Breve Ssmi D. N.* 14. *Febr.* 1785. (2) *Modus in dicta Conſt. approb.* (3) *In Append. n.* 4. (4) *Lambertin. Inſtit.* 47. §. 3.

XX. Puerperas, cum recens a partu convaluerint, ad eccleſiam convenire, ut ſacerdotalem benedictionem referant, ac pro incolumitate ſua gratias Deo agant, parochi enixe hortabuntur. Eam vero benedictionem in eccleſiis tantum, non in domibus, vel oratoriis privatis impertiri volumus. (1)

XXI. Aliarum quoque benedictionum, quas vel Rituale Romanum, vel miſſalis rubricæ præſcribunt, & præſertim benedictionis aquæ luſtralis ſingulis diebus dominicis renovandæ, qua ſacerdos, antequam miſſam incipiat, altare, ſeipſum, miniſtros, & populum aſpergit, uſum, ſi forte alicubi deſuetudine obſoleverit, in omnibus eccleſiis haud cunctanter repeti, ac reſtitui mandamus. Parochi autem præſtantem earum vim, ac virtutem fidelibus identidem explicabunt, ut ad eas pie, & religioſe colendas excitentur, ex iisque tum temporalia commoda, tum ſpirituales fructus, quorum cauſa inſtitutæ ſunt, conſequantur.

XXII. Eſt illud quoque in more poſitum, & pia Eccleſiæ diſciplina receptum, ut aqua benedicta in domibus, & cubiculis aſſervetur, qua fideles quotidie, & ſæpius ſe ipſos aſpergant. (2) Hanc conſuetudinem, ſi forte alicubi, refrigeſcente charitate, intermiſſa ſit, continuo revocari parochi curabunt.

XXIII. Univerſos demum, a quibus benedictiones tribuendæ erunt, quanta poſſumus animi contentione hortamur in Domino, ac admonemus, ut harum benedictionum occaſione excutiant, ac prorſus emundent manus ſuas ab omni munere, ne quod divina benignitate ad aliorum ſalutem inſtitutum eſt, id ipſi ad quæſtum, & lucrum turpiter vertere videantur.

PARS

(1) *S. Car. Borr. Prov.* III. (2) *Rit. Rom. de benedict.*

Digitized by Google



Ecclesiae Doctor Ravennae Archiepiscopus

PARS SECUNDA

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

I. DELAPSUM cœlo Filium Dei, ut quod perierat humanum genus a duriſſimo æternæ ſervitutis jugo vindicaret, non modo ad carnis noſtræ humilitatem ſeſe abjeciſſe, ſuppliciorum varia genera pertuliſſe, ſeque piacularem in ara crucis hoſtiam Patri obtuliſſe, ſine dubitatione ulla credimus, & profitemur, verum & ſeptem novæ legis Sacramenta, humanæ infirmitatis remedia, inſtituiſſe, ex quibus uberrimi paſſionis ſuæ fructus aſſidue, ac latiſſime in omnes diffunderentur.

II. Singulorum Sacramentorum inſtitutionem, ſignificationem, myſteria, ineffabilem dignitatem, admirabilem, divi-

divinamque virtutem, per quam *omnis vera juſtitia, vel incipit, vel capta augetur, vel amiſſa reparatur*, (1) parochi, eorumque adjutores, ea fidelibus miniſtraturi, pro ſuſcipientium captu, ac etiam lingua vernacula, ſi opus fuerit, & commode fieri poterit, explanabunt, (2) docebuntque qua ratione tum corpore, tum animo ſe comparare debeant, ut ea rite ſuſcipiant, & cœleſtibus donis cumulentur.

III. Viri laici Sacramenta recepturi, arma, ſi quæ deferunt, enſem quoque, deponant; (3) mulieres ab immodico ornatu, & exquiſitiori corporis cultu abſtineant: nunquam, non obvoluto capite, nunquam, non humilitatem, ſimplicitatem, ac præſertim modeſtiam præſeferentes, accedant (4).

IV. Sed & qui Sacramenta conficiunt, aut miniſtrant, meminerint ſancta ſancte eſſe tractanda. Ab inani itaque, & eccleſiaſticis legibus repugnante corporis cultu, cum ubique clericos abſtinere æquum eſt, tum maxime cum Sacramentis manus admoverint, abhorrebunt. Singuli ſacris veſtibus, ornamentiſque, ac præſertim ſuperpelliceo, & ſtola ejus coloris, quem adminiſtrandi Sacramenti ratio poſtulabit, induantur, niſi in Sacramento Pœnitentiæ miniſtando occaſio, vel conſuetudo, vel locus interdum aliter ſuadeat. Nec vero unius ſaltem aſſiſtentis clerici, decenti habitu, & ſuperpelliceo pariter induti, ubi haberi poterit, atque id Sacramenti ratio requirat, præſentia deſideretur. (5)

V. Et quoniam ipſa miniſtrantium religione augeri ſuſcipientium pietas ſolet, hinc receptos, & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus in ſolemni Sacramentorum adminiſtra-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 7. proœm. de Sacrament.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 8. de reform. Conc. Prov. Rev. Card. de Ruvere* (3) *Syn. Guiccioli.* (4) *Syn. Diœceſ. Ravennat. fere omnes.* (5) *Rit. Rom. Tit. de Sacrament. in genere.*

ſtratione adhiberi conſuetos, qui nec contemni, nec pro libito a miniſtris omitti, nec in novos alios mutari ſine piaculo poſſunt, (1) ab omnibus jurisdictioni noſtræ ſubjectis, ſive ſæcularibus, ſive regularibus (2) coli, & ſummo ſtudio ſervari volumus, ac mandamus.

VI. Sed illud potiſſimum curandum eſt, Sacramentorum miniſtros ea vitæ integritate præditos eſſe, quæ tantorum myſteriorum diſpenſatores decet; ne quæ aliis ad ſalutem miniſtrant, æternam ipſis perniciem, & mortem afferant. Si aliquando, quod Deus avertat, ſe alicujus mortiferi peccati labe coinquinatos ſenſerint, & Sacramenti vel conficiendi, vel miniſtrandi adſit neceſſitas, ſacro ſe prius Pœnitentiæ Sacramento, ſi confeſſarius, cui confiteri poſſint, adfuerit, & temporis, locique ratio id ferat, expiabunt; ſi minus, contritione ſaltem animam abluere non prætermittent.

VII. Sacramentorum miniſtri, iique præſertim, quibus ex juſtitia eorum adminiſtratio incumbit, quandocunque evocabuntur, alacri ſemper, promptoque animo, nulla temporis, aut cujusvis incommodi ratione habita, adeuntes excipiant.

VIII. Cum Sacramenta omnia tribus perficiantur, *rebus tamquam materia, verbis tamquam forma, & perſona miniſtri conferentis Sacramentum, cum intentione faciendi quod facit Eccleſia: quorum ſi aliquid deſit, non perficitur Sacramentum*, (3) caveant Sacramentorum miniſtri, ne res, aut verba vel ſubſtantialiter immutent, quod Sacramenti validitati obſtaret, vel accidentaliter, quod haud raro cum gravis flagitii reatu conjungitur: caveant, ne defectu intentionis

(1) *Trid. ſeſſ. 7. can. 13.* (2) *Trid. ſeſſ. 25. c. 11. de Regular. Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 13. c. 4. n. 5.* (3) *Conc. Florent. in Decret. pro Armenis.*

Digitized by Google

nis requiſitæ Sacramentum nullitati exponant. Sacramenta itaque adminiſtraturi, rei ſacræ, cui operaturi ſunt, animum intendant, externum, qui ab Eccleſia adhibetur, ritum ſerio perficiant, cum intentione actuali, vel virtuali ſaltem faciendi id, quod facit Eccleſia. (1) Caveant demum, ne in Sacramentis conferendis opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta tutiore, ſequantur. (2)

IX. A Sacramentorum miniſtris nedum ſimoniæ, & avaritiæ crimen, ſed & earum ſuſpicio longiſſime abſit. Nihil ergo, quamvis ſponte oblatum, mercedis, aut ſtipendii nomine, directe, vel indirecte, Sacramenti cauſa, exigant, petant, aut recipiant. Quod ipſi gratis acceperunt, gratis dabunt. Qui ſecus fecerint, pœnas ſacrorum canonum experientur. (3) Quod vero eleemoſynæ nomine, vel religionis ſtudio, ſponte a fidelibus pro aliquorum Sacramentorum collatione offerri ſolet, id recte, pro locorum conſuetudine, accipi poterit. (4)

X. Sacramentorum Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ ſaluberrimum uſum fidelium auribus ſæpius inculcabunt parochi, & confeſſarii; illorum efficaciſſimam curandarum animarum virtutem prædicabunt, ut ex frequenti, & religioſa eorum perceptione abundantiori in dies gratia augeantur, ac majori chriſtianæ perfectionis ſtudio, opitulante Deo, exardeſcant.

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. VII. c. 11. de Sacrament.* (2) *Prop. damnat. ab Inn. XI.* (3) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni Tit. de Sacrament. in genere.* (4) *Rit. Rom. loc. cit.*

CAPUT II.

De Baptiſmo .

I. QUOD primus inter novæ legis Sacramenta Baptiſmus ordine poneretur , eo conſilio factum putamus , quod niſi hoc regenerationis myſterio damnatæ originis maculas abluamus , ac per illud Chriſti membra effecti , in filiorum Dei ſocietatem ingrediamur , nec prodeſſe nobis aliorum Sacramentorum virtus , nec ulla omnino ſalutis ſpes reliqua eſſe poſſit .

II. Hoc autem ſalutare lavacrum non modo adultis ſive in re , ſive in voto neceſſitate medii neceſſarium eſſe , ſed & pueris infantibus adhibendum eſſe , ut in eis regeneratione mundetur , quod ex veteris Adæ generatione contraxerunt , indubia ſacrarum Scripturarum , & Tridentini oracula teſtantur . (1)

III. Hujus porro Sacramenti materiam aquam elementarem , & naturalem eſſe nemo ignorat . Pro Baptiſmo autem ſolemniter celebrando , hæc conſueto ritu in ſabbato majoris hebdomadæ , vel in vigilia Pentecoſtes in omnibus eccleſiis , quibus fontis baptiſmalis jus eſt , conſecretur , ac in vaſe mundo , ac nitido munda ſemper , ac nitida diligentiſſime aſſervetur .

IV. Huic ſolemni conſecrationi in Metropolitana noſtra , præter canonicos , reliquoſque eccleſiaſticos choro addictos , alios etiam ſacerdotes , & clericos , qui a Nobis evocabuntur , intereſſe volumus . In aliis vero inferioribus eccleſiis , parochi eisdem ſubjecti , nec non ſacerdotes , & clerici earum ſervitio addicti ; & tandem in iis , quæ nullis præ-

(1) *Joan 3. Conc Trid. ſeſſ. VII. can. 5. Idem ſeſſ. v. Decret. de peccat. Origin.*

præſunt, nonnulli ſacerdotes, & clerici, in eum finem evocandi, prædictæ benedictioni omnino adſtent. Si quis juſto impedimento, a Nobis tamen probando, quominus per ſe intereſſe poſſit, detineatur, alteri ſuas delegare vices non prætermittat; (1) aliter pœnas pro ratione culpæ a Nobis infligendas dabit.

V. Sacrum Chriſma, & oleum Catechumenorum, quorum in Baptiſmo uſus eſt, a Nobis quotannis feria quinta in Cœna Domini ſolemniter benedicenda, a nemine, præterquam a Nobis, quotannis petantur, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis. (2) Parochi urbis, & plebani per diœceſim conſtituti curent, ut vel per ſe ipſos, vel per delegatos ea, primo quoque tempore recipiant in ea quantitate, quæ omnibus ſufficiat, quin neceſſe ſit olea non conſecrata admiſcere, quod hucuſque aliquibus in locis abſque cauſa factum eſſe non ſine animi noſtri mœrore accepimus. Inferiorum vero eccleſiarum rectores a ſua, cui quiſque ſubjicitur, matrice eccleſia, ea petant, recipiantque. (3) Pro ſacris deferendis oleis ſacerdotes, vel ſaltem clerici in ſacris conſtituti eligantur. (4) Sacerdos, qui diſpenſandis oleis præficietur, id muneris non alibi, quam in Metropolitanæ noſtræ ſacrario, obeat. (5) Caveat, ne aliis quam ſacerdotibus, aut clericis in ſacris conſtitutis deferenda committat; (6) caveat, ne quid a petentibus, vel ſponte datum, ſub pœna ſuſpenſionis, recipiat, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, non obſtante. (7) Poſtremo ab iis, quibus olea tradiderit, receptionis ſyngrapham in libro hujus rei gratia comparato exarandam curet.

Cum

(1) *Lambertin. Inſtit.* 1. (2) *Can.* 122. Si quis de alio Chriſmate *de conſecrat. diſt.* 4. (3) *Syn. Camoni*. (4) *Can.* omni tempore *de conſecrat. diſt.* 4. (5) *Lambertin. Inſtit.* 81. (6) *Conc. Prov. Mediolanen. I. apud Lambertin. loc. cit.* (7) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere tit. de Sacrament. adminiſtrat. Syn. Cantoni*.

Cum primum nova olea acceperint parochi, vetera, ſi quæ ſupererint, in lampadibus ante Sanctiſſimum Sacramentum collucentibus ſtatim comburant. (1)

VI. Ab hujus Sacramenti adminiſtratione nemo, cogente neceſſitate, excluditur. At non ita hoc munus ab omnibus promiſcue uſurpari poteſt, quin aliquis ordo ſervetur. Mulieri præferri debet vir, hæretico, & infideli catholicus, laico clericus, inferiori clerico ſubdiaconus, ſubdiacono diaconus, diacono ſacerdos, ſacerdoti proprius baptizandi parochus, niſi ratione majoris in baptizando peritiæ minus digni dignioribus præferri debeant, vel pudoris, & honeſtatis gratia deceat magis fœminam, quam virum ſacramento manum admovere, ut ſi infans non omnino editus ob imminens vitæ periculum ſit baptizandus. (2)

VII. Cum itaque omnes, exigente neceſſitate, Baptiſmi miniſtri eſſe poſſint, curabunt parochi, ut omnes hujus Sacramenti formam, & ritum probe teneant, ſerventque.

VIII. Sed obſtetrices præſertim, a quibus crebro Baptiſma confertur, eo in munere maxime inſtructas eſſe decet. Nulli ergo fœminæ liceat obſtetricis officium exercere, niſi ante a parocho, intra cujus paræciæ fines verſatur, diligenti examine præmiſſo, teſtimonium idoneitatis, ſcripto, & gratis concedendum, ad Sacramentum Baptiſmi, cum neceſſe erit, rite miniſtrandum retulerit. Examen autem verſabitur circa materiam, & formam Baptiſmi, modumque applicandi formam materiæ, ac intentionem requiſitam: accurate interrogabitur de quibuſdam caſibus a Rituali Romano relatis, (3) ac ſingillatim de eo, quod accidere non raro ſolet, cum videlicet infans caput, vel aliud membrum

(1) *Pont. Rom. Conc. Prov. Mediolanen. IV. apud Lambertin. loc. cit.* (2) *Rit. Rom. de Miniſtro Bapt.* (3) *Tit. de baptizand. parvulis.*

brum, quod vitalem indicet motum, emiſerit, impendente mortis periculo. Singulis annis examen repetatur. Huic, præter parochum obſtetricis domiciliarem, adſint, in civitate, & ſuburbiis, alii duo parochi: in diœceſi alius ſacerdos. Parochi, qui in eo munere incurioſe ſe geſſerint, ſciant ſuam oneratum iri conſcientiam, noſtræque præterea animadverſioni ſe fore ſubjiciendos. Obſtetrices vero, quæ, non obtenta parochi approbatione, ſe intruſerint, vel ab annuo experimento ſe ſubduxerint, a miniſterio perpetuo arcebuntur, aliiſqne pro modo culpæ arbitrio noſtro pœnis plectentur. (1) Quoties fœtus in matris prægnantis mortuæ utero adhuc vivere judicetur, toties cæſareæ ſectionis ope quamprimum extrahatur, ut ſalutari Baptiſmatis lavacro ad meliorem vitam regeneretur, & corporis etiam incolumitati, quoad fieri poterit, conſulatur. (2)

IX. Nemini liceat infantes, exceptis tamen regum; vel magnorum principum liberis, (3) domi, vel in privatis oratoriis baptizare, niſi eorum inſtare interitum prudenter timeatur. (4) Si quis, conficta ſibi neceſſitate, baptizaverit, gravi ſe ſcelere obſtrictum, ac præterea, ſi ſacerdos fuerit, ſuſpenſionis pœna Nobis reſervata ipſo facto ſe innodatum ſciat. (5)

X. Privatim baptizati propter mortis periculum, ſi incolumes evaſerint, ad eccleſiam, ſaltem intra menſem, deferantur, ut ſolemnes cæremoniæ, rituſque peragantur. At ſi dubium de collati Baptiſmi validitate, quacunque ex cauſa, oriri contigerit, hi, intra terminum, quem inferius pro parvulis baptizandis univerſim ſtatuemus, omnino deferantur; vel ſi abſque periculo id fieri nequeat, domi, quod omiſ-

(1) *Lambertin. Inſtit. 8. Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.* (2) *Rit. Rom. tit. de baptizand. parvulis Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 11. cap. 7. n. 12. & 13.* (3) *Rit. Rom. de Bapt.* (4) *Clem. unic. de Bapt.* (5) *Syn. Cantoni.*

omiſſum eſt, ſuppleatur. Parochus autem delatos ad ſe infantes antequam abluat, diligenter ſciſcitari non prætermittat, an, a quo, quomodo baptizati fuerint: teſtes etiam, ſi qui præſentes adfuerint, de forma a baptizante prolata, de ritu, quo res peracta fuerit, interrogabit. Hæc ut, ſingula percontando, perſpexerit, ſi rite Baptiſmum collatum fuiſſe compererit, ſolemnes tantum cæremonias, ac ritus adhibebit: ſi Baptiſmum domi adminiſtratum nullum fuiſſe conſtiterit, infantes iterum aqua perfundat: ſi dubius hæſerit, iterum abluat, adhibita conditione, quam hoc pacto explicabit: *ſi non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris &c.* Hac porro conditione caute admodum, ac in caſibus tantum vere dubiis utantur parochi, ſciantque Baptiſmi non dubie collati iterationem, etiam ſupradicta conditione adjecta, ſacrilegio non vacare, ac ita baptizantes irregularitatem non effugere. (1)

XI. Infantes expoſiti quando, & quomodo ſint baptizandi, inferius dicemus. (2)

XII. Ne æterna parvulorum ſalus periclitaretur, optimo conſilio ſtatutum fuit, ut, *quamprimum fieri poterit*, ad eccleſiam ſolemniter baptizandi deferantur. (3) Huic ſtatuto inhærentes, Baptiſmum ultra tertium a nativitate diem parvulis differri prohibemus. (4) Qui vero ultra octo dies a nativitate, ut præfertur, numerandos, legitimo impedimento ceſſante, baptiſmum protrahere auſi fuerint, excommunicationis ſententia plectentur. (5)

XIII. Iiſdem legibus ſubjectos eſſe volumus qui prolem ex occulti matrimonii fœdere ſuſceperunt. Cum igitur ex occulto aliquo matrimonio, *conſcientiæ* vulgo nuncupato,

(1) *Catech. Rom. de Bapt. Lambertin. Inſtit.* 8. (2) *Cap.* XVIII. *Part. III.* (3) *Rit. Rom. Catech. Rom. de Bapt.* (4) *Edict. Romæ promulgat. an.* 1723. *apud Lambertin. Inſtit.* 98. (5) *Syn. Cantoni.*

to, ſobolem naſci contigerit, hæc ſalutari baptiſmatis unda in eccleſia, in qua aliis infantibus hoc ſacramentum confertur, omnino abluatur. Quod ſi ad operiendum clam initum matrimonium, nulla parentum mentio in libro Baptizatorum facta fuerit, mandamus, ſuſceptam prolem a patre, eoque defuncto, ab illius matre vel immediate per ſe ipſos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam perſonam ab ipſis parentibus deſignatam Nobis denuntiari, cum indicatione parentum, a quibus orta fuerit, nec non loci, & temporis adminiſtrati Baptiſmi. Quod niſi intra triginta a nativitate numerandos dies præſtiterint, ſciant ſe pro modo culpæ diſtrictiſſimis pœnis afficiendos; quinimo eorum matrimonia, quamvis data per Nos ſecreti fide, evulganda, ut gravis, nulloque pacto ferenda jactura ab eorum filiis propulſetur. Quæ ſane omnia cum Nobis innotuerint, in librum ad hoc unice comparatum, ab eoque, in quo matrimonia occulte celebrata adnotari ſolent, diſtinctum, ſigillis obſignandum, & in cancellaria noſtra caute cuſtodiendum referenda curabimus, ut ex eo authentica documenta, cum opus fuerit, deſumi poſſint. (1)

XIV. Parochi, ſive alii ſacerdotes Baptiſmum adminiſtraturi, animum ad tanti myſterii contemplationem revocantes, maxima cum ſanctitate, & religione munus obeant. Non modo quæ ad Sacramenti eſſentiam pertinent, ſed & ritus, ac ſolemnes cæremonias, quibus Eccleſia utitur, diligentiſſime ſervent.

XV. Qui baptizandi ad eccleſiam deferuntur, eos ſimplici potius, quam exquiſito cultu commendari decet, ut humilitatem Chriſti, cui nomen daturi, non ſæculi pompas,

(1) *Ben.* XIV. *Conſt.* Satis vobis 17. *Nov.* 1741.

pas, quibus ſolemni ſponſione abrenunciaturi ſunt, ſectari videantur.

XVI. Quoniam baptizandis tamquam Dei filiis in Chriſto regenerandis nomen imponitur, parochi ne eos patiantur profanis nominibus in baptiſmate nuncupari; ſed iis eorum nomina imponenda curent, quos probata fides, ac pietas in Sanctorum album retulerunt, ut quorum nominis ſimilitudinem referunt, eorum exempla virtutum imitari ſtudeant, & patrocinio perfruantur. (1)

XVII. Si quando præmortui fratris nomen alteri fratri imponi contigerit, aliud tunc nomen ſuperaddendum curent parochi, qua una ſaltem nota alter ab altero facilius ſecernatur.

XVIII. Quæ ex baptizati capite aqua defluxerit, in proximum ſacrarium illabatur; vel ſi illud diſtet, in ſubjectam pelvim recipiatur, in illud poſtmodum projicienda. (2) Linteola, quibus baptizati caput ſemel abſterſum fuerit, ea profanis uſibus nunquam cedant. (3)

XIX. Hujus Sacramenti miniſtris patrini, ſeu ſuſceptores ex vetuſtiſſima Eccleſiæ conſuetudine adjunguntur. Parochus itaque ad Baptiſmum conferendum accedens, *diligenter ab eis, ad quos ſpectabit, ſciſcitetur, quem, vel quos elegerint, ut baptizatum de ſacro Fonte ſuſcipiant, & eum, vel eos tantum ad eum ſuſcipiendum admittat*. (4) *Sed unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus, & una baptizatum de baptiſmo ſuſcipiant*. (5) Duos tamen ejusdem ſexus ad id munus admitti poſſe, ſi unus proprio nomine, alter tanquam procurator alterius perſonæ diverſi ſexus acce-

(1) *Rit. Rom. de Bapt. Catech. Rom. de Sacrament. Bapt. Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere, ac omnes fere Diœceſ. Ravennat.* (2) *Rit. Rom. de Bapt.* (3) *Syn. Ferretti*. (4) *Conc. Trid. ſeſſ. xxiv. c. 2. de Reform. Matr.* (5) *Trid. loc. cit.*

cedat, ſacra Congregatio Concilii declaravit. (1) Inter eos, ac baptizatum ipſum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, ſpiritualem cognationem contrahi, ita ut legitima nuptiarum fœdera inter hos omnes iniri non poſſint, atque inita dirimantur; e contra vero eos, qui ultra deſignatos, baptizatum tetigerint, nulla cognatione devinciri, parochus accurata oratione explicare non prætermittat. (2) Sed & illud opportune explanabit, eos, qui tanquam procuratores, infantes de ſacro fonte levaverint, nullam contrahere cognationem, bene vero mandantes; (3) ex duobus patrinis, ſi unus tantum infantem tangat, vel ſuſcipiat, hunc tantum cognatione affici; (4) demum illam non evadere privatim baptizantem, quamvis laicum, licet in neceſſitate baptizet: (5) parentes tamen, ſi filios ex ſe genitos, modo legitimos, in neceſſitate baptizaverint, jure acquiſito petendi conjugale debitum minime privari. (6) Patrinos etiam hortabitur, ut quos ex baptiſmi fonte ſuſceperint, tamquam ſpirituales filios, præſertim ſi parentes deſint, aut id officii neglexerint, perpetuo commendatos habeant, chriſtianæ religionis rudimentis imbuant, & ad omnem pietatis rationem inſtituant, quo in Chriſto adoleſcere, ac tales in reliqua vita ſe præbere poſſint, quales futuros eſſe fidejuſſores pro illis apud Deum extiterunt. (7) Fideles vero moneantur, ne in deſignandis patrinis inanem gloriam, vel temporale emolumentum aucupentur, ſed eos omnino filiis ſuis quærant, quos ſpiritualem eorum curationem, & tutelam vere, atque ex animo ſuſcepturos

K eſſe

(1) *In Veronen.* 29. *Martii* 1582. (2) *Trid. loc. cit.* (3) *S. Cong. Conc. in Veronen. ſupracit.*, & in Theatina 13. *Sept.* 1721. (4) *S. Cong. Conc. in Cremonen. & alias.* (5) *Cap.* Pervenit 1. *cauſ.* 30. *quæſt.* 1. *S. Cong. Conc.* (6) *Cap.* ad Limina 7. *cauſ.* 30. *q.* 1. *Cap.* Si Vir *de cognat.* (7) *Catech. Rom. de Bapt.*

Digitized by Google

eſſe intellexerint. (1) Qui patrini adhibebuntur, *arma deponant, memores ſe coram rege pacifico in omni humilitatis ſpiritu illis myſteriis adeſſe oportere*. (2)

XX. Ad id muneris parentes non aſſumant, nec parochi admittant infideles, hæreticos, publice excommunicatos, aut interdictos, publice criminoſos, aut infames, mente captos, rudimenta fidei ignorantes, eoſque, qui in proxime elapſo paſchate confiteri, & Euchariſtiam ſumere neglexerint, impuberes, nondum confirmatos, ſanctimoniales, cujuſvis ordinis viros regulares, (3) demum clericos ſæculares quoſcumque, niſi noſtram ſcripto exaratam facultatem attulerint.

XXI. Pueri Baptiſmo abluendi, ad ſuam quiſque parœciam, ubi fons baptiſmalis exiſtat, deferantur. (4)

XXII. Si cui adulto propoſitum fuerit Baptiſmum ſuſcipere, niſi vitæ periculum inſtare videatur, rem ad Nos deferri mandamus, ut eidem caute prius explorato, chriſtianæ diſciplinæ inſtitutionibus exculto, ac per omnia rite comparato, in Sabbatho Sancto Paſchatis, vel Pentecoſtes, noſtris etiam manibus, ſi nihil obſtiterit, Baptiſmum ſolemniori cæremonia adminiſtremus. (5)

XXIII. Baptizati ea ipſa die, qua baptizantur, in libro Baptizatorum referantur, adhibitis formulis, quæ in Rituali Romano exhibentur, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis. Qui aliquem in vitæ diſcrimine conſtitutum ſalutaribus undis privatim abluerit, is ſive clericus, ſive laicus fuerit, per ſe, non per alium, voce, vel ſcripto, baptizati nomen, parentes, aliaque de more exprimenda eccleſiæ, ad quam adminiſtratio Baptiſmi pertinuiſſet, eadem ipſa

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (2) *Conc. Prov. Rav. cit.* (3) *Rit. Rom. de Bapt.* (4) *Conc. Prov. Rav. cit.* (5) *Rit. Rom. de Bapt. Adult.*

Digitized by Google

ipſa die ſignificabit, in Baptizatorum librum ſtatim deſcribenda. Id ſi quis præſtare neglexerit, noverit ſe opportunis remediis a Nobis compellendum. (1)

XXIV. Hujus porro libri Baptizatorum exemplar ſinguli, qui fontis Baptiſmalis jure gaudent, ſingulis annis ad archivium archiepiſcopale noſtrum afferre teneantur. At Baptiſmi teſtimonia non aliunde, quam a parochorum libris, quamdiu extabunt, excipi mandamus. (2)

CAPUT III.

De Confirmatione.

I. AD Chriſti militiam per regenerationis Lavacrum recepti, ſacro Confirmationis Chriſmate inungimur, ut novæ virtutis robore aucti, & invicti milites effecti in ſpirituali chriſtianæ militiæ certamine viriliter dimicemus, nobiſque adverſa omnia ante perferenda, vitam ipſam cum ſanguine per ſummos cruciatus profundendam eſſe ſtatuamus, quam deterreri unquam a veræ fidei confeſſione patiamur.

II. Quanquam vero Sacramentum hoc non ſit tantæ neceſſitatis, ut ſine eo ſalus comparari non poſſit, ejus tamen ſummam utilitatem parochi accurate explicabunt, ut, cum admirabiles ejus effectus fideles intellexerint, ad illud ſancte, & religioſe ſuſcipiendum vehementius alliciantur.

III. Cum autem, propoſito edicto, ſolemniter a Nobis, vel in Metropolitana noſtra, vel in aliis per diœceſim conſtitutis eccleſiis ſacrum Chriſma miniſtrandum erit, animarum rectores per aliquot ante dies confirmandos omnes ad ſe venire juſſos, de materia, forma, miniſtro, ri-

ti-

(1) *Lambertin. Inſtit. 98.* (2) *Syn. Guicciol., Syn. Cantoni.*

tibuſque, quibus hæc myſtica unctio perficitur, nec non de ejus effectibus, pro ſingulorum captu, inſtruere non prætermittant. Sciant tamen pueros ſeptennio minores ad hujus Sacramenti participationem non admittendos. (1)

IV. Die conſtituta confirmandos quiſque ſuos ad eccleſiam, in qua ſacra unctione liniendi erunt, parochi deducant, vel ab aliquo ſaltem probo ſacerdote deducendos curent. Singulos, quibus per ætatem licebit, ac eos potiſſimum, quibus alicujus lethalis peccati recordatio ſubibit, animam ut a peccatorum ſordibus Pœnitentiæ Sacramento expurgent, monebunt: ſingulis ſchedulam ſuo charactere obſignatam, ac eccleſiæ ſigillo munitam, quæ nomen, & cognomen pueri, parentum quoque, ac ſuſceptoris, ætatem, ejuſque in chriſtiana catecheſi intelligentiam referat, Nobis afferendam tradant. Si cui tamen confirmando profanum nomen inditum eſſe cognoverimus, in aliud chriſtiano homine dignum commutabimus. (2) Singulos loco aſſignato, cum ſuo quemque patrino, genibus poſitis, manibuſque junctis, conſiſtere, maribus a fœminis ſeorſim diſpoſitis, (3) ac in oratione perſeverare jubeant, ſuſcipiendi Sacramenti tempus opperientes: ſinguli, ſi mane confirmandi, ut jejuni ſint, quoad fieri poterit, curabunt: (4) ſingulos manuum impoſitioni adeſſe ſedulo advigilabunt. Si qui poſtea irrepſerint, Nobis denuntientur. Neminem denique ab eccleſia diſcedere patiantur, donec omnium unctione expleta, & conſuetis precationibus abſolutis, ſolemnem benedictionem receperit, (5) niſi juſta aliqua cauſa exire compellatur.

V.

(1) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere. Lambertin. Inſtit. 6. n. 12.* (2) *S. Car. Borr. Prov. V.* (3) *Conc. Rom. Tit. 26. c. 4.* (4) *Catech. Rom. de Sacr. Conf. Conc. Rom. loc. cit.* (5) *Syn. Guiccioli. Syn. Cantoni.*

V. Ad hujus quoque Sacramenti adminiſtrationem patrinos advocandos eſſe jure meritoque ſancitum eſt. Sed non omnes indiſcriminatim adhibeantur. In primis autem ab eo miniſterio arceri volumus, quos in Baptiſmo a ſuſceptoris officio ſupra prohibuimus. Præterea nec mares fœminis, nec fœminæ maribus patrinis utantur; (1) non juvenes ſenibus; (2) non juniores majoribus natu (3) patrini accedant. Qui puerum de ſacro Fonte ſuſceperit, eidem patrini officium in Confirmatione non gerat. (4) Nemo pluribus, quam duobus, ſine noſtra licentia, eadem die patrinus jungatur. (5) Patrinus in Confirmatione ſit unus, vel una tantum. (6) Nemo nondum confirmatus confirmando patrinus adſit. (7) Non maritus uxori, non uxor marito, non parentes filiis, non regulares, niſi regularibus (8) patrini munere fungantur. Qui patrini officium obeunt, inermes accedant. (9) Dum confirmandi frons Chriſmate linitur, patrinus dexteram manum ſuper hujus humerum dexterum teneat. (10) Unctione peracta, ac confirmati fronte miniſterio ſacerdotis ob Sacramenti reverentiam rite abſterſa, vitta alba, quam ſecum patrini afferent, frons ipſa obvolvatur, ſub ejuſdem diei veſperam proprii parochi, vel alterius ſacerdotis manibus diſſolvenda. (11) Quæ vero faſcia colligandæ confirmatorum fronti ſemel adhibita fuerit, in profanos uſus nunquam convertatur. (12)

VI.

(1) *Conc. Prov. Mediolanen. v. Pant. Rom. apud Lambertin. Inſtit. 6. n. 13. Conc. Prov. Rav. Boncompagni.* (2) *Conc. Prov. Mediolanen. v. apud. Lambertin. loc. cit.* (3) *Inſtruct. Romæ edita 22. Maji 1722.* (4) *Cap. in* Catech. 100. *de conſecrat. diſt.* 4. (5) *Inſtruct. cit. Syn. Criſpi.* (6) *Cap.* Non plures 101. *de conſecrat. diſt.* 4. *cap.* Quamvis non plures 3. *de cognat. Spirit. in* 6. (7) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni. Inſtruct. cit. Lambertin. Inſtit. 6. n. 13.* (8) *Cap.* nor licet 103. *Cap.* Monachi 104. *de conſecrat. diſt.* 4. (9) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni.* (10) *Lambertin. Inſtit. cit. n. 16.* (11) *Lambertin. Inſtit. cit. n. 17. Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.* (12) *Syn. Cantoni.*

Digitized by Google

VI. Patrinos de eorum officio, & ſpirituali cognatione nuptiarum legitima fœdera dirimente, quæ eaſdem perſonas, quas ſuperius cum de Baptiſmo ageremus ſingillatim enumeravimus, complectitur, commonere parochi non prætermittant.

VII. Confirmatorum ſchedulæ diligenter collectæ ad cancellarias noſtras deferantur, ut eorundem confirmatorum nomina, cognomina, paræcia, parentum quoque, ac ſuſceptorum nomina, & cognomina ex iiſdem ſchedulis excerpta, addito anno, menſe, die collati Sacramenti, in libro ad hoc comparato accurate adnotentur, ex eoque indubium de ſuſcepta Confirmatione teſtimonium, cum opus fuerit, peti poſſit. (1) Idem præſtabunt parochi, in quorum eccleſiis Sacramentum Confirmationis adminiſtrabitur.

VIII. Si cui parvulo rationis uſum nondum adepto, qui deceſſurus videretur, Confirmationis Sacramentum adminiſtraverimus, hunc, ſi convaluerit, a parentibus de ſuſcepta confirmatione opportune commoneſaciendum curabit parochus, ne, ipſis diem ſuum obeuntibus, de ea re unquam dubitari contingat, ac Sacramenti iterandi, quod nefas eſt, occaſio præbeatur.

IX. Sicut vero minus expedire judicatur, pueros ante ſeptennium, ſacro Chriſmate confirmare, ita hujus Sacramenti ſuſceptionem, quo perfectam chriſtiani hominis formam aſſequimur, ultra duodecimum ætatis annum abſque cauſa differri minime decere majoribus noſtris viſum eſt. (2) Ne autem ullam ſocordiæ ſuæ excuſationem ex locorum diſtantia prætendere quis valeat, Nos ſingulis diœceſeos noſtræ partibus opportune adeſſe non detrectabimus, hoc Sacramentum adminiſtraturi. Sed viciſſim a parochis paren-

(1) *Conc. Prov. Rav. Card. a Ruvere, Syn. Guiccioli.* (2) *Syn. Criſpi, Syn. Cantoni.*

rentes, tutores, domini, gravibus verbis admoneantur, ut filios, pupillos, famuloſque ſibi ſubjectos, cum oblata occaſio fuerit, ſpeciali hac Sancti Spiritus unctione adverſus omnes carnis, mundi, & diaboli impetus roborandos curent, caveantque, ne ſua, vel aliorum culpa divinum hoc beneficium contemni videatur, quod excuſari a lethali flagitio non poteſt. (1)

X. Si quem vero ætate provectiorem offenderint parochi, qui nullis ſe rationibus, ut ſibi hujus Sacramenti gratia conſulat, adduci ſinat, eum Nobis deferre non omittant. (2)

XI. Confirmationis Sacramento nondum initiati ad Primam Tonſuram non admittentur; (3) admiſſi ad beneficia promoveri non poterunt, niſi Apoſtolica diſpenſatione nitantur. (4) Puellis non confirmatis religionis habitus denegabitur; (5) ſed & a nuptiis ineundis prohibebuntur quicunque hoc Sacramento non fuerint inſigniti. (6)

CAPUT IV.

De ſacroſancta Euchariſtia.

I. Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, in quo ipſum Sacramentorum auctorem, ac omnium cœleſtium chariſmatum, & donorum fontem Chriſtum Dominum, ſacrorum myſteriorum admirabili integumento abditum, indubia fide confirmati colimus, ac veneramur, non reliqua modo Sacramenta dignitate antecellere, ſed nihil

eo

(1) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 10. (2) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.* (3) *Trid. Seſſ.* xxiv. *c.* 4. *de Reform.* (4) *S. Cong. Conc.* 27. *Sept.* 1621. (5) *S. Car. Borr. Prov. I.* (6) *Conc. Mediolanen.* v.

eo præſtantius, atque excellentius ab ipſo Deo humano generi tribui potuiſſe, affirmare non dubitamus.

II. Omnium itaque maximum beneficium, quo tranſituri ex hoc mundo ad Patrem Salvatoris noſtri perenne in nos amoris monumentum relictum eſt, pio, & grato animi ſenſu proſequamur.

III. Parochi in ſuis quiſque ecclesiis, quantavis paupertate premantur, Euchariſticum panem jugiter ſervent, una ſaltem lampade ante ipſum perpetuo collucente. (1) Id ipſum in Metropolitana noſtra, in Collegiatis, in Monialium eccleſiis præſtari volumus. In piarum vero ſodalitatum oratoriis, aliisque eccleſiis, quæ nec Apoſtolico privilegio, nec probata conſuetudine gaudent, nemo hoc ſibi arrogare præſumat; multoque minus in privatis oratoriis, niſi hæc peculiari Sanctæ Sedis indulto nitantur.

IV. Angelorum pane aſſervando tabernaculum affabre elaboratum, auro, aut coloribus, pro cujuſque eccleſiæ facultate, extrinſecus decoratum, in eum finem unice comparetur. Hujus oſtiolum ſera, clavique argentea, vel ſaltem inaurata, quamtutiſſime obſeretur. Conopæo undique ad ima uſque defluente, pro temporum, ac rituum varietate colorato, (nunquam vero nigri coloris, ſed loco nigri violacei) vel ſaltem perpetuo albo, ſi eccleſia ſumptui ferendo non fuerit, atque, ut decet, exornato tabernaculum contegatur. Intrinſecus vero panno ſaltem holoſerico, quam maxime ornato circumveſtitum, candido, ac mundiſſimo corporali ſternatur. In eo pyxis, quæ ſaltem argenteo cratere, ſeu cuppa, micante auro interius illita, conſtet, & cui crux in ſuperiori operculi parte emineat, ſacris particu-

(1) *S. Cong. Conc. in Urbinaten. 22. Martii 1594. & S. Cong. Ep. in Aſſiſien. 14. Martii 1614.*

culis excipiendis apta, ac pretioſiore conopæo albi coloris pariter obtecta, recondatur. Tabernaculum in majori eccleſiæ ara, tanquam digniori, ſi cathedrales, & collegiatas excipias, ſtatuatur. (1) Nihil in illud, quantumvis ſanctum, præter Sacram Euchariſtiam, inſeratur. (2) Ne Sanctiſſimam Euchariſtiam contrectari, vel ſurripi unquam ſacrilego auſu contingat, tabernaculi clavis ab eccleſiarum rectoribus, æditiuis, aliiſque ſacerdotibus, ad quos pertinet, tuto in loco, ac alia ſub clavi caute cuſtodiatur, ne ad laicorum manus perveniat. (3) In eos vero ſive ſæculares, ſive regulares, quos incurioſos, aut deſides in re tanti momenti fuiſſe intellexerimus, meritis pœnis animadvertemus.

V. Ne autem diuturnitate temporis ſacramentales ſpecies unquam vitientur, præcipimus, ut Divinum Sacramentum, vetere ſumpto, vel diſtributo, (4) recentibus hoſtiis, ſeu particulis dominico quoque die, ſive æſtivo, ſive hyberno tempore, renovetur, (5) contraria conſuetudine non obſtante.

VI. Chriſtum Dominum in Altaris Sacramento latentem latriæ cultu omnes venerentur, eique divinos tribuant honores. Eum crebro adeant, cum eo libenter verſentur, ejuſque præſentia delectentur. Sed non modo colant, verum etiam frequenter ſuſcipiant. Si qui vero conſcientiæ indignitate repellantur, ita ſtudeant vivere, ut hoc cœleſti cibo refici mereantur. Animarum vero rectores, & confeſſarii, quibus conſcientiarum receſſus, & cordium abdita humanis impervia oculis reſerantur, quibus gratiæ, &

L Dei

(1) *S. Cong. Ep. in Lucenſi* 10. *Febr.* 1579., *&* *in Caſertana* 29. *Nov.* 1594. (2) *Rit. Rom. S. Cong.* 22. *Febr.* 1593., *&* 3. *Maji* 1693. (3) *S. Cong.* 22. *Febr.* 1593. *S. Car. Borr. Prov.* IV. *Syn. Guiccioli*. (4) *Catech. Rom.* (5) *S. Cong. Ep. in Ravennaten.* 5. *Apr.* 1573., *&* *cap.* Permittimus 57. *de ſent. excommun. Syn. Criſpi*.

Dei dona ſingulis conceſſa explorata ſunt, pro cujuſque dignitate, & integritate, frequentiæ fructu, & ad pietatem proceſſu, rarius, aut crebrius, ut eorum ſaluti profuturum intellexerint, ad Sacri Convivii perceptionem admittant. (1) Si quos autem ita puritate mentis enitere, & ſpiritus ſervore adeo incaleſcere ſenſerint, ut digni videantur, qui quotidie cœleſtium epularum ſuavitatem deguſtent, faciat unuſquiſque quod pie crediderit eſſe faciendum. (2) Univerſos demum ad hæc ſacra myſteria acceſſuros, ſerio admoneant, ut humanam infirmitatem, & eximiam Sacramenti dignitatem ſecum reputantes, propriam conſcientiam diligenter excutiant, ac angelorum menſæ, qua Chriſtus ſumitur, ea animorum puritate accumbant, ut nedum divinam ultionem indigne ſumentibus reſervatam effugiant, verum etiam amplioribus divinæ gratiæ muneribus augeantur.

VII. Eccleſiarum præſides in id maxime incumbant, ut fidelibus ſacram communionem petentibus facilis ſemper ad Euchariſticam menſam pateat acceſſus, neque ulla unquam miniſtrantium difficultate ſive a frequenti, ſive a quotidiana ſacrorum myſteriorum participatione deterreantur. Sacerdotes item Sacrum peragentes caveant, ne quem ad Sacrificii, cui adſtat, participationem admitti poſtulantem unquam repellant, niſi forte illius votis pro temporis, loci, & perſonarum circumſtantiis minime duxerint acquieſcendum. (3) Meminerint tamen, communionem populi ſtatim poſt communionem ſacerdotis eſſe faciendam, niſi rationabilis cauſa aliter quandoque poſtulare videatur. (4)

VIII. Viri Euchariſticum cibum ſumpturi humili cultu, ac omnino inermes, depoſito etiam gladio, accedant.

Fœ-

(1) *Decret. S. Cong. Conc. 12. Febr. 1670. approb. In. XI.* (2) *Ex Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 7. c. 12. n. 6. & ſeq.* (3) *Ben. XIV. Conſtit.* Certiores effecti 13. *Nov. 1742.* (4) *Rit. Rom.*

Fœminæ non ad pompam, & luxum, ſed ad modeſtiam, humilitatemque ſe ſe componant: non facie fuco, pigmentiſque delinita, non detecto capite, non denudatis humeris, non aperto pectore, ſed undequaque contectæ, ut nihil nudatum præter vultum appareat, ſacram menſam petant. Quas autem angelorum menſam inverecunde, & aperto præſertim ſinu, adire non pudebit, iis altaris miniſtri Euchariſticum panem ſubducant. (1)

IX. Sed ab hujus Sacramenti uſu repelli etiam jubemus publice excommunicatos, interdictos, meretrices, concubinarios, fœneratores, ſortilegos, blaſphemos, & alios hujus furfuris peccatores, vitam per ſcelera, & flagitia palam traducentes, niſi præteritæ vitæ emendatio ſubſecuta, & ſcandalum ſublatum fuerit. Quin & occultis peccatoribus occulte petentibus, ſi nulla emendationis ſigna dederint, panis angelicus denegetur. (2)

X. Sacerdoti miſſam defunctorum in paramentis nigri coloris celebranti nefas eſt Euchariſtiam per modum Sacramenti, ſcilicet cum particulis præconſecratis, populo adminiſtrare; at vero ſi per modum Sacrificii, ſcilicet cum particulis in eadem miſſa conſecratis, communio præbeatur, nullo id jure interdicitur. (3) Sacram communionem ad altaris gradus laicis miniſtrari prohibemus. (4) Nocte vero, quæ natalitium Domini noſtri Jeſu Chriſti diem præcedit, nulli fidelium Euchariſtia præbeatur (5) ſub pœna ſuſpenſionis, aliiſque arbitrio noſtro infligendis. (6)

XI. Locus ſacroſanctæ Euchariſtiæ diſpenſandæ deſtinatus mundiſſimo linteo (7) huic uſui unice addicto (8) ſternatur.

XII.

(1) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* II. *c.* 12. (2) *Catech. Rom.* (3) *Sacr. Rit. Cong.* 2. *Sept.* 1741. (4) *S. Car. Borr. Prov. IV.* (5) *S. Rit. Cong. apud Ferraris V.* Euch. *n.* 29. (6) *Syn. Cantoni.* (7) *Rit. Rom.* (8) *S. Cong. Viſit. Apoſt. ſub Urbano* VIII.

XII. Sacerdos Euchariſticum panem extra miſſam adminiſtraturus, ſuperpelliceo, ac deſuper ſtola coloris officio illius diei reſpondentis, induatur. (1)

XIII. Ut omnis utriuſque ſexus fidelis, ad minus ſingulis annis in Paſchate, Sacrum Domini Corpus ſumeret, niſi forte de conſilio proprii ſacerdotis ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum, Concilii Lateranenſis decreto, quod Tridentinum poſtea confirmavit, ſtatutum eſt; alioquin vivens aditu Eccleſiæ prohiberetur, & moriens eccleſiaſtica careret ſepultura. (2) Hæc porro paſchalis communio in propria parochia ſumenda eſt; (3) ita ut nemo ſatisfeciſſe præcepto cenſendus ſit, qui in aliis eccleſiis, (4) ac etiam in Metropolitana, Corporis Chriſti myſteria participaſſet, niſi a Nobis, vel a proprio parocho veniam, raro, ac juſta tantum de cauſa concedendam, ante impetraſſet. (5) At laicis intra alicujus monaſterii regularium ſepta commorantibus, ibique famulatum exhibentibus, eamdem paſchalem communionem ab iiſdem regularibus recipere non interdicitur. (6) Noverint vero regulares, ſibi interdictum eſſe in die Paſchatis Reſurrectionis D. N. J. C. Euchariſtiam fidelibus adminiſtrare, (7) quamvis antea præcepto ſatisfeciſſent. (8) Tempus paſchale ſumendæ communioni præſcriptum quindecim dierum, a dominica Palmarum ad dominicam in Albis numerandorum, ſpatio concluditur; (9) ut qui illud ultra eum terminum, nulla intercedente juſta cauſa, produxerit, lethalis flagitii reatum non effugiat.

XIV.

(1) *Rit. Rom.* (2) *Cap.* Omnis *de Pœnit. & remiſſ. Conc. Trid. Seſſ.* 13. *can.* 9. (3) *Clem.* VIII. 1592. *apud Lambertin. Inſtit.* 18. (4) *S. Cong.* 20. *Martii* 1638. *apud. Lambertin. loc. cit.* (5) *Lambertin. loc. cit.* (6) *S. Cong. Conc.* 1587., *&* 25. *Jan.* 1728. (7) *S. Cong. Conc.* 2. *Martii* 1619. (8) *S. Cong. Conc. in Burdigal.* 9. *Jun.* 1644., *& alias*. (9) *Eugenius* IV. *Conſtit.* Fide digna 8. *Jul.* 1440.

XIV. Hoc ſalutare præceptum ſaltem in quadrageſima parochi denuntient, hortenturque fideles, ut ſe accuratius probare, piis, ſanctiſque operibus vacare, animæ ſordes Pœnitentiæ Sacramento abſtergere, tales demum ſe præbere ſtudeant, quales ſuſcepturos hoſpitio ipſum Deum dignum eſt inveniri.

XV. At quoniam non deſunt homines ſuæ ſalutis immemores, atque hunc vivificum panem adeo faſtidientes, ut vel in Paſchate a cœleſti convivio ſe doloſe ſubducere nitantur, Nos ut fraudibus, quantum poſſumus, occurramus, infraſcriptam methodum in univerſa diœceſi noſtra poſthac ſervari mandamus. Parochi igitur, quo tempore animarum ſuæ curæ ſubjectarum numerum inibunt, ſingulis ad ſacram Synaxim admiſſis ſchedulam cujuſque nomen, & cognomen referentem, ac ſymbolum aliquod parœciæ, & volventis anni numerum exhibentem, maribus quidem rubri coloris, fœminis vero viridis diſtribuant, quam ſubinde ab unoquoque, ſtatim ut paſchalem communionem ſuſceperit, per clericum, ſeu miniſtrum, quem huic officio præfecerint, repetent. Proxima autem poſt octavam Paſchatis hebdomada, ſchedulas ipſas cum animarum ſtatu conferant, & quorum deficere ſchedulas compererint, eorum Nobis quam primum (1) notulam deferre non graventur.

XVI. Quod vero attinet ad Magiſtratus tam Sapientum ad utilia, quam nonaginta Pacificorum hujus urbis, eorumque miniſtros, & famulos, ſervetur norma, quam Ssm̃us D. N. Pius Papa VI. in ſuis litteris in forma Brevis, appendici inſerendis, (2) tradidit, atque præſcripſit.

XVII. Qui paſchali tempore a propria parochia abſfuerint, reduces ſacerdotis teſtimonium, a quo communionem ſum-

(1) *Conc. Prov. Rev. Card. de Rovere.* (2) *In append. n. I.*

ſumpſerint, ſecum afferant; alioquin in propria parœcia iterum Euchariſtiam ſumere compellantur, quo eos eccleſtico præcepto ſatisfeciſſe conſtet. (1) Qui vero duplex domicilium habent, communionem in ea parœcia recipiant, in qua paſchali tempore eos inhabitare contigerit.

XVIII. Interim parochus quos paſchale Sacramentum non ſuſcepiſſe deprehenderit, propoſitis canonicis pœnis, ad officium revocare curabit. Dominica itaque in Albis inter miſſarum ſolemnia omnes, qui eccleſiaſtico præcepto non paruerint, publice admoneat; ac, ſi paternis cohortationibus aures ſuas obturaverint, aperte indicat, eos ſtatim poſt feſtum Aſcenſionis D. N. J. C. fore denuntiandos, (quod reipſa a parochis præſtari volumus) &, juris ordine ſervato, inflictis in Concilii Lateranenſis decreto pœnis, quas ſuperius commemoravimus, in Aſſumptionis B. M. V. feſto omnino ſubjiciendos, eorum nominibus eccleſiarum valvis publice affixis: ſi vero, obſirmato animo, adhuc Eccleſiæ mandatis obſtiterint, etiam excommunicationis majoris gladio feriendos. (2)

XIX. Sed quantumvis eorum deſperata ſalus eſſe videatur, parochus tamen nulli parcendum labori, aut diligentiæ ſibi eſſe ſciat, ut devias, aberranteſque oves ſuas in ſalutis ſemitam, & Jeſu Chriſti ſinum deducat. Nunc in ſpiritu lenitatis obſecrabit, nunc verborum gravitate increpabit, nunc minis perterrefaciet, ut ſi minus rupto fœdere charitatis moveantur, pœnarum ſaltem formidine a viis ſuis peſſimis tandem aliquando recedant. At ne quis ſubeundæ tantum pœnæ timore adductus, Sacram Euchariſtiam indigne ſuſcipiat, illud quoque monebit, per ſacrilegam Domini manducationem Eccleſiæ præcepto non ſatisfieri,

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (2) *S. Cong. Conc.* 28. *Jan.* 1587.

ri, (1) ac præterea indigne ſumentes ſeveriorem Dei animadverſionem non evaſuros.

XX. Pueros quoque, puellaſque, cum ad annos diſcretionis pervenerint, laudata Concilii Lateranenſis lex compleƈtitur. Cum vero alii citius, alii ſerius perfeƈtum rationis uſum, rerumque ſpiritualium intelligentiam conſequantur, hinc quo ætatis anno hujuſmodi lege urgeri incipiant, certa nequit regula definiri. (2) At quoniam communiter id evenire præſumitur intra decimum, & decimum quartum ætatis annum, parochi a parentibus præſertim, & ſacerdotibus, quibus pueri, puellæque peccata confiteri aſſueverunt, diligenter percontentur, an hujus admirabilis Sacramenti dignitatem ſatis perſpeƈtam habeant, an ejus deſiderio teneantur, in eorum vitam, moreſque inquirant, & quos ſufficienti judicii maturitate pollere, probitate morum commendari, ac in chriſtianæ doƈtrinæ rudimentis ſatis inſtruƈtos eſſe intellexerint, ad ſacram ſynaxim incunƈtanter admittant, neque eos longe præſtantiſſimo omnium bono, quo vita animæ alitur, & ſuſtentatur, plus æquo expertes eſſe patiantur. (3) Si quos vero poſt exaƈtum decimum ſextum ætatis annum a ſacra communione adhuc arcendos duxerint, rem ad Nos deferre non prætermittant.

XXI. Morbo laborantibus, ut accedere ad eccleſiam nequeant, parochi domum uſque Euchariſticum cibum paſchalibus diebus deferant, licet paullo ante id tempus eodem ſe recreaverint. (4)

XXII. Ægrotantibus autem in probabili mortis periculo conſtitutis Sanƈtiſſimi Corporis Chriſti Viaticum præbeant, ut eo ſalutari cibo confirmati morbi dolores, & incommo-

da

(1) *Prop. damnat. ab In. xi. die 2. Martii 1679.* (2) *Ben. xiv. de Syn. Diœceſ. l. 7. cap. 12. n. 2.* (3) *Syn. Guiccioli.* (4) *Syn. Guiccioli.*

da æquiori animo ferant, & ad extremam cum communi hoſte pugnam, atque impetum ſuſtinendum paratiores evadant. Parochi nunqnam committant ut fidelium aliquis, tanto deſtitutus præſidio, e vita excedat. Cum igitur morbo correptum e ſuis aliquem eſſe cognoverint, eum incunctanter inviſant, ac ſi rem in diſcrimen adductam eſſe noverint, eundem per Pœnitentiæ Sacramentum prius rite præparatum, ac in ſpem æternæ ſalutis erectum cœleſti Viatico reficiant. Quamvis autem divino præcepto per unicam in eadem ægritudine Sanctiſſimi Viatici perceptionem ſatiſfiat, attamen ſi idem mortis periculum inſtare videatur, ſciant parochi, poſſe, & debere in eadem infirmitate illud iterum, & tertio adminiſtrari, præſertim ſi ipſimet ægrotantes cœleſtem illum panem eſuriant: quin ſi illum pie efflagitantibus falſis quibuſdam, & emendicatis prætextibus poſt plurimum temporis denuo deferre obſtinate detrectaverint, pœnas arbitrio noſtro infligendas ſe noverint ſubituros. (1)

XXIII. An autem Sanctiſſimi Chriſti Corporis Viatico ei quoque ſuccurrendum ſit, qui cum mane, integra valetudine, vel Sacrum fecerit, vel Euchariſtiam perceperit, eodem die in morbum repente delabitur, aut lethali vulnere afficitur, ut medicorum judicio prudenter timeatur, ne ea ipſa die intereat, parochorum arbitrio relictum eſt. (2)

XXIV. Piam, atque laudabilem diœceſis noſtræ diſciplinam, qua capite damnatis, alioquin rite diſpoſitis, Corporis Chriſti communio miniſtratur, retineri mandamus, ut, perituro corpore, ſaluti animæ, quantum fieri poteſt, ſubveniatur. (3)

XXV.

(1) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 7. cap. 12. n. 5.* (2) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 7. cap. 11. n. 2.* (3) *Idem Ben. loc. cit. n. 3. Lambertin. de Sacrificio Miſſ. ſect. 2. cap. 6. §. 5. edit. Ital.*

XXV. Ægrotantibus pueris in vitæ diſcrimine conſtitutis, licet eam ætatem nondum attigerint, in qua, ut plurimum, ad ſacram Synaxim admitti ſolent, Corporis Chriſti Viaticum præberi mandamus, ſi modo, examine præmiſſo, eam hujus Sacramenti cognitionem habere deprehendantur, ut cœleſtem Panem a communi, & profano diſcernant, ibique latentem Chriſtum Dominum firmiter credant, & reverenter adorent. (1)

XXVI. Sacrum Viaticum non per noctem, niſi inſtante neceſſitate, ſed interdiu, & fidelium frequentia opportunis horis, eo plane ritu, qui a Rituali Romano præſcribitur, honorifice deferatur. Cubiculum in quo æger decumbit, omni ſorde purgandum, ac menſam mundiſſimo linteo ſtratam, luminibus, ac cyatho vitreo ad infirmi ablutionem inſtructam apparandam, ipſum præcipue infirmi animum ad religionem componendum antea parochus curabit. Binas ſaltem particulas ſecum afferat, quarum altera ægroto præbeatur, altera ad eccleſiam eodem, quo proceſſit, comitatu, & cultu relata populo benedicat. At ſi longius, vel difficilius iter faciendum ſit, unam tantum particulam ei licebit accipere; quam ſi libeat, in argenteo vaſculo intus inaurato, quod in ſingulis parochialibus ruralibus præſto erit, incluſam, ac in ſerico, alboque ſacculo, burſæ, ut aſſolet, conſuto repoſitam, & collo appenſam gerat: (2) qua ut æger refectus fuerit, populum dimittat. Illud etiam in die Paraſceves adminiſtrari nihil vetat. (3) At populus non campanæ ictibus, ſed alio ſigno evocetur; pſalmi cum *gloria Patri*, ſi lubet, ſed ſubmiſſa voce alternentur, & in reditu ad eccleſiam populus cum pyxide non benedicatur. (4)

(1) *Ben. xiv. de Syn. Diœceſ. l. 7. cap. 12. n. 1. 2. 3.* (2) *S. Car. Borr. Prov. IV.* (3) *S. Cong. Rit. 19. Febr. 1622.* (4) *S. Cong. Rit. an. 1745.*

XXVII. Si quem diuturno morbo laborare contingat, quamvis nullum vitæ periculum immineat, eum parochus hortabitur, ut vivifico pane identidem ſe reficiat, maxime cum alicujus feſti celebritas id ſuaſerit. (1)

XXVIII. Sacerdotes ſacroſanctam Euchariſtiam deferentes noverint ſibi aperto capite, depoſito etiam pileolo, incedendum eſſe, niſi peculiari indulto fruantur, quod pro civitate, & oppidis a Sede Apoſtolica, extra vero, a Nobis, juſta intercedente cauſa, non denegabitur. (2)

XXIX. Auguſtiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum publice, ut adoretur, populo proponendum eſſe ſtatuit Tridentinum. (3) Sed noſtri muneris eſt providere, ut quod ad Dei cultum, & honorem inſtitutum eſt, ab eccleſiaſticarum ſanctionum regula non diſcedat. Omnes, & ſingulas venerabilis Sacramenti expoſitiones, quæ Majoribus noſtris, Nobisque annuentibus, in quibuslibet ſive urbis, ſive diœceſeos noſtræ eccleſiis fieri quotannis hucuſque conſueverunt, quoad Nobis aliter viſum fuerit, præſenti decreto approbamus. Volumus tamen earum indiculum a rectoribus eccleſiarum infra duos menſes, ab hujus Synodi publicatione numerandos, Nobis exhiberi.

XXX. Veterem vero, ac laudabilem hujuſce urbis conſuetudinem, qua dominico quoque die in eccleſiis per vices in tabella (4) deſignatis ſolemniori pompa, ac ſplendidiore apparatu publicæ fidelium adorationi venerabile Sacramentum exponitur, non approbamus modo, ſed & cuſtodiri omnino mandamus. Locus in eadem tabella unicuique eccleſiæ aſſignatus teneatur, nec a quoquam, noſtro non accedente conſenſu, ullatenus immutetur.

XXXI.

(1) *Rit. Rom.* (2) *S. Cong. Rit.* 13. *Aug.* 1605. in Januen. 5. *Martii* 1633. in Aſculana, & 10. *Jun.* 1693. in Trevirenſi. (3) *Seſſ.* 13. *can.* 6. (4) *In Append. n. II.*

XXXI. Quem, ſurente bacchanalium inſania, morem induci optaverat Benedictus XIV., ut Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum in Septuageſimæ, aut Sexageſimæ, aut Quinquageſimæ hebdomadibus, aut tribus omnibus, in una vel pluribus eccleſiis per triduum publico cultui exponeretur, & quotidie ad veſperam populo benediceretur, hunc non in urbe tantum, ſed & in pluribus diœceſis noſtræ locis receptum eſſe vehementer in Domino lætamur. Hoc unum ſupereſt, ut animarum rectores ad hoc tam pium inſtitutum frequentandum fideles alliciant, quod facile aſſequentur, ſi plenariam indulgentiam, quam quibuslibet chriſtifidelibus, qui Pœnitentia, & Sacra Synaxi rite muniti ſingulis diebus auguſtiſſimum Chriſti Corpus viſitaverint, Deumque juxta eccleſiæ mentem exoraverint ex uberi Apoſtolicæ charitatis fonte Summus Pontifex benigniſſime impertitur, opportune commemorabunt. Sed & illud meminiſſe juvabit, plenariam hanc culparum veniam, cum ad pium opus directa ſit, minime impediri alia plenaria indulgentia, quæ eccleſiæ, ubi Euchariſtia exponitur, aliis de cauſis conceſſa fuiſſet; (1) quin & acquiri poſſe, licet Venerabilis expoſitio tantummodo in feria quinta infra hebdomadam Sexageſimæ peragatur. (2)

XXXII. Ad cæteras vero Euchariſtiæ expoſitiones quod attinet, quæ intra anni ambitum pro opportunitate haberi ſolent, noverint eccleſiarum præſides ſive ſæculares, ſive regulares, publicam expoſitionem, in qua Sanctiſſimum Sacramentum in *oſtenſorio* ſub *baldachino* omnibus ſpectabile exhibetur, haberi non poſſe, niſi ex publica cauſa a Nobis approbata; (3) ſeque, ſi ſecus audeant, pœnas pro me-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Inter cætera 1. *Jan.* 1748. (2) *Clem.* XIII. Cum alias 23. *Jul.* 1765. (3) *S. Cong. Conc.* in Neapolitana 17. *Aug.* 1630. *apud Lambertin. Inſtit.* 30. *n.* 11.

merito ſubituros. (1) At ſi ſermo ſit de privata expoſitione, in qua vel ſacra Hoſtia in *oſtenſorio* ſub *baldachino*, ut præfertur, collocatur, velo tamen obducta, ut oculorum obtutum effugiat, vel, pateſacto tabernaculi oſtiolo, in ejuſdem limine pyxis ſtatuitur, hanc ex privata cauſa, (2) non tamen levi, fieri non repugnamus. Conſuetudinem vero ſacram pyxidem ſub *baldachino* exponendi, ſi forte alicubi invaluerit, a diœceſi noſtra penitus eliminari mandamus. (3) Quibus in eccleſiis Sanctiſſima Euchariſtia vel circumferri, vel exponi ſolet, in iis oſtenſorium in hunc finem affabre elaboratum nunquam deſideretur. Chryſtallo vel nitidiori vitro parte utraque muniatur. Lunula, quæ ſacram excipit hoſtiam, exterius, interiuſque puro auro obliniatur, eaque mobilis, ut ſi quæ fragmenta in ea inſint, facile excuti poſſint. Thronus ſive *baldachinus* in ſummo altari ſtatuendus, ingenio artificis, pro cujuſque eccleſiæ facultate exornatus, coruſcante auro, vel argento decorus, in quo oſtenſorium collocetur, præſto erit.

XXXIII. Ad altare majus, quoad fieri poterit, auguſtiſſimi Sacramenti expoſitiones fiant. Feſtus æris campani ſonus præcedat; eccleſia tota exornetur; altare, in quo Euchariſtia locanda fuerit, elegantius componatur. Icones, & ſtatuæ, ſi quæ extiterint, obtegantur, auferantur reliquiæ, ut uni Deo honor, & cultus deferatur. Duodecim ſaltem cerei colluceant, cum *oſtenſorium* ſub *baldachino* exponitur; ſex ſaltem, ſi tantum pyxis ad tabernaculi limen efferatur. Ipſo autem expoſitionis tempore eleemoſynas quæritare, vel pelvim, in qua injiciantur, proponere, nulli liceat. (4) In quibuſdam ſolemnioribus expoſitionibus

(1) *S. Cong. apud Braſchi Prompt. Synod. cap. 26. relat. a Lambertin. Inſtit. cit. n. 13.* (2) *Reſolut. cit.* (3) *Lambertin. Inſtit. 30. n. 16.* (4) *Lambertin. Inſtit. 30.*

bus ſacerdotes, vel clerici in ſacris conſtituti a Nobis deſignabuntur, qui bini ad horam genibus provoluti, orantesque ante Sanctiſſimum Sacramentum, ſacerdotes quidem ſuperpelliceo, & ſtola, clerici vero ſuperpelliceo induti, alternatim conſiſtant. (1)

XXXIV. Cum majori in hebdomada ad eccleſiam Sancti Sebaſtiani, occaſione expoſitionis quadraginta horarum conveniendum erit, ea methodus a parochialibus, ſodalitatibus, aliiſque piis locis omnino ſervetur, quam a Deceſſore noſtro propoſitam in hujus Synodi calce apponi mandamus. (2)

XXXV. Quoties vero Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum exponendum erit, toties eccleſiæ oſtio latum velarium obtendatur, ne tranſeuntium per vias irreverentiis pateat. (3)

XXXVI. Ut vero fideles majori in dies erga Sanctiſſimum Sacramentum religionis ſtudio inflammentur, parochi opportune indulgentias evulgabunt, quas Summi Pontifices ejuſdem Sanctiſſimi Sacramenti cultoribus liberaliter conceſſere. (4)

CAPUT V.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

I. UT cruenti Sacrificii, quod de ſe ipſo Dominus Noſter Jeſus Chriſtus in ara Crucis, morte intercedente, Patri oblaturus erat, quo ereptum e poteſtate tenebrarum genus humanum in filiorum Dei libertatem vindicaret, memoria in finem uſque ſæculi permaneret; in cœna

(1) *Lambertin. Inſtit. cit.* (2) *In Append. n. III.* (3) *Syn. Criſpi, Syn. Guicioli.* (4) *In Append. n. IV.*

na noviſſima, qua nocte tradebatur, miro, atque ineffabili charitatis conſilio Sacramentum ſui Corporis, & Sanguinis inſtituit, Apoſtolis ſumendum præbuit, ac eiſdem, quos novi teſtamenti ſacerdotes conſtituebat, eorumque in ſacerdotio ſucceſſoribus, ut offerrent præcepit in ſui commemorationem. (1)

II. Sacerdotes huic tremendo miniſterio mancipati ſecum animo reputent, quantam ad altare afferre animi pietatem, & religionem debeant, in quo cœleſtis victima Deus verus Deo vero immolatur. Quare eos vehementer in Domino adhortamur, ut octavo ſaltem quoque die animæ ſordes Pœnitentiæ Sacramento eluere ſtudeant. (2) Quod ſi aliquando mortiferi alicujus peccati conſcientia tangantur, a re divina facienda, quantumvis ſibi contriti videantur, ſibi abſtinendum eſſe ſciant, niſi ſacramentali confeſſione præmiſſa. At ſi neceſſitate urgente, & confeſſarii copia deficiente, celebraverint, quam primum confiteri non omittant. (3)

III. Sacrum facturi nunquam cum ocreis, aut calcaribus ſacrarium ſubeant. Qui urbem, & ſuburbia incolunt integro talari habitu induti accedant; nec audeant eccleſiarum rectores, vel æditui, quemquam, qui non eo habitu ſe ſiſtat, ad celebrandum admittere, ſub pœna ſcutatorum decem tam a prædictis rectoribus, & æditu is, quam a celebrantibus quaque vice ſubeunda. (4) Reliquis fictitiam, ſeu ſine manicis talarem veſtem in ſacrario ſumere permittitur; dimidiata prorſus interdicta. Cenſuetudinem, ſi forte alicubi inter ſacerdotes extra urbem perpetuo, vel ad notabile temporis ſpatium commorantes invaluerit, ad eccle-

(1) *Lucæ* 22. (2) *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni*. (3) *Conc. Trid. Seſſ.* 13. *cap.* 7. (4) *Edict. urbis* 30. *Jul.* 1748. *&* 4. *Nov.* 1788.

cleſias rurales rei divinæ faciendæ, aut officiorum celebrandorum cauſa accedendi cum habitu alterius, quam nigri coloris, vel abſque conſueta collo circumducta linea vitta, vel cum armis quibuſcunque omnino eliminari mandamus. Eccleſiarum vero rectores, & ſacrariorum præfecti caveant, ne quem, cujuſvis conditionis fuerit, indecoro habitu ab hujus decreti præſcripto diſcrepante, ad ſacrificandum admittant, ne animadverſioni noſtræ ſubjiciantur. At ſi quis ſine talari, ſaltem ſine manicis, veſte celebrare auſus fuerit, ſuſpenſionis pœnam ipſo facto ſe noverit ſubiiſſe.

IV. Cum ſemper deceat ſacerdotes modeſtia, & eccleſiaſtica ſimplicitate commendari, tum vero eo potiſſimum tempore, quo divinam Hoſtiam oblaturi ſunt; quare non comas, aut adſcitos capillos ad elegantiam, & luxum compoſitos, vel unguentis delibutos, vel cyprio pulvere aſperſos ad altare afferant; ſecus tam ipſi celebrantes, quam ſacrariorum præfecti, qui illos ad celebrandum admiſerint, pœnam ſcutatorum decem, quaque vice ſolvendam, omnino dabunt. (1) Caveant tamen, ne impexo capillo, detritis, aut ſqualore obſitis veſtibus, illotis manibus, calceiſque cœno inquinatis accedant, quod non modo a rei dignitate, ſed ab omni etiam bene morato homine maxime abhorret.

V. Cum ad ſacrarium ſacrificaturi convenerint, in remotum locum ſecedentes, conſuetis precationibus vacent, animumque ad tanti myſterii cogitationem attollant. Sed & illud ab unoquoque curandum eſt, ut non ante ad altare accedat, quam matutinum cum laudibus recitaverit. (2) Ubi plures advenerint, locum quiſque ſuum teneant, egredien-

(1) *Edict. urbis 6. Jul.* 1753., *&* 4. *Nov.* 1788. (2) *Rubr. Miſſ. Rom. de præp. Sacerdotis, & tit.* 10. *de defectibus.*

diendi tempus patienter, modeſteque opperientes. Cum ſacras induunt veſtes, ſtatutam ſingulis precatiunculam religioſe aptent; atque ut omnia de more in ſacrario abſolverint, gravi inceſſu, vultuque intimam cujuſque religionem patefaciente ad altare progrediantur.

VI. Ritus, & cæremonias ab Eccleſia inſtitutas, & approbatas, quibus tanti ſacrificii majeſtas commendatur, menteſque fidelium ad rerum altiſſimarum, quæ in hoc Sacrificio latent contemplationem excitantur, ſacerdotes adamuſſim ſervabunt. (1) Quædam ſubmiſſa voce, quædam altiore ad Miſſalis Romani præſcriptum pronunciabunt: (2) non nimiam tarditatem affectabunt, ut horæ dimidium Sacrum excedat: at multo magis ab incondita feſtinatione temperabunt; ita ut non citius tertiæ partis horæ ſpatio abſolvatur. (3) Qui vero citius celebraverint a celebrando ſciant eſſe ſuſpendendos. (4) Eccleſiarum autem rectores, & æditui ſedulo advigilent, ne quid contra hujus ſtatuti rationem peccetur; & quos nimia celeritate celebrare, vel cæremonias, & ritus negligere cognoverint, eos, nulla admonitione præmiſſa, ad Nos deferre non prætermittant, ſub pænis in Deceſſoris noſtri edicto conſtitutis, ac, citra ullam veniæ ſpem, incurrendis. (5)

VII. Sacerdotes celebrandi tempus ab aurora ad meridiem metiantur. (6) Noverint tamen per tertiam horæ partem auroram antevertere, & per totidem temporis meridiem protrahere permiſſum eſſe. Nemo conſtitutos terminos aut prævenire, aut prætergredi unquam audeat, niſi Apoſtolicæ Sedis privilegio, quo tamen parce utendum erit, per-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Annus qui 19. *Febr.* 1749. *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *in decret. de obſervand. & vitand: in celebratione Miſſæ.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 5. (3) *Lambertin. Inſtit.* 34. §. 6. *n.* 30. (4) *Inſtit. cit.* §. 6. *n.* 32. (5) *Edict. Contoni* 4. *Julij* 1780. *in Append. n.* I. (6) *Miſſ. Rom. rubr. tit.* 15.

Digitized by Google

perfruatur . (1) Nocte ſacratiſſima , quæ diem Chriſti natalem præcedit , miſſam celebrare ex vetuſtiſſimo Eccleſiæ more licebit ; ne vero in oratoriis , & piarum ſodalitatum eccleſiis ſine noſtra licentia celebretur , juſtis de cauſis prohibemus . Quin & rurales parochos hortamur, ut ab ea celebranda inpoſterum abſtineant , ad avertenda plurima incommoda , quæ ex ea cæteroquin pia conſuetudine haud raro conſequi ſolent . At nulli omnino fas erit , citra Apoſtolicam diſpenſationem , ante noctis dimidium Sacrum facere : quod ſi quis audeat, ſuſpenſionis pœna punietur . (2) Sed neque permittitur , priore miſſa abſoluta , reliquas duas indeſinenter celebrare , quæ in conſuetum tempus omnino transferendæ ſunt . (3)

VIII. Peracto Sacrificio , ſacriſque depoſitis indumentis , ſacerdotes in ſecretiorem locum denuo ſecedant , grates pro tam eximio beneficio Deo reddituri .

IX. Sacerdotio recens initiati non ante manus Sacrificio admoveant , quam in cæremoniis , ritibuſque a noſtro cæremoniarum magiſtro apprime inſtituti fuerint , ejuſque rei exhibito teſtimonio , a Nobis , vel a Vicario noſtro generali celebrandi veniam obtinuerint . Qui , hiſce neglectis , ſacrificare præſumpſerit , pœna ſuſpenſionis a celebratione miſſæ , arbitrio noſtro duraturæ , ſe ſciat fore plectendum. Decet autem ea potiſſimum die , qua primam Hoſtiam ſacerdotes obtulerint , a vanis , ineptiſque colloquiis ſe ſubducere , ludos , convivia , lætoſque conventus declinare , ut Deo laudes , grateſque referre , & in cœleſtium rerum cogitationem animum intendere abſque ulla interpellatione poſſint .

(1) *Lambertin. Inſtit.* 12. (2) *Ben.* XIV. *de Syn. diœceſ. lib.* 6. *cap.* 8. *num.* 21. (3) *S. Rit. Cong. pluries. S. Cong. Viſit. Apoſt.* 7. *Decembr.* 1702. *Edict. Urbis Vicarii* 18. *Decembr.* 1702.

X. Sacerdotes vagi, ignoti, vel peregrini, ſive ſæculares, ſive regulares a re divina facienda prohibeantur, niſi ſui Ordinarii, vel ſuperioris commendatitias literas a Vicario noſtro generali in urbe, in diœceſi vero a Vicariis foraneis, ſeu, iis deficientibus, a parochis recognitas, & approbatas attulerint, ex quibus non modo ad presbyteratus ordinem fuiſſe promotos, ſed præterea nullo canonico impedimento irregularitatis, vel ſuſpenſionis eos irretiri conſtet. (1) Idipſum a regularibus in propriis eccleſiis quoad ſacerdotes ſæculares exteros omnino ſervetur. (2) Eccleſiarum vero ſive ſæcularium, ſive regularium rectores, vel æditııos, quos oſcitanter in re tanti momenti ſe geſſiſſe intellexerimus, meritis pœnis excitabimus.

XI. Tridentini Concilii mandatis obtemperantes, curabimus, ut ſacerdotes, ſaltem diebus dominicis, & feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, Sacrum peragant. (3) Sed eos præterea monemus, atque adhortamur, ut frequenti, atque etiam quotidiana ſalutaris Hoſtiæ oblatione Deo laudem, Sanctis lætitiam augere, reis veniam, juſtis ſubſidia, animabus in purgatorio exiſtentibus refrigerium, ſibique ipſis, ac univerſæ demum militanti Eccleſiæ opportuna auxilia impetrare, ac comparare ſtudeant. Quem vero tantus negligentiæ torpor obrepſerit, ut per annum, nulla intercedente juſta cauſa, a ſacro munere ceſſet, ne ſe culpa gravi vacare arbitretur. (4)

XII. Feria tamen ſexta majoris hebdomadæ nulli omnino ſacerdoti liceat ſive ſolemniter, ſive privatim Sacrum ſa-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. in cit. Decret., & ſeſſ. 23. cap. 16. de reform. Epiſt. Supr. Inquiſit. apud Lambertin. Inſtit. 24. §. 1.* (2) *S. Cong. Conc. 17. Nov. 1594. apud Lambertin. loc. cit.* (3) *Conc. Trid. Seſſ. 23. cap. 14. de reform.* (4) *Lambertin. de Sacrif. Miſſæ ſect. 2. cap. 1. §. 1. & 2. edit. Ital.*

facere. Feria autem quinta, & ſabbato ejuſdem hebdomadæ unica duntaxat miſſa, ac non in omnibus eccleſiis, ſed in Metropolitana noſtra, collegiatis, aliiſque, quæ Euchariſticum Panem perpetuo ſervant, celebrari permittitur. (1)

XIII. Si in feriam ſextam paraſceves, vel ſabbatum ſanctum inciderit feſtum Annuntiationis B. M. V., hoc ad feriam ſecundam poſt dominicam in Albis, una cum præcepto audiendi miſſam, & vacandi ab operibus ſervilibus, ex Sacræ Rituum Congregationis decretis, transferri volumus (2). Si ejuſdem Annuntiationis, vel S. Joſeph feſtum in feriam quintam ejuſdem hebdomadæ occurrerit, officium in aliam diem juxta rubricas breviarii romani, & Sacræ Rituum Congregationis decreta transferendum erit; non item vero præceptum audiendi miſſam, & abſtinendi a ſervilibus, quod omnino in eadem feria quinta ſervari volumus. Noſtrum autem erit tunc providere, ut eadem die ante celebrationem ſolemnis, aliquot privatæ miſſæ tam in urbe, quam in diœceſi pro locorum qualitate, & chriſtifidelium in iis degentium numero celebrentur, ne adimplendi præcepti facultas deſit. (3)

XIV. Quorum eſt Sacrificiorum materiam parare, hi ſedulo curabunt, ut non inepta, aut indecens adhibeatur; illa enim nullo pacto confici poſſet, hac illicite Sacramentum conficeretur. Hoſtiæ ſint ex mundiſſimo tritico, candidæ, ac ita recentes, ut nulla prudens corruptionis ſuſpicio ſuboriri poſſit. Sed antequam in patena locentur undique ſummis digitis leviter defricentur, ut, ſi quæ forte eis fragmenta adhæſerint, abſtergantur. (4) Vinum ſit primo

(1) *S. Rit. Cong.* in Neapolit. 24. *Jun.* 1652. *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni.* (2) *S. Rit. Cong.* 11. *Febr.* 1690., & 11. *Maji ejuſd. Anni in Decret. Urbis*, & *Orbis*. (3) *S. Rit. Cong.* 13. *Sept.* 1692., & 12. *Sept.* 1716. *Lambertin. Inſtit.* 38. *n.* 10. *Idem de Sacriſ. Miſſæ ſect.* 2. §. 2. *edit. citat.* (4) *Rubr. Miſſ. tit. de præpar. Sacerdotis*.

mo ab uvis expreſſum, non aqua dilutum, (niſi forte alicubi parum aquæ muſto, ut melius decoquatur, infundi conſueverit) non ſubacidum, multoque minus acidum, ut aceti naturam induat, non fæculentum, aut lutulentum, & quaſi recens vindemiatum. (1) Vinum autem album, ubi commode haberi poterit, adhibeatur. (2) Qui vero non aptam, aut quomodocunque interdictam materiam apponere, vel adhibere non verebuntur, ſeverioribus pœnis ſubjicientur.

XV. Miniſtri tremendo altaris myſterio inſervientes talarem veſtem, & ſuperpelliceum, diebus ſaltem feſtis, (3) ſingulis autem diebus in Metropolitana, & Collegiatis (4) induant. Officio intenti non hac illac excurrant, (5) non oculis evagentur, ſed religioſa animi, & totius corporis compoſitione ſacrificanti aſſiſtant; non properanter reſpondeant, non verba involvant, ſed clare, atque diſtincte pronuncient. Qui publice, & notorie criminoſi fuerint, iis miniſtrandi munus penitus interdicitur. (6)

XVI. Veteri jam conſuetudine in Eccleſia receptum eſt, ut fideles ſtipem ſacerdotibus elargiantur, quo exuberantem ſacrificii fructum in ſe, proximos, aut amicos, ſive vitæ compotes, ſive defunctos derivent. Sedulo tamen curandum Nobis eſt, ne, quod cæteroqui licitum, & ſanctum eſt, ſacerdotum mammonæ inſervientium improba cupiditate dehoneſtetur. (7) Mercedum itaque cujuſcunque generis conditiones, pacta, & quicquid pro miſſis novis celebrandis datur, nec non importunas, atque illiberales eleemoſynarum exactiones potius, quam poſtulationes, aliaque hujuſmodi, quæ a ſimoniaca labe, vel certe a turpi quæſtu non lon-

(1) *Apud Lambertin Inſtit.* 77. (2) *Syn. Cantoni, & Fulginat. Baptiſtelli.* (3) *Syn. Guiccioli.* (4) *Syn. Criſpi.* (5) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni.* (6) *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *Decret. cit.* (7) *Ben.* XIV. *de Syn. diœceſ. lib.* 5. *cap.* 8.

longe abſunt, quæque avaritia idolorum ſervitus invexit, execramur, ac omnino prohibemus. (1) Hæc autem omnia ut e medio tollantur, miſſarum, quæ adventitiæ, ſeu manuales vocantur, decem obulorum, ſive unius julii romani ſtipendium præfinimus; ita tamen ut pinguioris eleemoſynæ largiendæ conſuetudinem, quam in aliquibus diœceſeos noſtræ partibus obtinuiſſe non ignoramus, ſartam tectam ſervari velimus. Huic decreto omnes acquieſcant ſacerdotes tum ſæculares, tum regulares; (2) nec quiſquam uberioris exactione ſtipendii deſcriptos a Nobis fines prætergrediatur. Majorem tamen eleemoſynam, remoto quocunque dolo, & pacto, ſponte oblatam accipere non prohibentur. (3) Eleemoſynas autem ſolito minores pro celebrandis miſſis accipientes, cavebunt, ne doloſa liberalitate alios ſacerdotes debita ſtipe defraudent, ſecus eam conſueti ſtipendii remiſſionem, etiam propoſita pœna, ſciant fore interdicendam. (4) Qui pro miſſis manualibus eleemoſynas acceperint, noverint, ſe neutiquam poſſe per alium ſatisfacere, aliqua ſtipendii parte ſibi retenta, ſed integram, quam acceperint eleemoſynam, ſacerdoti ſacrificanti omnino erogandam eſſe; (5) licet ipſe certior factus de majori eleemoſyna ab alio recepta minore contentus ſit. (6) Sed neque in commodum eccleſiæ ſacra indumenta, aliaque utenſilia ſacerdoti ſubminiſtrantis quicquam ex conſuetis manualibus eleemoſynis detrahi poſſe, Urbani VIII. decreto cautum eſt. (7) Quamvis igitur ſacrariorum præfe-

(1) *Conc. Trid. decret. cit.* (2) *Sac. Cong. Conc. in Romana* 15. *Jan.* 1639. *apud Ben.* XIV. *de Syn. diœceſ. lib.* 5. *cap.* 9. *n.* 2., *&* *apud Lambertin. Inſtit.* 56. *n.* 10. (3) *S. Cong. Conc.* 16. *Jan.* 1640. *apud Ben.* XIV. *de Syn. diœceſ. loc. cit.* (4) *S. Cong. Conc.* 16. *Jul.* 1689. *apud. Ben.* XIV. *de Syn. diœceſ. l.* 5. *cap.* 9. *n.* 2. *Lambertin. Inſtit.* 56. *n.* 11. (5) *Prop. damnat. ab Alex.* VII. 24. *Sept.* 1665. *Vide Ben.* XIV. *loc. cit.* (6) *S. Cong. Conc. apud Lambertin. Inſtit.* 56. *n.* 6. (7) *Apud Ben.* XIV. *loc. cit. n.* 3.

ſecti minime teneantur ſacerdotibus, quibus ipſi ſtipendium non obtulerint, vel ex privatæ religionis ſtudio celebraturis, celebrandi commoditatem in ſuis eccleſiis præbere, attamen ſi ſponte eos ad celebrandum admiſerint, nihil ab iis, quod pia diœceſeos noſtræ diſciplina receptum eſt, pro utenſilibus ſubminiſtrandis exigatur; niſi forte ii celebrare voluerint, & eccleſiæ redditus non ſuppetant, quibus ſacra utenſilia præſtandi onus ſuſtinere queat. (1) Quod vero ab iis, qui vel defunctorum officia, vel alicujus Sancti feſtum celebrant, expenſarum nomine, quæ ea occaſione ſubeundæ fuerint, ſacrariis rependitur, pro hujus diœceſis conſuetudine in duos obulos taxari mandamus. (2) Morem in diœceſi noſtra obtinentem, ſacerdotes ad faciendum Sacrum certa propoſita ſtipe publice ad eccleſias evocandi, prorſus tolli mandamus.

XVII. Turpiſſimum autem, & execrabile illorum mercimonium, qui miſſarum eleemoſynas iis in locis quæritant, & colligunt, in quibus vel conſuetudines, vel ſynodorum ſanctiones largiorem ſtipem ſacerdotibus Sacrum peragentibus aſſignant, miſſas vero alibi celebrandas curant, ubi conſuetudine, vel ſynodali lege minor eleemoſyna pro ſingulis miſſis eſt celebrantibus attributa, ut hoc pacto pravi nundinatores acceptæ ſtipis partem ſibi vindicent, a Summis Pontificibus jamdiu reprobatum, iterumque a Benedicto XIV. condemnatum, Nos item reprobamus, & condemnamus. Si qui autem adhuc lucri cupiditate obcæcati, huic ſordidæ nundinationi operam dare non verebuntur, ſciant ſe, præter alias arbitrio noſtro irrogandas, excommunicationis pœna, ſi laici, ſuſpenſionis vero, ſi clerici fuerint, a quibus a nemine, præterquam a Romano Pontifi-

(1) *Lambertin. Inſtit.* 56. *n.* 12. 13. & 24. (2) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 24.

Digitized by Google

tifice, niſi in mortis articulo conſtituti, abſolvi poterunt, ipſo facto afficiendos; quamvis ſacerdos celebraturus majoris pretii ſtipendium collatum fuiſſe probe noſcens, in dimidiatam eleemoſynam conſenſerit. (1)

XVIII. Noverint Sacerdotes ab eleemoſynis manualibus recipiendis ſibi abſtinendum eſſe, niſi intra modicum tempus, ſcilicet infra menſem, miſſas celebrare valeant. (2) Ab ea tamen lege excipiuntur ii, quibus longioris temporis ſpatium ab ipſis eleemoſynarum oblatoribus conceſſum fuerit.

XIX. At ſi de perpetuis miſſarum oneribus ſermo ſit, alia omnino ineunda ratio eſt. Quoties ergo de hujuſmodi oneribus alicui eccleſiæ imponendis agetur, rem ad Nos deferri præcipimus, ut, prævia inquiſitione de aliis miſſarum celebrandarum obligationibus, deque facultate tam novo oneri ſuſcipiendo, quam antiquis jam ſuſceptis ſatisfaciendi, quod expedire viſum fuerit, decernamus. Interim vero eccleſiarum, aliorumque locorum piorum rectoribus, ſive adminiſtratoribus denuntiamus, nunquam Nos perpetua miſſarum onera probaturos, niſi eum confecta dos fructum referat, ex quo in tot partes, quot miſſæ celebrandæ fuerint, diſpertito, obulorum ſexdecim, cum denariis octo ſtipendium ſingulis obveniat, adeo ut pro miſſa perpetua quotidiana ſexaginta ſcutatorum romanorum proventus omnino requiratur. (3) Quod ſi ſortem, vel ejus cenſum temporum injuria, vel aliis de cauſis perire, aut imminui contigerit, non ideo tamen prædicti rectores, & adminiſtratores ſibi integrum eſſe exiſtimabunt, miſſarum onera contrahere, ſeu earum numerum ſemel præfinitum moderari.

Sed

(1) *Ben. XIV. Conſtit.* Quanta cura 30. *Jun.* 1741. (2) *S. Cong. Conc.* 17 *Jul.* 1655. *apud Lambertin. Inſtit. cit. n.* 14. (3) *Conc. Rom. tit.* 15. *cap.* 8. *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 19. *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni*.

Sed nec iis licebit earum miſſarum numerum minuere, quarum obligationem nemo adhuc in ſe ſuſcepit, & fortaſſe, ob tenuitatem eleemoſynæ illarum numero reſpondentis, nemo reperietur, qui illam acceptare velit: quin & Nobis hanc facultatem, alias a Tridentino collatam, (1) poſtmodum ademptam fuiſſe noverint; (2) niſi forte qui legatum reliquit, Nobis facultatem fecerit deſignatarum miſſarum numerum minuendi. (3)

XX. Qui indultis altarium pro animabus fidelium defunctorum a pœnis purgatorii liberandis, ut vocant, privilegiatorum in ſuis eccleſiis gaudent, diligenter attendant, ut præfinitus miſſarum numerus ſingulis diebus, non aliquibus tantum cujuslibet hebdomadæ, (4) ibidem celebretur, ne aut defunctorum ſuffragia, aut viventium vota fraudentur. Sciant indulgentias neutiquam ſuſpendi, ſi ob ſacerdotum infirmitatem præfinitus miſſarum numerus deſit, vel ſi iidem ſacerdotes occaſione feſtivitatum, vel funerum alio celebraturi dilabantur, dummodo id raro contingat; e contra vero ſuſpendi ob ſacerdotum abſentiam ex cauſa prædicationis tempore Adventus, vel Quadrageſimæ, ſeu aliam ob cauſam, per aliquot dies, vel menſes, ſi interim, quem indultum præfinit ſacrificiorum numerus deficiat. (5) Quare caveant eccleſiarum præfecti, ne, cum privilegium ceſſaverit, vel quomodocunque ſuſpenſum fuerit, eleemoſynas miſſarum in iis altaribus celebrandarum recipiant, niſi offerentes, ea de re moniti, de illis utcunque celebrandis ſponte conſenſerint.

XXI. Altaria vero ſive in parochialibus, ſive in colle-

(1) *Seſſ. 25. cap. 4. de Reform.* (2) *Urban.* VIII. *Conſtit. 45. S. Cong. Conc. apud Ben.* XIV. *de Syn. diœceſ. l. 5. cap. 10.* (3) *S. Cong. Conc. loc. cit.* (4) *S. Cong. Conc. 5. Jun. 1694. approb. Innoc.* XII. *apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 16.* (5) *S. Cong. Conc. 30. Jul. 1706. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 17.*

legiatis diœceſeos noſtræ Apoſtolico Clem. XIII. privilegio decorata (1) nulli miſſarum numero obnoxia ſunt.

XXII. Miſſæ pro defunctis, quæ ad altaria privilegiata, ſive ex obligatione, ſive ex fidelium pietate celebrandæ fuerint, quoties ex rubricarum præſcripto liceat, erunt *de requiem*; quibus vero diebus miſſæ defunctorum interdicuntur, per miſſas de feſto currenti injunctis oneribus ſatisfieri, indulgentiaſque per hujuſmodi Apoſtolica privilegia conceſſas, animabus defunctorum, quæ Deo in charitate conjunctæ ab hac luce migraverint, perinde ſuffragari, ac ſi miſſæ defunctorum fuiſſent celebratæ ex pluribus Summorum Pontificum conſtitutionibus non obſcure eruitur. (2)

XXIII. Caveant eccleſiarum præſides, ne privilegii ad tempus conceſſi literis utantur, poſtquam tempus, quo ſingulæ circumſcribuntur, elapſum fuerit; quod quidem a die, quo Romæ datæ ſunt, non a quo publicatæ, ſciant omnino eſſe ſupputandum. (3)

XXIV. Quam ſingulis diebus rubricarum ratio præſcripſerit, miſſa celebretur. In eccleſiis, in quibus officium fit duplex, miſſa *de requiem* interdicitur. (4) Sacrum facturi in eccleſiis regularium, aut monialium, quod & de eorum capellanis intelligendum eſt, miſſam illius Sancti, cujus ibi feſtum agitur, celebrare poterunt. Cum vero miſſa Sancti alicujus propria regularibus tantum ab Apoſtolica Sede conceſſa fuerit, miſſam ex Miſſali Romano ejuſdem Sancti propriam, ſi extet, ſi minus ex communi deſumptam legent; (5) niſi alicubi indultum ſit, ut miſſa

(1) *Decret. S. Cong. Indulg. approbat. a Clem.* XIII. 19. *Maji* 1759. (2) *Alex.* VII. *Conſtit.* Creditæ 22. *Jan.* 1667. *Clem.* IX Cum felicis 23. *Sept.* 1669. *In.* XII. Alias 4. *Maji* 1688. *S. Rit. Cong. approb. Clem.* XI. 14. *Sept.* 1714. (3) *S. Rit. Cong.* 18. *Maji* 1711. (4) *S. Rit. Cong. in* Converſana 1668. (5) *S. Rit. Cong.* 19. *Nov.* 1622., & 9. *Jun.* 1668. *Decret. gen. ejuſd. Cong.* 20. *Nov.* 1717. *approb. Clem.* XI. *apud Lambertin. Inſtit.* 34. §. 5. *n.* 20.

regularibus conceſſa, a quibuſvis ſacerdotibus recitetur.

XXV. Qui miſſas, cujuſcunque generis ſint, celebrandi onus aſsumpſerint, numerum, tempus, locumque a teſtatoribus, ſive ab eleemoſynarum oblatoribus ſtatutum exacte ſervabunt. In eum finem, præter tabellam miſſarum perpetua onera exhibentem, binos oblongos libros, vulgo *vacchette* a ſacrariorum præfectis comparari jubemus, in quorum altero perpetua miſſarum onera, in altero miſſæ adventitiæ diligenter adnotabuntur. Sed & ſacerdotes, qui iiſdem miſſarum oneribus ſatisfecerint, celebrationem in prædictis libris proprio charactere quaque vice adnotabunt, ſervata adamuſſim methodo, quam edictum noſtrum hujus Synodi appendici inſerendum (1) exhibet, ſub pœnis in eodem conſtitutis omnino incurrendis.

XXVI. Meminerint fideles redemptionis noſtræ opus toties exerceri, quoties hanc ſacratiſſimam Hoſtiam immolamus; ejuſque ſuaviſſimo odore ita delectari Deum, ut gratiæ, & pœnitentiæ donum nobis impertiens, ab ira ad miſericordiam, a ſeveritate ad clementiam traducatur. Hac una porro conſideratione ita omnes excitandos fore ſperamus, ut ſingulis diebus tremendo huic myſterio corpore, & animo ad religionem compoſito intereſſe velint.

XXVII. Univerſos demum, & ſingulos per Jeſu Chriſti viſcera obſecramus, atque obteſtamur, ut quamvis in ſuis viciniis, oppidis, & ſuburbiis oratoria, capellas, aliaſque eccleſias habeant, ubi ſanctiſſimo Miſſæ Sacrificio intereſſe poſſint, frequenter tamen, dominicis ſaltem, aliiſque ſolemnioribus feſtis diebus, ad ſuam quiſque parochialem conveniant, ubi a parocho, cui eorum cura commiſſa eſt, verbo Dei paſcantur, fidei chriſtianæ rudimentis, aliiſque ad animarum ſalutem neceſſariis præceptis erudiantur, ad ſanctiſ-

(1) *In Append. n. 2.*

Digitized by Google

ctiſſima Sacramenta religioſius percipienda inſtruantur. (1)

CAPUT VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

I. MUndatis aquæ lavacro in verbo vitæ, qui mundi illecebris, ac ſenſuum cupiditatibus jactati in peccati ſervitutem, & dœmonis poteſtatem ſe ſe iterum tradidiſſent, præſentiſſimum in Pœnitentiæ Sacramento remedium a divina benignitate collatum eſt, cujus ope, atque præſidio ſuorum veniam ſcelerum conſequerentur, & amiſſam cœleſtis juſtitiæ gratiam reciperent.

II. Quoniam autem Sacramentum hoc non ſecus lapſis poſt Baptiſmum, ac nondum regeneratis Baptiſmus, ad ſalutem neceſſarium eſt, (2) parochi propterea illius naturam, vim, dignitatemque accurate, ac frequenter explicabunt, docebuntque, quandonam confitendi præcepto teneamur, quænam in confeſſione neceſſario aperienda, quænam reticeri impune poſſint, qua demum ratione affectos fidelium animos eſſe deceat, ut cum Deo in gratiam reduci, & ſupernorum chariſmatum donis cumulari mereantur.

III. Quamvis presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtate donentur, quia tamen judicii natura, & ratio poſtulat, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, nullius propterea momenti abſolutio futura eſſet, quam ſacerdos in eum proferret, in quem ordinariam, aut ſubdelegatam non haberet juriſdictionem. (3) Nemo itaque ſive ſæcularis, ſive regularis ſæcularium confeſſiones, præterquam in mortis articulo, in diœceſi noſtra excipere audeat,

(1) *S. Car. Borr. Prov. IV. apud Ben.* XIV. *de Syn. diœceſ. lib.* 11. *cap.* 14. n. 10. (2) *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 2. (3) *Idem ſeſſ.* 14. *cap.* 7.

at, qui vel parochiale beneficium non obtinuerit, vel a Nobis approbatus antea non fuerit; (1) niſi forte regulares, de ſuperiorum ſuorum licentia, laicorum, qui intra ſuorum monaſteriorum ſepta commorantur, eiſque famulantur, & continui eorum commenſales ſunt, confeſſiones exceperint. (2) Hæc autem approbatio quoad Sacerdotes ſive ſæculares, ſive regulares, ſive cum primo ad audiendas confeſſiones admittendi fuerint, ſive cum facultates jam conceſſæ ipſis prorogandæ erunt, prævio examine, ſeu aliter, ut Nobis expedire viſum fuerit, facienda erit. (3) Sacerdotes vero, tam ſæculares, quam regulares, quibus excipiendi fidelium confeſſiones certo temporis ſpatio circumſcriptam auctoritatem conceſſerimus, caveant, ne conſtitutos, vel conſtituendos a Nobis limites prætergrediantur.

IV. Sacerdotibus ſive ſæcularibus, ſive regularibus a Nobis, ut præfertur, approbatis, integrum erit quovis anni tempore, etiam Paſchatis, aut inſtante mortis periculo, ſæcularium confeſſiones, inconſulto parocho, excipere: (4) at cum ad ægrotantium confeſſiones audiendas acceſſiti fuerint, peracta confeſſione, eorumdem infirmorum parochum ea de re illico ab ipſis certiorem fieri verbo, aut ſcripto, quod de regularibus Clementina Conſtitutione expreſſe ſancitum eſt, (5) omnino volumus, & mandamus: quod ni præſtiterint, ſuſpenſione ab audiendis confeſſionibus ſe ſciant eſſe plectendos.

V. Sacerdotes ſæculares Pœnitentiæ Sacramentum publice adminiſtraturi talarem veſtem, ſuperpelliceum, & ſtolam induant, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſio-

(1) *Trid. ſeſſ. 23. cap. 15.* (2) *S. Cong. Conc. 14. Aug. 1568. Clem. x. Conſtit.* Superna 22. *Decembr. 1669.* (3) *Trid. loc. cit. Lambertin. Inſtit. 86. Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l. 13. cap. 9. n. 22.* (4) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l. 11. cap. 14. n. 3. 4. 5. & 6.* (5) *Clem.* X. *Conſtit. cit.*

ſionibus : (1) regulares vero ſtola ſaltem utantur . (2)

VI. Si infirmæ valetudinis, aut alia rationabilis cauſa id poſtulet, confeſſiones ſive virorum, ſive mulierum, nulla loci, aut temporis ratione habita, excipi poterunt: mulierum tamen confeſſiones reſerato cubiculi oſtio audientur, ut Confeſſarius videri poſſit. (3) Extra hos caſus, virorum confeſſiones, quantum fieri poterit, in eccleſiis, (4) nunquam vero in ſæcularium domibus audiantur: mulierum autem, cujuſque ætatis, vel qualitatis fuerint, non niſi in ſede confeſſionali, de qua infra, (5) neque ante auroram, neque poſt ſignum ſalutationis angelicæ confeſſiones excipiantur, ſub pœna ſuſpenſionis ab audiendis confeſſionibus.

VII. Sacrum miniſterium eorum fidei commiſſum ſumma animi innocentia, morumque puritate peragant confeſſarii, ut & Summi Sacerdotis, qui ſanctus, innocens, impollutus eſt, vices digne obire, & aliorum conſcientiam ab operibus mortuis facilius emundare queant. Scientiam pariter, atque prudentiam tum aſſiduis ad Deum precibus, tum ex probatis auctoribus, & peritorum conſilio ſibi ſtudeant comparare, ut triplici munere judicis, medici, & doctoris rite fungantur. Caſus, & cenſuras tum Sedi Apoſtolicæ, tum Nobis reſervatas, (6) damnatas ab Eccleſia propoſitiones, nec non peculiares hujus diœceſis conſtitutiones probe calleant. Si difficilior, ac nova facti ſpecies ad eorum ſacramentale forum delata fuerit, caveant ne divinando reſpondeant, ne propriæ opinioni innitantur: cauſam ſeveriori trutinæ revocent, libros evolvant, auctores conſulant, non ſine ſobrietate, ac delectu, ut in tanto ſcri-

(1) *Syn. Cantoni*. (2) *Syn. Cantoni*. (3) *Syn. Diœceſ. plures*. (4) *S. Cong. Ep. & Reg. 6. Jun.* 1687. (5) *Cap. de Eccleſ. Part. III. n. XI.* (6) *In Append. n. I.*

ſcriptorum numero, in tanta luxuriantium ingeniorum licentia, iis adhæreant, quorum doctrina ſolidior, in eamque deſcendant ſententiam, quam ratio ſuaſerit, & confirmaverit auctoritas. Meminerint ſuſcepti muneris partes non implere, immo vero gravioris ſceleris reos illos eſſe, qui in ſacro Pœnitentiæ tribunali reſidentes, nulla tacti ſollicitudine, accedentes ad ſe pœnitentes non monent, non interrogant, ſed expleta criminum enumeratione, abſolutionis formam illico proferunt, quod ſane a ſolertis medici moribus alienum eſt. (1) Si itaque pœnitens numerum, & ſpecies, & circumſtantias peccatorum neceſſario explicandas non expreſſerit, eum ſacerdos interroget: ſed caveat, ne quemquam inutilibus, aut curioſis interrogationibus aggrediatur; præſertim vero ne juniores utriuſque ſexus, alioſque rudes, de eo quod ignorant imprudenter percontetur, ne, dum Sacramenti integritati conſulitur, incognita ipſis facinora commonſtrentur. Si quem verecundia abſterreri, quominus turpe aliquod flagitium fateatur, intellexerit, eum perhumaniter hortabitur, ut excuſſo metu, omnia animæ ſuæ vulnera fidenter aperiat, cunctanti, hærentique animos addet, nihilque intentatum relinquet, donec omnia cordis abdita proferantur.

VIII. Illud tamen pœnitentes monendi ſunt, ne peccatorum circumſtantias aperientes, complicum nomina ſine juſta cauſa ullo modo prodant. Utriuſque vero cleri ſæcularis, & regularis confeſſarios meminiſſe volumus, praxim ab iiſdem pœnitentibus ſociorum, ſeu complicum nomina, habitationis locum, vel alia hujuſmodi adjuncta exquirendi, atque ad ea revelanda non modo ſuaſionibus inducendi, ſed, quod deteſtabilius eſt, denuntiata quoque, niſi reve-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Apoſtolica 26. *Jun.* 1749.

Digitized by Google

velent, abſolutionis ſacramentalis negatione, cogendi, ac compellendi, etiam procurandæ eorumdem complicum correctionis, vel aliorum bonorum colligendorum ſpecioſo prætextu, a Benedicto XIV. tanquam ſcandaloſam, & pernicioſam, plurimaque incommoda afferentem reprobatam fuiſſe, atque damnatam. Si qui in hoc deprehenſi crimine fuerint, ſuſpenſione ab audiendis confeſſionibus, aliiſque etiam gravioribus pœnis ſubjicientur. (1)

IX. Sed præterea pro perſonarum qualitate, diligenter inquirat confeſſarius, an pœnitentes Chriſtianæ religionis rudimenta calleant, ac dum illos eorum ignoratione teneri compererit, ea recolat, quæ de abſolutione elementorum fidei ignaris impertienda ſuperius tradidimus. (2)

X. Vulgatum illud Ven. Cardinalis Bellarmini effatum præ oculis habeat Sacramenti Pœnitentiæ miniſter: *non eſſet tanta facilitas peccandi, ſi non eſſet tanta facilitas abſolvendi*. (3) Atque hinc ſciat neceſſe eſt, *quando, & quibus conferenda, vel neganda, vel differenda ſit abſolutio, ne eos abſolvat, qui talis beneficii ſunt incapaces, quales ſunt, qui nulla dant ſigna doloris, qui odia, & inimicitias deponere, aut aliena, ſi poſſunt, reſtituere, aut proximam peccandi occaſionem deſerere, aut alio modo peccata derelinquere, & vitam in melius emendare nolunt, aut qui publicum ſcandalum dederunt, niſi publice ſatisfaciant, & ſcandalum tollant* (4). At neminem ad ſe accedentem inurbane rejiciat, neminem aſpere increpet: omnes vero, quantumvis graviſſimis ſceleribus implicatos, paternæ charitatis affectu excipiat, & ſpe veniæ a divina benignitate obtinendæ ſuſtentet.

XI.

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Suprema 7. *Jul.* 1745. *Conſtit.* Ubi primum 2. *Jun.* 1746. *Conſtit.* Ad eradicandum 28. *Sept.* 1746., *& de Syn. Diœceſ. l. 6. cap.* 11. (2) *Par. I. cap. II. n. VI.* (3) *Serm. 4. de Dom. 4. Adventus*. (4) *Rit. Rom. de Sacr. Pœnit.*

XI. Quibus deneganda, vel in aliud differenda tempus abſolutio fuerit, eos humaniſſimis verbis a ſe dimiſſos, ut revertantur, invitabit, & ad ea, quæ ipſis agenda præſcripſerit, rite perficienda alliciet, ut tandem abſolutionis beneficio potiti, & ſanitati reddantur, & paci, ac in filiorum Dei libertatem, confractis impietatis compedibus, vindicentur. Quibus vero abſolutio a gravibus criminibus impertienda fuerit, iis vitam, quam ſub peccati jugo duxere miſerrimam aperiat, facinorum ſuorum turpitudinem detegat, eoſque ad anteactæ vitæ odium, & deteſtationem, ejuſque emendandæ rectam, ac ſtabilem cogitationem ſuſcipiendam adducat.

XII. Quamvis attritio, ad Tridentini mentem concepta, peccatorem ad Dei gratiam in Sacramento Pœnitentiæ impetrandam diſponat, (1) confeſſarios tamen monemus, ut veræ & perfectæ contritionis motum in pœnitentium cordibus, auxiliante Deo, excitare omni ſtudio conentur, ardentique eos cohortatione urgeant, ut propter Deum peccata admiſſa execrentur omnia, (2)

XIII. Si quando frequentior pœnitentium numerus brevitatem ſuadere videatur, nunquam tamen non diligentem confitentibus navabunt operam; meminerintque ſatius eſſe, paucas rite factas confeſſiones audire, quam multas temere properare. (3)

XIV. In irroganda autem ſatisfactionis pœna nihil ſibi ad libitum ſacerdos ſtatuendum eſſe exiſtimet, ſed juſtitiæ, prudentiæ, ac æquitatis jura ſtudeat una componere. Pro qualitate ergo criminum, & pœnitentium facultate ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungat, ut neque le-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 4. (2) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 7. *cap.* 13. *n.* 10. (3) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Apoſtolica 26. *Jun.* 1749.

levioribus peccandi licentiam foveat, neque gravioribus a Sacramento fideles deterreat, ac in deſperationem adducat. Sed & illud præ oculis habeat, ut pœnarum genera a peccati ipſius natura hauriat, ac ſingulis quibuſque vitiis obviantia adhibeat medicamenta; ita fiet ut impoſitæ ſatisfactiones ad præteritorum criminum vindictam, & caſtigationem, ſimulque ad novæ vitæ cuſtodiam referantur. (1)

XV. Etſi vero pia mater Eccleſia, humanam commiſerans infirmitatem, primævam pœnitentialium canonum ſeveritatem emolliverit, eorum tamen notionem ſibi comparare ſtudeant confeſſarii; non eo quidem conſilio, ut illos jam a multis ſæculis obſoletos ad uſum revocent, ſed quod eorum notitia perutilis futura ſit, tum ut inter diverſas peccatorum ſpecies, & ſatisfactionem pro ſingulis decernendam aliquam ſervare proportionem queant, tum ut pœnitentibus admiſſorum criminum acerbitatem oſtendant, quæ tam diris, tamque diuturnis pœnis vindicari ab Eccleſia promeruerint, quo indictæ ſibi ſatisfactioni, quæ gravior alioqui videri potuiſſet, libenti, atque alacri animo acquieſcant. (2)

XVI. Ut autem hujus Sacramenti miniſtri ab omni avaritiæ ſuſpicione, ne dum crimine, ſe immunes ſervent, caveant, ne pecuniarias ſatisfactiones, quas pro delictorum, & pœnitentis ratione inflixerint, ſibi ipſis, vel ſuis eccleſiis applicent, ſed aliis omnino piis operibus, vel locis, pro ipſius pœnitentis arbitrio adſcribi jubeant: ſed nec eas diſtribuendi curam ſibi committi patiantur. (3) Quin ſi quid aliquando a pœnitentibus ſolvendum fuerit ad miſſas, quas imperaverint, celebrandas, nec oblatas ſibi eleemoſynas recipe-

P

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 8. Rit. Rom. de Sacr. Pœnit.* (2) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit. Idem de Syn. Diœceſ. l. 11. cap. 11. n. 5.* (3) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.*

cipere, nec eaſdem miſſas eccleſiæ ſuæ celebrandas addicere, nec ſe huic negotio ullatenus immiſcere præſumant. (1) Quod ſi aliquando a pœnitentibus requiſiti onus aliena reſtituendi in ſe receperint, reſtitutionis chirographum ab eo, cui reſtitutio facta fuerit, exquirant, quod opportuno tempore pœnitenti ipſi offerre non prætermittant. (2)

XVII. Pro occultis criminibus, quantumvis gravibus manifeſta ſatisfactio non irrogetur (3). At ſi quis publice, & in multorum conſpectu peccatum admiſerit, unde alios ſcandalo offenſos, commotoſque fuiſſe conſtiterit, huic condignam pro modo culpæ pœnitentiam publice injungi oportere Tridentini Patres docuerunt, ut quorum animos ſuæ pravitatis exemplo a virtutis ſemita abduxerit, eos publico pœnitentiæ ſpecimine ad maleactæ vitæ emendationem traducat. Integrum tamen Nobis erit hoc publicæ pœnitentiæ genus in aliud ſecretum, & occultum commutare quoties ita magis in Domino expedire judicaverimus. (4)

XVIII. Quos irritas confeſſiones, quacunque ex cauſa, feciſſe animadverterit confeſſarius, iis neceſſitatem illas iterandi libere explicabit; ac, ſi ad conſulendum ſpirituali eorum ſecuritati generalem peccatorum confeſſionem inſtituere neceſſe ſit, iis patientiſſimas præbere aures non detrectabit. Quin etiam ſi quis nulla neceſſitate obſtrictus, univerſa anteactæ vitæ ſuæ crimina in unum colligere, ac denuo pandere exoptaverit, ut damna, ſi quæ forte præteritis confeſſionibus illata fuerint, ſarciat, illum æquo animo excipiat: multa enim ex confeſſionum generalium uſu commoda effluere ſpiritualis vitæ magiſtri uno ore fatentur. (5)

XIX. Ut omnem a Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtratio-

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni. Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 5. cap. 9. n. 6.* (2) *S. Car. Borr. Inſtruct. Confeſſ.* (3) *Rit. Rom. loc. cit.* (4) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de reform.* (5) *Ben. XIV. Conſtit. cit.*

tione turpitudinis occaſionem longe ſubmoveret, ac animarum periculis occurreret Benedictus XIV., conſtitutione edita, (1) omnibus, & ſingulis ſacerdotibus tam ſæcularibus, quam regularibus, tametſi alioquin ad confeſſiones excipiendas approbatis, interdixit, prohibuitque, ne eorum aliquis, extra caſum extremæ neceſſitatis, nimirum in ipſius mortis articulo, & deficiente tunc quocunque alio ſacerdote, qui confeſſarii munus obire poſſit, confeſſionem ſacramentalem perſonæ complicis in peccato turpi, atque inhoneſto excipere auderet, ſublata illi ipſo jure quacunque auctoritate, & juriſdictione, etiam in vim cujuſcunque jubilæi, aut alterius cujuslibet indulti, ad qualemcunque perſonam ab hujusmodi culpa abſolvendam, adeo quidem ut abſolutio, ſi quam impertiret, nulla atque irrita omnino foret; excommunicationis quoque majoris pœna ipſo facto ſubeunda, & ſummo Pontifici reſervata in eum conſtituta, qui ſecus facere auſus eſſet. Cum autem idem Pontifex hac ſuper re dubitationes quaſdam ſubinde exortas fuiſſe accepiſſet, ne lex incertis conjecturis, aut privatis interpretationibus jactata in alterutram extremam partem, aut immoderati rigoris, aut deteſtabilis laxitatis perperam detorqueretur, altera conſtitutione mentem ſuam clarius aperuit. Omnibus igitur interdictum eſt perſonam in prædicto turpi peccato complicem confitentem audire, eamque cæteroquin rite contritam abſolvere, quoties alius ſacerdos, quamvis ad confeſſiones audiendas non approbatus, adſit, qui eo munere fungi poſſit. At ſi caſus urgentis qualitas, & concurrentes circumſtantiæ, quæ vitari non poſſint, ejuſmodi fuerint, ut alius ſacerdos ad excipiendam conſtitutæ in dicto periculo perſonæ ſacramentalem confeſſionem vocari, aut acce-

(1) Sacramentum Pœnitentiæ 1. *Jun.* 1741.

Digitized by Google

accedere, ſine gravi aliqua exoritura infamia, vel ſcandalo nequeat, tunc alius ſacerdos perinde habebitur, ac ſi revera abeſſet, atque deficeret, proindeque non prohibebitur ſocio criminis ſacerdoti abſolutionem pœnitenti ab eo quoque crimine impertiri. Caveat tamen, ne infamiæ, aut ſcandali pericula, quæ revera abſint, ſibi ultro ipſe confingat, ſciatque ſe graviter teneri hujuſmodi pericula, quantum in ſe erit, opportunis adhibitis remediis antevertere, & removere, unde fiat, ut alteri cuivis ſacerdoti locus pateat illius confeſſionis, abſque ullius infamia, vel ſcandalo audiendæ. Quod ſi nulla gravi neceſſitate compulſus ſe ſe ingeſſerit, vel congrua adhibere media ad id periculum avertendum de induſtria neglexerit, meminerit, abſolutionem impudicitiæ ſuæ complici in formidando mortis articulo impertitam, ſi diſpoſitiones ad Pœnitentiæ Sacramenti valorem requiſitæ non defuerint, validam quidem futuram eſſe, ſe tamen coram Deo, qui irrideri non poteſt, lethalis peccati reatu obſtringendum, & memoratæ excommunicationis majoris pœnam non evaſurum. (1)

XX. Univerſis præterea, & ſingulis confeſſariis ſive ſæcularibus, ſive regularibus, quamvis cæteroquin abſolvendi a caſibus Nobis reſervatis facultate ſuffultis, inhibemus, ne complices, ſeu participes furti, homicidii, & libelli famoſi abſolvere audeant; ſublata propterea illis quoad hæc quacunque auctoritate, & jurisdictione. Quod ſi nihilominus ſacrilego auſu abſolvere præſumpſerint, ſuſpenſionem ab audiendis confeſſionibus ipſo facto ſubibunt. (2)

XXI. Sed ne Pœnitentiæ Sacramentum, quod in ſalutem, & curationem animarum divinitus inſtitutum eſt, execrabili quorumdam ſacerdotum eo nefarie abutentium impro-

(1) *Ben. XIV. Conſtit.* Apoſtolici muneris 8. *Febr.* 1745. (2) *Syn. Guiccioli, Cantoni.*

probitate in earum perniciem, atque interitum verteretur, omnibus hæreticæ pravitatis Inquiſitoribus, & locorum Ordinariis mandatum eſt, ut diligenter inquirant, & pro criminum qualitate, & circumſtantiis ſevere animadvertant in omnes, & ſingulos ſacerdotes tam ſæculares, quam regulares, *qui aliquem pœnitentem, quæcunque perſona illa ſit, vel in actu ſacramentalis confeſſionis, vel ante, vel immediate poſt confeſſionem, vel occaſione, aut prætextu confeſſionis, vel etiam extra occaſionem confeſſionis in confeſſionali, ſive in alio loco ad confeſſiones audiendas deſtinato, aut electo, cum ſimulatione audiendi ibidem confeſſionem, ad inhoneſta, & turpia ſolicitare, vel provocare, ſive verbis, ſive ſignis, ſive nutibus, ſive tactu, ſive per ſcripturam aut tunc, aut poſt legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos, & inhoneſtos ſermones, vel tractatus temerario auſu habuerint*. (1)

XXII. Hæc Nos eo conſilio commemoravimus, ut hinc confeſſarii ediſcant quam caute ipſis, prudenterque in re periculi plena verſandum ſit. Sed præterea eos meminiſſe volumus, teneri ſe *ſuos pœnitentes, quos noverint fuiſſe ab aliis, ut ſupra, ſolicitatos, ſedulo monere juxta occurrentium caſuum circumſtantias, de obligatione denuntiandi inquiſitoribus, ſive locorum Ordinariis perſonam, quæ ſolicitationem commiſerit, etiam ſi ſacerdos ſit, qui jurisdictione ad abſolutionem valide impertiendam careat, aut ſolicitatio inter confeſſarium, & pœnitentem mutua fuerit, ſive ſolicitationi pœnitens conſenſerit, ſive conſenſum minime præſtiterit, vel longum tempus poſt ipſam ſolicitationem effluxerit, aut ſolicitatio a confeſſario, non pro ſe ipſo, ſed pro alia perſona peracta fuerit*. Caveant vero iidem confeſſarii, *ne pœnitentibus, quos noverint jam ab alio ſolicitatos, ſacramentalem abſolutionem impertiant,*

niſi

(1) *Ben. XIV. Conſtit. cit.* Sacramentum Pœnitentiæ, *qua alia Gregorii XV. Conſtitutio approbatur, & confirmatur.*

niſi prius denuntiationem prædictam ad effectum perducentes, delinquentem indicaverint competenti judici, vel ſaltem ſe, cum primum poterunt, delaturos ſpondeant, ac promittant. (1)

XXIII. Si quos vero repererint, qui vel odio, vel ira, vel alia indigna cauſa commoti, vel aliorum impiis ſuaſionibus, aut promiſſis, aut blanditiis, aut minis, aut alio quovis modo incitati, innoxios ſacerdotes apud eccleſiaſticos judices falſo ſolicitationis inſimulaverint, ſive per ſe innocentes confeſſarios impie calumniando, vel ſceleſte procurando, ut id ab aliis fiat, ſciant abſolutionem ab execrabili flagitio hujuſmodi, niſi in fine vitæ, & excepto mortis articulo, Summo Pontifici eſſe reſervatam. (2) Cæterum ne quis eorum, quæ attulimus, ignorationem cauſari ullo modo poſſit, ab omnibus ſacerdotibus ad excipiendas confeſſiones approbandis conſtitutiones Gregorii XV., & Benedicti XIV. hac ſuper re editas, attente perlegi, ejuſque rei ſcriptum teſtimonium in eorum patentibus litteris exſtare volumus, & mandamus. (3)

XXIV. Confeſſarii, animo ſecum recolentes ſe a Chriſto Domino animarum judices conſtitutos eſſe, ea gravitate, quæ muneris ſublimitatem deceat, Sacramentum adminiſtrent. Non igitur ſtantes, ſed, tamquam pro tribunali, ſedentes, & operto capite, confeſſiones cujuſcunque pœnitentis, quantumvis genere, vel dignitatis honore præſtantis, confeſſiones audiant. (4) A familiari ſuarum pœnitentium conſuetudine abhorreant; quin ab eorum quoque, quorum confeſſionem excipiunt, negotiis pertractandis, niſi forte id charitas ſuaſerit, abſtineant; non matrimoniorum conciliatores accedant, non aliud quidpiam agant, quod officii ſui rationem quoquo pacto dedeceat.

XXV.

(1) *Ben. XIV. Conſtit. cit.* (2) *Conſtit. cit.* (3) *Conſtit. cit.* (4) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni. Syn. Guiccioli.*

XXV. Arctiſſimum, ac nulla unquam ex cauſa violandum confeſſionis ſacramentalis ſigillum, non ſigno, non verbo, directe, vel indirecte infringant confeſſarii, tum graviſſimam Dei animadverſionem, tum ſeveriores pœnas, quæ canonum jure impios hujus ſigilli violatores manent, pertimeſcentes. (1)

XXVI. Quæ piæ preces abſolutionem præcedunt, ac ſubſequuntur, licet ad ipſius abſolutionis eſſentiam non ſpectent, neque ad ipſius Sacramenti adminiſtrationem neceſſario requirantur, (2) nunquam tamen, ſine juſta cauſa, prætermittantur: ſunt enim pio Eccleſiæ Sanctæ more inſtitutæ, *ut ea removeantur quæ Sacramenti vim, & efficientiam illius culpa, cui adminiſtratur, impedire poſſent*. (3)

XXVII. Quoniam chriſtianæ diſciplinæ, moribuſque regendis, & pronæ ad vitia naturæ continendæ non parum efficere exiſtimatur confeſſariorum mutatio, ea propter iidem confeſſarii accedentes ad ſe vagos pœnitentes adhortentur, ut ſibi quiſque conſcientiæ ſuæ moderatorem eligant, eundemque, quantum fieri poterit, ſemper adeant, ut ab eo infirmitatis illorum conſcio aptiora remedia adhibeantur. (4)

XXVIII. Concilii Lateranenſis decreto ſancitum fuit, ut omnes, & ſinguli utriuſque ſexus chriſtifideles, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, peccata ſua, ſemel ſaltem in anno confiterentur. (5) Neque tamen certa ætas, qua præceptum hoc urgere incipiat, definiri poteſt, cum alii aliis citius, ſeriuſve rationis uſum, & ingenii calliditatem aſſequantur. Illud univerſe ſtatuendum videtur, tum demum puero confitendi neceſſitatem indictam eſſe, cum inter bonum, & malum diſcernendi vim habet, in ejuſque men-

(1) *Innoc.* III. *Cap.* Omnis utriuſque ſexus *de Pœnit.*, *& remiſſ.* (2) *Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 3. (3) *Catech. Rom. de Sacr. Pœnit.* (4) *Syn. Cantoni*. (5) *Innoc.* III. *loc. cit.*

mentem dolus cadere poteſt. (1) Quonam autem potiſſimum anni tempore confiteri oporteat, hoc unum ſcimus, id magis expedire ſacro, & maxime acceptabili Quadrageſimæ tempore, quod univerſali Eccleſiæ conſuetudine, ingenti animarum fructu commendata, meritoque retinenda, receptum eſt. (2) Eo igitur curam, & diligentiam conferant animarum rectores, ut fidelium nemo, niſi qui doli expers ſit, a confeſſione plus anno abſtineat, pœnas in eos, qui eccleſiaſticæ legi non obtemperaverint, a jure ſtatutas, quas ſupra retulimus, (3) opportune commemorantes. Alios etiam caſus recenſeant, in quibus confitendi lege omnes tenentur; quin & hujus Sacramenti crebram iterationem ſuis quiſque ſuadere omni ſtudio conentur.

XXIX. Pœnitentes ſacra confeſſione expiandi, depoſitis armis, aperto capite, humili cultu, demiſſoque in terram vultu, ad ſacerdotis pedes ſe ſe abjiciant, in eoque Chriſti Domini perſonam, & poteſtatem venerentur. Peccata ita enumerent, ut ſe acerbiſſima animadverſione dignos fateantur, ſuppliceſque delictorum veniam petant, & divinam miſericordiam efflagitent. (4) Fœminæ vero, ornamentorum, ac veſtium luxu poſthabito, accedant; ac ſi quæ non obvoluto capite, ſinuque contecto, nec ſatis ad chriſtianam modeſtiam compoſitæ ſe ſiſtere non verebuntur, a Sacramenti uſu repellantur. (5)

CA-

(1) *Catech. Rom. loc. cit.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 5. *&* *can.* 8. (3) *Cap. IV. n. XVIII.* (4) *Catech. Rom. loc. cit.* (5) *S. Car. Borr. apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 11. *cap.* 12.

CAPUT VII.

De Caſibus reſervatis.

I. ASserta Epiſcopis auctoritate, (1) qua graviorum quorumdam facinorum abſolutionem ſibi reſervare conſueverunt, ut ad chriſtifidelium diſciplinam tuendam, & noſtræ diœceſeos ædificationem utamur, Majorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, eorum, quæ ſequuntur, criminum relaxationem noſtræ unius poteſtatis fore declaramus.

CASUS ILLUSTRISSIMO, AC REVERENDISSIMO D. D. ARCHIEPISCOPO RESERVATI.

1. *Blaſphemia hæreticalis per tres vices prolata, & alia quæcunque conſuetudinaria contra Deum, Beatam Virginem, & Sanctos.*
2. *Sacramentorum, & Sacramentalium, & ſacrarum Reliquiarum abuſus ad maleficia, vel ſortilegia, cum invocatione Dæmonum expreſſa, vel tacita.*
3. *Sacrilegium in loco ſacro per effuſionem ſanguinis, aut ſeminis ex coitu. Tactus item inhoneſti, nec non illiciti, & inhoneſti ſermones, ſive tractatus, etiam per ſcripturam, cum monialibus, aut cum aliis fœminis intra Monialium Monaſteria degentibus, quoad extraneos tantum.*
4. *Inceſtus ex quacunque affinitate in primo tantum gradu, ex conſanguinitate vero, ſeu cognatione carnali, & naturali, etiam in ſecundo, quoad puberes tantum.*
5. *Sodomia conſumata maſculi cum maſculo, aut maſculi cum fœmina, tam active quam paſſive, quoad puberes tantum. Item Beſtialitas, quoad eoſdem puberes tantum.*

Q 6.

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de Pœnit.*

6. *Stuprum , quo Virgines vi deflorantur . Item raptus , quo per vim Virgines abducuntur .*

7. *Percuſſio Parentum , Patris videlicet , & Matris .*

8. *Homicidium voluntarium , & præmeditatum , non ſolum quoad committentes , ſed etiam quoad conſulentes , mandantes , auxilium , vel favorem quomodocunque præſtantes , effectu ſecuto . Item abortus ex induſtria poſt fœtum animatum , effectu ſecuto . Item ſuffocatio , vel detentio infantum in lecto ſine repagulo , aut alia ſufficienti cautione , ſi nondum annum expleverint .* (1)

9. *Omiſſio adimplendi , & exequendi ultimas teſtatorum voluntates , factas ad pias cauſas , infra annum a die aditæ hæreditatis . Omiſſio item Notariorum , qui Legata pia Nobis , aut Vicario noſtro Generali non indicaverint intra menſem ab obitu teſtatoris .*

10. *Contractus , ſeu obligationes uſuram continentes , quoad Notarios , & Proxenetas , vulgo Senſali , qui contractibus , ſeu obligationibus hujuſmodi operam ſuam præbuerint .*

11. *Scriptio , vel confectio , affixio , vel publicatio libelli , aut cartelli famoſi , etiam quoad mandantes , conſentientes , auxilium , vel favorem præſtantes , affixione tamen , vel publicatione ſecuta . Item conſcriptio ſupplicum libellorum , vel literarum ad ſuperiores , vel alios quoſcunque , ſuppreſſo , vel ementito nomine , quæ propterea* cieche *nuncupantur , quibus aliorum ignominia abſque juſta cauſa detegitur , aut augetur , vel nomen , & decus confictis criminibus nefarie , & injuſte petitur , atque atteritur .* (2)

12. *Falſa depoſitio , vel accuſatio in judicio , medio juramento , contra vitam , vel famam , aut honorem proximi .*

II.

(1) *Vide Cap.* XXII. *n.* 17. *Partis Tertiæ*. (2) *Vid. Cap.* XXIII. *n.* 1. *Partis* III.

II. Hanc porro caſuum reſervationem ; non tantum in externa politia , ſed etiam coram Deo vim habere , atque hinc inferiorum ſacerdotum juriſdictionem ita coarctari , ut , ne in foro conſcientiæ quidem , a recenſitis criminibus , judicio noſtro cognoſcendis , illi abſolvere poſſint , Tridentini Concilii Patres ſtatuerunt . (1)

III. Ab his tamen quilibet ſacerdos , ad confeſſiones excipiendas approbatus , poterit abſolvere , quoties vel mere interna ſint , vel etiamſi externa fuerint , externam tamen malitiæ gravitatem non præſeferant , vel ſi præſeferant , non ſint in genere ſuo completa , conſumata , atque perfecta .

IV. Meminerint regulares ſibi non licere quavis privilegiorum ſuorum auctoritate , niſi facultatem a Nobis impetraverint , ab hiſce caſibus abſolvere . (2)

V. Omnes vero , & ſinguli confeſſarii ſive ſæculares , ſive regulares a caſibus Sedi Apoſtolicæ , vel Nobis reſervatis , prætextu alicujus privilegii , abſolvere præſumentes , excommunicationem Papæ reſervatam ipſo facto ſe noverint ſubituros . (3)

VI. Caveant piarum ſodalitatum confeſſarii , quicunque ii ſint , ſive ſæculares , ſive regulares , ne jure facultatum , privilegiorumque ſuis confratribus attributorum ſibi factam poteſtatem autument , eoſdem a recenſitis caſibus abſolvendi . (4)

VII. Qui privilegio abſolvendi a caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis fruuntur , non ideo ſibi fas eſſe præſumant , a criminibus Nobis reſervatis abſolvere . (5)

VIII.

(1) *Trid. ſeſſ.* 14. *Can.* 11. *de Sacr. Pœnit.* (2) *S. Cong. Conc. pluries apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 5. *cap.* 5. *n.* 6. *&* 7. (3) *S. Cong. Ep. & Reg.* 9. *Jan.* 1601. *&* 1602. *ſub Clem.* VIII. , *nec non* 1607. *ſub Paulo* V. (4) *S. Cong. pluries apud Ben.* XIV. *loc. cit. n.* 8. (5) *Clem.* X. *Conſtit.* Superna 1670. *apud Ben.* XIV. *loc. cit. n.* 7.

VIII. Sciant confeſſarii, liberum non eſſe pœnitentibus ex propria diœceſi, ubi in caſum reſervatum inciderint, ad aliam, in qua reſervatus non eſt, in eum finem commeare, ut inibi a ſimplici confeſſario abſolutionis beneficium conſequantur, abſolutionemque ex alia diœceſi in fraudem reſervationis, ut præfertur, confluentibus impertitam, inanem, ac nullius roboris futuram eſſe. (1) Hoc multo magis judicium ferendum eſt, quoad cenſuras reſervatas.

IX. Qui facultatem abſolvendi a caſibus Nobis reſervatis obtinuerint, ne propterea ſibi jus eſſe abſolvendi a cenſuris Nobis pariter reſervatis ullo modo præſumant. Quibus tamen abſolvendi a crimine inceſtus poteſtatem fecerimus, iis quoque diſpenſandi in ordine ad petendum debitum, quoties hoc exurgat impedimentum, facultatem impertimur.

X. Caſuum quoque Apoſtolicæ Sedi reſervatorum, ac eorum in primis, qui in Bulla Cœnæ continentur, nec non illorum, qui Romano Pontifici extra Urbem, & intra Italiam peculiariter ſunt reſervati, cognitionem, quod fieri poterit, perfectam ſibi comparare confeſſarii non negligant.

XI. Verum advertant pie ſemper in Eccleſia Dei cuſtoditum fuiſſe, ut nulla ſit reſervatio in articulo mortis, atque ideo omnes ſacerdotes quoslibet in eo conſtitutos pœnitentes a quibuſvis peccatis, & cenſuris abſolvere poſſe. (2)

XII. Sed præterea, ut populorum commodo conſulamus, parochis, eorumque cum futura ſucceſſione coadjutoribus, capellanis, aliiſque, qui in excipiendis chriſtifidelium confeſſionibus in parochiali eccleſia adjutrices manus iiſdem parochis præbent, ut a caſibus Nobis reſervatis in ſo-

(1) *S. Cong. in Campſan. 16. Sept. 1649. Clem. x. Conſtit. laudat. apud Ben. XIV. loc. cit. n. 8.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 14. cap. 7. de caſ. reſerv.*

ſolemnitatibus Nativitatis Chriſti Domini, & Paſchatis, ſcilicet a feſto D. Thomæ incluſive ad feſtum Epiphaniæ incluſive, & a Dominica Palmarum incluſive uſque ad Dominicam in Albis incluſive, rite abſolvant, facultatem concedimus, & impertimur.

XIII. Parochis demum poteſtatem generatim facimus, ut eos, qui infantes anno minores in eodem lecto ſine repagulo, aut alia ſufficienti cautione ſecum ipſi detinuerint, abſolutionis beneficio donare quovis anni tempore poſſint, & valeant.

CAPUT VIII.

De Canonico Pœnitentiario.

I. CUM ſingulos chriſtifidelium confeſſionibus excipiendis addictos pietatis, prudentiæ, ac doctrinæ laude commendari oportet, tum ea cæteris præcellere Canonicum Pœnitentiarium decet, ad quem graviores, difficilioresque cauſæ, ut plurimum, deferuntur.

II. Sit ipſe magiſter, vel doctor, aut licentiatus in theologia, vel jure canonico, & annorum quadraginta, ſeu alias, qui aptior pro loci qualitate reperiatur. (1) Nec vero ſat eſt eum doctoris laurea, ac nomine inſigniri, niſi ea doctrina præditus ſit, quæ hujus miniſterii dignitati reſpondeat. (2)

III. Quamvis Pœnitentiarius ſola ſui muneris aſſecutione totius diœceſis confeſſarius conſtituatur, caveat tamen ne ullam ſibi aſſerat jurisdictionem caſus, & cenſuras Nobis reſervatas relaxandi, niſi ejus rei facultatem a Nobis im-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 8. de reform.* (2) *S. Cong. Conc. 20. Martii 1613.*

impetraverit, (1) vel ſibi collatam poteſtatem alteri ſubdelegandi, niſi hoc expreſſe indultum a Nobis fuerit.

IV. Ad ſaluberrimum Pœnitentiæ Sacramenti lavacrum accurrentium curationem alacriter ſuſcipiat; omnes in charitate Dei, & patientia Chriſti peramanter excipiat; monita omnibus indiſcriminatim confeſſariis tradita recolat, collataque ſibi facultate in fidelium bonum, & ædificationem utatur, quo fidelis hujus Sacramenti miniſter, & diſpenſator inveniatur. Iis autem diebus, atque anni temporibus, quibus frequentiores pœnitentes accedunt, ſuam etiam non requiſitus in confeſſionali ſede præſentiam deſiderari non patiatur. (2) Ut vero ſe ab omnibus pœnitentibus expediverit, chorum adeat, divinis officiis aſtiturus.

V. Pœnitentiarius confeſſiones in eccleſia excipiens, præſens in choro cenſeatur, (3) ſive in ſede confeſſionali, ſive extra pœnitentes audiat, & integros, ac ſi choro actu intereſſet, ſuos faciat fructus, & quotidianis diſtributionibus perſruatur; quin & eleemoſynis, quæ aliis canonicis pro aſſociandis, ac ſepeliendis defunctorum cadaveribus, vel pro ſupplicationibus, & proceſſionibus, quæ per urbem aguntur, obveniunt, omnino potiatur. (4) Hæc illi contra ſubducantur, ſi, aliis in choro divina celebrantibus, ipſe in confeſſionali otioſe immoretur, vel privatim officium recitet, (5) vel extra eccleſiam confeſſiones, etiam infirmorum, excipiat.

VI. Gaudeat Pœnitentiarius, aliorum canonicorum inſtar, trimeſtri vacatione; ſed caveat, ne per ea tempora ab-

(1) *S. Cong. Conc. apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 5. *cap.* 5. *n.* 8. (2) *S. Cong. Conc. in* Segobien. 1585. *&* 20. *Jan.* 1587. *In* Verulan. 19. *Jan.* 1646. *apud Criſpin. Viſit. Paſtor. Part. II.* §. 24. *n.* 1. *& ſeq. Conc. Rom. Tit.* 32. *cap.* 4. (3) *Conc. Trid. loc. cit.* (4) *S. Cong. Conc. in* Januen. 4. *Sept.* 1591. (5) *S. Cong. Conc. referente* Moneta.

abſit, quibus maxime opera ſua fideles indigent; præſertim vero in Quadrageſima, & Adventu, ac in ſolemnioribus feſtis Reſurrectionis, Aſcenſionis, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini. (1)

VII. Canonicum Pœnitentiarium moralis theologiæ ſtudium colere maxime oportet: quare eum collationi caſuum conſcientiæ, de qua ſuperius diſſeruimus, (2) intereſſe volumus. (3)

CAPUT IX.

De Indulgentiis.

I. Indulgentiarum, quarum conferendi poteſtatem a Chriſto Domino Eccleſiæ collatam firmiſſime credimus, (4) uſum noſtris temporibus eo ſalubriorem eſſe intelligimus, quo magis de veteris diſciplinæ ſeveritate remiſſum eſt, qua homines, dimiſſa cæteroquin culpa, ac æterni ſupplicii reatu per Pœnitentiæ Sacramentum deleto, pœnas tempore definitas, quæ vel in hac vita, vel poſt obitum purgatorii igne exolvendæ ſupererant, acerbiſſimis, diuturniſque cruciatibus eluebant.

II. Harum Indulgentiarum indeficientem theſaurum, ex immenſa meritorum Chriſti copia, Sanctorumque ſatisfactionibus conflatum, in Eccleſia adeſſe, ejuſque diſpenſationem ab eodem Chriſto Domino Romano Pontifici ejus in terris Vicario fuiſſe concreditam, in iiſque ſatisfaciendi, Deique peccata noſtra juſto judicio ulciſcentis animadverſionem effu-

(1) *S. Cong. Conc. in* Segobien. 1585. & 1587. (2) *Part. I. Cap.* v. *n.* 5. (3) *S. Cong. Conc. apud Lambertin. Inſtit.* 103. (4) *Trid. ſeſſ.* 25. *decret. de Indulg.*

ſugiendi paratiſſimam nos occaſionem nactos eſſe, parochi opportune commemorabunt: quænam pro vivis, quænam pro defunctis, qui Deo in charitate conjuncti ex hac vita migraverint, Indulgentiæ conceſſæ ſint; quidnam inter plenariam, ac partialem Indulgentiam diſcriminis interſit, exponent; deque operum exequutione, quæ Indulgentias lucrari cupientibus in Apoſtolicis literis indicuntur, ediſſerent: cum alicujus eccleſiæ viſitatio imperatur, vocales ibi aliquas preces in eum finem, quem Indulgentiæ largitor expreſſerit, fundendas eſſe docebunt: ſi ſacramentalis Confeſſio, & Euchariſtiæ ſuſceptio inter injuncta opera recenſeantur, illam omnino peragendam, ab eo etiam, qui ſolis venialibus teneretur, hanc pariter ab omnibus recipiendam, exceptis pueris, qui ad eam nondum admiſſi fuerint, explicabunt. (1) Illud tamen ſimul monere non prætermittant, ſacramentalem Confeſſionem in pervigilio feſtivitatis peractam ſuffragari; (2) quin & eos, qui frequenti peccatorum confeſſione animam ſtudent expiare, ac ſemel ſaltem in hebdomada, niſi legitime impediantur, confiteri conſueſcunt, ſi nullius lethalis culpæ a ſe poſt ultimam Confeſſionem admiſſæ ſibi conſcii fuerint, Indulgentias quaſcunque, exceptis tamen iis, quæ tempore Jubilæi, vel ad inſtar Jubilæi conceduntur, etiam ſine actuali confeſſione conſequi poſſe: (3) at ſi quis poſt peractam confeſſionem, ac nondum expletis operibus injunctis, in lethale peccatum lapſus fuerit, huic confeſſionis denuo præmittendæ, priuſquam ultimum ſaltem ex præſcriptis operibus exequatur, neceſſitatem indicent: (4) Indulgentiam plenariam in certos dies eccleſiam viſitantibus, vel aliud pium opus peragentibus e-

lar-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Convocatis 25. *Nov.* 1749. (2) *Decret. S. Cong. Indulg.* 10. *Maji* 1759. *approb. Clem.* XIII. (3) *S. Cong. Indulg.* 9. *Decembr.* 1763. *approb. Clem.* XIII. (4) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.*

Digitized by Google

largitam, ſemel duntaxat in die lucrifieri admonebunt. (1) An autem Indulgentia *Portiunculæ* pro ſecunda die Auguſti acquiri poſſit *toties*, *quoties* a chriſtifidelibus aliqua ordinis S. Franciſci eccleſia viſitatur, ac ibidem ad mentem Summi Pontificis oratur, nihil certi definient, memores S. Congregationem hac de re conſultam a ferenda ſententia abſtinuiſſe (2).

III. Nemo, etiam quomodolibet exemptus, qui a Sancta Sede pro eccleſiis, aut oratoriis Indulgentias fuerit aſſequutus, eas ante evulgare præſumat, quam a duobus de capitulo, quos huic negotio præfecimus, (3) ſubſcribendas, ac ſubinde a Nobis, vel a Vicario noſtro generali approbandas curaverit, & publicandi veniam obtinuerit. (4) Si quas vero in diœceſi noſtra Indulgentias invenire ſit, quæ noſtra, vel Deceſſorum noſtrorum approbatione careant, eas confeſtim ad Nos approbandas deferri mandamus. (5) Eccleſiæ, quæ ſtationum Urbis Indulgentia gaudent, tabellas reforment ad præſcriptum decreti S. R. C., quod in Appendice referri jubemus (6).

IV. Qui Indulgentias certo temporis ſpatio circumſcriptas obtinuerint, ſciant hujus initium temporis, non a die publicationis, bene vero a die in Brevibus Romæ adſcripta eſſe ſumendum. (7) Elapſo eo termino, eæ ut opportune renoventur curabunt; quod ni fecerint, caveant, ne Indulgentiarum tabellas ullo modo fidelibus proponant.

V. Quæ alicujus feſti gratia Indulgentia conceditur, tranſlato feſto non transfertur, niſi hoc in Brevi peculiariter indulgeatur (8).

R VI.

(1) *Decret. S. Cong. Indulg. 7. Martii 1678. approb. Inn. XI.* (2) *S. Cong. Conc. 17. Jul. 1700., & 4. Decembr. 1723.* (3) *In Append. inter Officiales Cleri.* (4) *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 9. de reform. Conc. Prov. Rav. Boncompagni. Syn. Guiccioli.* (5) *Syn. Cantoni.* (6) *In Append. n. I.* (7) *S. Cong. Indulg. 18. Maji 1711. approb. Clem. XI.* (8) *S. Cong. Rit. 30. Nov. 1679. & 10. Jun. 1690.*

VI. Ut autem cœleſtes hos Eccleſiæ theſauros, non ad quæſtum, ſed ad pietatem patere omnes vere intelligant, (1) illud a parochis, & concionatoribus, cum ſe alicujus lucrandæ Indulgentiæ occaſio obtulerit, fideles potiſſimum moneantur, eleemoſynæ erogationem, niſi hæc in Apoſtolicis literis indicta ſit, ad illam aſſequendam minime requiri, licet pium ſit eccleſiæ, apud quam Indulgentiæ celebritas agitur, eleemoſynam tribuere. (2)

VII. Singulos demum Pœnitentiæ Sacramenti miniſtros quam maximo poſſumus paterni animi affectu etiam atque etiam hortamur, ut fideles hiſce donis illectos ad ſe confluentes alacriter excipiant, benigne audiant, indoctos inſtruant, ut cœleſtium gratiarum aquas ex hoc divina benignitate nobis reſerato fonte omnes hauriant, & piæ matris Eccleſiæ favoribus uberrime perfruantur.

CAPUT X.

De Extremæ Unctionis Sacramento.

I. ÆGris ad ſupremum vitæ diem properantibus, vi morbi, ac doloris ſenſu conflictatis, inſtantis mortis neceſſitate, & admiſſorum ſcelerum recordatione exterrefactis, in primis vero hoſtili dœmonis fraude, ac oppugnatione debilitatis, qui cum aſſidue leonis inſtar rugientis adſtat, ut devoret, tum eo potiſſimum tempore, cum impendere nobis vitæ exitum animadvertit, efferata in interitum, & exitium noſtrum rabie incumbit, peculiari cœleſtis præſidii ope in Extremæ Unctionis Sacramento proſpectum

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 9. de reform. ſeſſ. 25. decret. de Indulg.* (2) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni.*

ctum eſt, qua infirmitatis moleſtiam lenire, corporis etiam incolumitatem, ſi quidem ſaluti animæ profutura ſit, conſequi, divinæ miſericordiæ ſpe erigi, delicta, ſi quæ fuerint adhuc expianda, ac peccati reliquias abſtergere, inimici vim propulſare, ac expeditiorem ſibi ad ſuperos viam munire poſſent.

II. Hæc ſi parochi identidem commemorabunt, illud profecto aſſequentur, ut cum fideles Sacramenti hujus vim, utilitatemque probe perceperint, eo ſe, cum opus fuerit, muniri, ac roborari avidius appetant, illudque pie, ſanctèque ſuſcipientes, vere divinis ornentur donis, & auxilia ſibi comparent in tempore opportuno. Hæc ſi parochi ipſi ſecum animo reputabunt, tacite monebuntur tum maximo ſibi ſtudio curandum eſſe, ne ſua culpa ullam ex ſibi creditis ovibus hujus ſacræ unctionis ope, ac beneficio deſtitutam decedere contingat, tum diligentiſſime cavendum, ne dedita opera hujus Sacramenti adminiſtrationem in id tempus differant, cum ſalutis profligata ſpe, emota jam mente, ſenſibusque perturbatis, animam ægrotus agere incipiat.

III. Ea itaque ab iis ratio ineatur, ut eo quidem tempore, ſi fieri poſſit, Extremæ Unctionis ſubſidium ægroto in vitæ diſcrimen adducto adhibeant, cum in eo adhuc integra ratio viget, ut ad uberiorem gratiam, fructumque percipiendum ſuam etiam fidem, & religioſam animi voluntatem afferre poſſit. (1)

IV. At ſi quis inopinato morbo correptus, aut caſu aliquo oppreſſus fuerit, ut mens, ſenſuſque ſtatim deficiant, ejus tamen ſpiritualis ſubſidii particeps fiat, ſi, dum ſui compos eſſet, illud petierit, vel veriſimiliter petiiſſet, vel

(1) *Catech. Rom. Rit. Rom. de Sacr. Extrem. Unct.*

vel chriſtianis vixiſſe moribus exiſtimetur. Hac eadem ratione cum iis agi volumus, qui in amentiam, phreneſim, aut delirium lapſi fuerint, modo reverentiæ Sacramenti conſultum ſit. (1)

V. Pueris etiam, ſi ſeptimum ætatis annum attigerint, ac etiam antea, ſi malitia ætatem ſuppleat, ut inter bonum, & malum diſcernendi vi polleant, ac Pœnitentiæ Sacramenti capaces cenſeantur, Extrema Unctio, quæ illius complementum eſt, adhibeatur; quamvis non tanta ſint judicii maturitate præditi, ut ad rite percipiendam Euchariſtiam apti videantur, de cujus ineffabili excellentia, & ſanctitate non ita facile edoceri queunt. (2)

VI. Iis contra denegetur pueris, quibus nondum rationis lumen affulſerit, nec non amentibus, qui ab ipſo ortu nunquam mentis, & rationis uſu potiti fuerint, utpote qui nulla peccatorum labe inquinari potuerint. Sed & ſacra unctione omnino expertes ſint, qui per Baptiſmi januam Eccleſiam nondum ingreſſi ſunt, item excommunicati, nec non in manifeſto lethali peccato decedentes, niſi affecti pœnitentia animi indicia præbeant. His adde pugnam inituros, mare tranſgreſſuros, fœminas partui proximas, niſi alia inſuper iiſdem acceſſerit, præter parientium morem, lethalis corporis ægritudo, (3) ultimo ſupplicio plectendos, aut quodvis aliud vitæ diſcrimen ſubituros, quibus mors aliunde, quam ex graviore morbo, vel ex naturæ defectione imminere videatur. At ſenes, qui confecta jam ætate, ſenſim, atque in dies deficiunt, licet nullo alio morbo laborent, ſacra infirmorum unctione muniendi ſunt; (4) ipſa enim gravis, & annoſa ſenectus infirmitas eſt, quæ

(1) *Rit. Rom. loc. cit.* (2) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 8. cap. 6. n. 2.* (3) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 8. cap. 5. n. 1.* (4) *Rit. Rom. loc. cit.*

quæ interiora vitæ organa labefactat, & mox ad interitum ducit, (1)

VII. Si morbi, & temporis ratio patiatur, illud ex recepta Eccleſiæ conſuetudine ſervari volumus, ut non ante æger ſacra unctione liniatur, quam Sacramentis Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ refectus fuerit. (2)

VIII. Quinque corporis partes, oculi nempe, aures, nares, os, manuſque, quas veluti ſenſuum inſtrumenta homini natura tribuit, pedes etiam, ac renes inungantur, ſingulis partibus ſingulas precationes exRituali Romano deſumptas, quibus Sacramenti forma continetur, aptando. Oculi, aures, aliaque gemina corporis membra, gemina unctione perlinienda ſunt, ita tamen ut unica forma utraque unctio peragatur; nec forma prius abſolvatur, quam hæc duplex unctio perficiatur. Si cui aliquod horum membrorum deſit, ei, quæ proxima deficienti membro fuerit, parti unctio adhibeatur; ſi oculi deſint, organum, ſeu locus oculorum perungatur. In manibus inungendis id inter ſacerdotes, & reliquos infirmos diſcriminis ſervetur, ut his interior, illis vero exterior pars obliniatur. Vel alteram ex præſcriptis quinque ſenſuum unctionibus, extra caſum veræ neceſſitatis, prætermittere gravis culpæ reatu non caret. (3) At renum unctio in fœminis honeſtatis, & pudoris gratia omnino, ſemperque omittatur; ac etiam in viris, qui propter labefactatas corporis vires, morbique languores ſine gravi incommodo nequeunt dimoveri. (4)

IX. Antequam infirmus inungatur, de hujus Sacramenti vi, & fructibus admoneatur, ac ad illud pie, ſanctеque ſuſcipiendum comparetur; ad divinæ benignitatis ſpem eri-

(1) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 8. cap. 5. n. 2.* (2) *Catech. Rom. Rit. Rom. loc. cit. Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 8. cap. 8. n. 3.* (3) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 8. cap. 3. n. 5.* (4) *Rit. Rom. loc. cit.*

Digitized by Google

erigatur , & , inſtantis mortis terrore excuſſo , a fluxæ hujus vitæ deſiderio ad æternorum amorem traducatur . Sed & domeſtici , aliique , quos tum adeſſe contigerit , ut laborantis vitam , & ſalutem piis obſecrationibus Deo commendare non prætermittant , omni ſtudio excitentur . (1)

X. Preces a Rituali Romano præſcriptæ unctiones præcedant , ac ſubſequantur . At ſi periculum immineat , ne ægrotus decedat , antequam unctiones abſolvantur , prætermiſſis precibus , ſtatim inungatur . (2) Quin ſi ſingulis unctionibus perficiendis tempus non ſuppetat , in capite , e quo omnium ſenſuum nervi deſcendunt , univerſali prolata forma , inungatur . (3) Si dum unctio peragitur , infirmum deceſſiſſe conſtiterit , unctio intermittatur : ſi an adhuc vivat dubitetur , unctio abſolvatur , addita formæ conditione : *ſi vivis , per iſtam &c.* Hiſce peractis , ſi adhuc infirmus vixerit , prætermiſſæ recitentur preces ; ſi minus , omittantur . (4)

XI. Hujus Sacramenti ſubſidio pluries in vita fideles juvari poterunt , ſi pluries in vitæ diſcrimen adducti fuerint . (5) Quin & in eadem infirmitate hujus adminiſtratio rite iterabitur , cum inunctus ægrotus , qui mortis periculum evaſiſſe videbatur , morbo iterum recrudeſcente ad interitum urgeri deprehenditur . (6) Quod ſi dubitetur , an morbi ſtatus mutatus ſit , ſeu an idem , vel diverſum ſit vitæ periculum , quod ægroto imminet , expedit per Sacramenti iterationem novum ei ſpirituale ſubſidium , ac levamen afferre . (7)

XII. Extremæ Unctionis materia remota , Oleum nempe

(1) *Catech. Rom. Rit. Rom. loc. cit. Conc. Prov. Rav. Boncompagni* . (2) *Rit. Rom. loc. cit.* (3) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 8. *cap.* 3. *n.* 5. (4) *Rit. Rom. loc. cit.* (5) *Conc. Trid. ſeſſ.* 14. *cap.* 3. *de Extrem. Unct.* (6) *Rit. Rom. loc. cit. Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 8. *cap.* 8. *n.* 4. (7) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. loc. cit.*

pe infirmorum, a Nobis feria quinta in Cœna Domini ſolemni benedictione quotannis conſecrabitur. Illud parochi urbis, ac plebani per diœceſim conſtituti, monaſteriorum, ac collegiorum regularium ſuperiores, monialium confeſſarii, hoſpitalium capellani, & quotquot adminiſtrandi hujus Sacramenti jure gaudent, per ſe, vel per delegatos ſacerdotes, aut ſaltem clericos in ſacris conſtitutos, ſingulis annis, ac primo quoque tempore, a Nobis recipiant: inferiorum vero eccleſiarum rectores a ſua quiſque, cui ſubjicitur, matrice eccleſia illud petant, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis. Cætera quæ pro diſpenſandis, tradendiſque Sacro Chriſmate, & Catechumenorum Oleo ſuperius ediximus, (1) hoc pariter loco de infirmorum Oleo edicimus, ac, iiſdem propoſitis pœnis, ſervari mandamus.

XIII. Cum primum novum infirmorum Oleum acceptum fuerit, vetus, ſi quod ſupererit, in lampadibus ante Sanctiſſimum Sacramentum collucentibus, ſtatim comburatur, goſſypio quoque exuſto, & in Sacrarium projecto. (2) Si quis Oleo præteritis annis conſecrato Extremæ Unctionis Sacramentum adminiſtrare auſus fuerit, valide quidem adminiſtrabit, at gravis flagitii reatu ſe obſtrictum noverit, ſi novum ſibi opportune comparare neglexerit. (3) Si forte infra annum conſecratum Oleum ita deficiat, ut ſufficere non poſſe videatur, nec aliunde conquiſitum inveniri queat, modico oleo non benedicto in minori quantitate ſuperinfuſo reparetur. (4)

XIV. Infirmorum Oleum in argenteum vaſculum peculiari inſcriptione ſignatum, ac thecæ ligneæ immiſſum in lo-

(1) *De Baptiſ. n. 5.* (2) *Pontiſ. Rom. Conc. Prov. Mediol. iv. apud Lambertin. Inſtit. 81. n. 4.* (3) *Lambertin. Inſtit. cit. n. cit.* (4) *Rit. Rom. S. Cong. S. Officii 23. Sept. 1682. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. cit.*

loculo ad cornu evangelii aræ majoris, in eum unice finem parato, (1) tuto, atque honorifice aſſervetur.

XV. Licet quilibet ſacerdos Extremam Unctionem valide conferre poſſit, ſolus tamen parochus eſt hujus ordinarius miniſter. Nulli ergo ſas eſto, extra neceſſitatis caſum, Sacro Oleo ægrotantes inungere, niſi ipſi ejus muneris fungendi idem parochus poteſtatem fecerit. (2) Regulares autem, qui, non impetrata parochi venia, Extremam Unctionem, non urgente neceſſitate, adminiſtrare præſumpſerint, præter gravis culpæ reatum, in excommunicationem Sedi Apoſtolicæ reſervatam incident; (3) niſi forte hoc Sacramentum laicis intra ſuorum monaſteriorum ſepta degentibus, ſibique actu inſervientibus contulerint. (4)

XVI. Parochus, vel alius quicunque ſacerdos, Extremam Unctionem miniſtraturus, Sacri Olei vas ſerico ſacculo violacei coloris incluſum, qua decet veneratione, atque uno ſaltem clerico, ubi inveniri poterit, comitante, ad ægrotantis domum deferat. Ipſum autem Oleum, ad effuſionis periculum evitandum, goſſypio, ut fieri aſſolet, infuſum caute deferatur; quin ſi longius iter peragendum, vel etiam equitandum ſit, vas ipſum ſerico ſacculo, ut dictum eſt, immiſſum, ſericis funiculis collo ſuſpenſum geſtetur, Sed & ea ſecum afferat, ac reliqua omnia, quoad fieri poterit, paranda curet, quæ ad Sacramentum hoc rite miniſtrandum a Rituali Romano requiruntur. (5) Ut ventum erit ad locum, ubi æger decumbit, veſtem talarem, niſi ante ſumpſerit, ſumat, eique ſuperpelliceum, & ſtolam violacei coloris ſuperimponat, ſine quibus, niſi urgens inſtaret, cogeretque neceſſitas, hoc miniſtrari Sacramentum interdicimus,

XVII.

(1) *Part.* III. *cap.* I. *n.* XIII. (2) *Catech. Rom. loc. cit.* (3) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ, l.* 8. *cap.* 4. *n.* 7. *Clem.* Unica de Privilegiis. (4) *S. Cong. Conc.* 1587., & 25. *Jan.* 1738. *apud Cavall. tom.* 4. *cap.* 5. (5) *Rit. Rom. loc. cit.*

XVII. Si quando ob inſtans mortis periculum, vel aliam ob cauſam una cum Sacro Viatico Infirmorum Oleum deferendum ſit, id per ipſum ſacerdotem Euchariſtiam deferentem præſtari poterit, niſi alius occurrat aut presbyter, aut diaconus, cui id muneris delegetur. (1)

XVIII. Cum ſacræ unctiones peractæ fuerint, ne Olei vaſculum in infirmi ædibus relinquatur, ſed omnino ad eccleſiam, ſub pœnis arbitrio noſtro irrogandis, referatur. (2)

XIX. Si infirmum animam agere, ac cum morte luctari parochus intellexerit, ei, antequam diſcedat, poſtrema pietatis, & paterni amoris officia impendat, morienti adſit, & extremum ejus ſpiritum excipiat. (3) Quod ſi ejus exitus non adhuc inſtare videatur, illius domeſticos ſerio monebit, ut interim quæ corpori alendo, curandoque opportuna viſa fuerint, alacriter ſuppeditent: (4) ac ſi poſtmodum ſupremum ei occaſum imminere animadverterint, hac ſibi de re, abjecta omni cunctatione, renuntient.

CAPUT XI.

De Funeribus, & Sepulturis.

I. FUneris, & exequiarum officia, quibus defunctorum chriſtifidelium corpora, quæ divina fide illuſtrati ad vitam aliquando revocanda eſſe firmiſſime credimus, ac immortalitatis gloriam ſperamus conſequutura, religioſo cultu proſequimur, animaſque piacularibus flammis addictas, ac nondum plane expurgatas hoſtiis, ac precibus expiamus, ſolamurque, inter præcipua charitatis, ac pietatis opera merito adnumerantur.

S II.

(1) *Rit. Rom. loc. cit.* (2) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni.* (3) *Conc. Prov. Rav. cit.* (4) *Conc. Prov. Rav. cit.*

II. Omnibus in communione S. Matris Eccleſiæ decedentibus funeris officia perſolvi volumus; in iiſque præſtandis ſacros ritus, & cæremonias a Rituali Romano præſcriptas ſummo ſtudio ſervari mandamus.

III. Ubi igitur aliquis e vita exceſſerit, conſueto æris campani ſigno fideles admoneantur, ut Deum mortui animæ piis precationibus propitiare velint. Poſtmodum cum defunctorum propinquis, vel hæredibus de funere agat parochus, ut rite atque ordine omnia peragantur.

IV. Olim ſepulturæ locus intra eccleſiæ ſepta perpaucis concedebatur, ſed fere omnia defunctorum cadavera in cæmeteriis in eum finem rite benedictis condebantur; (1) nunc vero contrario jure, & conſuetudine pene omnes in eccleſiis ſepeliuntur, ut eorum proximi, cum ad eadem ſacra loca venerint, ſuorum, quorum ſepulturam aſpexerint, recordentur, ac pro eis Domino preces fundant. (2) Nos eum morem non reprobamus. Tantum contendimus, ut antiqua ſepeliendi in cæmeteriis mortuos conſuetudo, ubi adhuc viget, retineatur, & ubi intermiſſa eſt, quoad fieri poteſt, reſtituatur. (3)

V. Jus eligendæ ſibi ſepulturæ, quod omnibus puberibus ſive maſculis, ſive fœminis ratione pollentibus, qui a jure non impediuntur, tribuitur, (4) adeo ſartum tectum ſervari voluerunt ſacri canones, ut *univerſis religioſis, & ſæcularibus clericis cujuſcunque ſtatus, vel conditionis exiſtant, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub interminatione maledictionis æternæ diſtrictiſſime* prohibeant, *ne aliquos ad vovendum, jurandum, vel fide interpoſita, ſeu alias promittendum inducant, ut apud eorum eccleſias ſepulturam eligant, vel jam electam ulterius non immutent.* (5) Hanc porro ſaluberrimam con-

(1) Can. nullus 18. *cauſ.* 13. *q.* 2. (2) Can. cum gravia 17. *cauſ.* 13. *q.* 2. (3) *Rit. Rom. de exeq.* (4) *Ex plur. Juris can. textibus.* (5) *Cap.* Animarum 1. *de ſepult. in* 6.

conſtitutionem qui temere violare auſus fuerit, excommunicationem præterea Romano Pontifici reſervatam ipſo facto ſe noverit incurriſſe. (1) Filio impuberi, qui eo jure non gaudet, poteſt pater ſepulturam eligere, ſi adſit legitima conſuetudo; (2) ac, deficiente patre, id poteſt mater, vivente tamen filio. (3) Hanc ſepulturæ electionem, ſive ea per teſtamentum, ſive coram duobus teſtibus, etiam ſingularibus, quamvis per nutus, & ſigna, ſi aliter exprimi non poſſit, facta ſit, quinimo ſi per ſolam parochi, aut confeſſarii, etiam regularis, ipſius eligentis atteſtationem, dummodo ad proprium, vel propriæ eccleſiæ commodum non deponant, comprobetur, S. Congregationis Concilii decreto validam eſſe conſtat. (4) At ſi ſepultura in aliqua eccleſia, quæ ſepeliendi jure careat, electa ſit, electio nulla erit, niſi noſtra, aut Sacræ Congregationis pro caſuum, & circumſtantiarum diverſitate, licentia acceſſerit. Mulieri nuptæ, inconſulto viro, electio ſepulcri conceditur. (5)

VI. Qui non præmiſſa ſepulturæ electione mortem obierit, in ſepulcro majorum, ſi adſit, tumulandus eſt: (6) ſecus in propria parochiali eccleſia. (7) At vidua, ſi non electa ſepultura decedat, cum marito inhumetur, ut quos conjunxit unum conjugium, conjungat unum ſepulcrum. (8) Si pluribus ſucceſſive viris nupta fuerit, eſt cum viro ultimo tumulanda; (9) etiam ſi locum habitationis mutaſſet, vel alio ſe contuliſſet. (10)

VII. Puellæ educandæ, & mulieres ſæculares in mona-

(1) *In Clem.* Cupientes. 3. §. Sane. (2) *Cap.* licet 4. *de ſepult. in 6.* (3) *S. Cong. Conc. in* Avellinen. 15. *Sept.* 1605. (4) *S. Cong. Conc. in* Neapolit. 13. *Febr.* 1666. (5) *Cap.* De Uxore 7. *de ſepult.* (6) *Cap.* nos inſtituta 1. *de ſepult.* (7) *Ex plur. jur. can. textib.* (8) *Cap.* Ebron. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2. (9) *Cap.* is qui 3. *de ſepult. in 6.* §. Mulier. (10) *Arg. cit.* Ebron. *cauſ.* 13. *quæſt.* 2.

naſteriis monialium legitima facultate commorantes, ac inibi, non præmiſſa ſepulturæ electione, decedentes, ſi domicilium in urbe habeant, ſepeliantur in propria paræcia; ſecus in paræcia intra cujus fines monaſterium ſitum eſt, ex recepta noſtræ diœceſis conſuetudine.

VIII. Novitii, & Novitiæ, ſi ſibi ſepulturam non elegerint, in monaſterio, ubi deceſſerint, inhumentur. (1)

IX. Famuli, & ancillæ in dominorum ſuorum domibus commorantes, ſi domum, & familiam in alia paræcia habeant, in ea tumulandi ſunt, licet apud dominos infirmentur, & occumbant. (2)

X. Regulares profeſſi, extra conventum occumbentes, ſunt apud ſua monaſteria tumulandi, ſi commode ad ea poſſint deferri. Si autem a ſuis monaſteriis adeo ſint remoti, ut commode ad ea portari non poſſint, niſi ſepulturæ electio præceſſerit, in parochiali, ubi decedunt, ſepeliantur. (3)

XI. Advenæ, ſeu hoſpites, aliique per aliquot dies in regularium monaſteriis commorantes, ſi infirmari eos, ac mori contingat, nec Sacramenta ab iiſdem, ſine licentia parochi recipiant, nec in eorum eccleſiis, niſi ibi ſepulturam elegerint, ſed omnino in parochiali inhumentur. (4)

XII. Infantes in hoſpitalibus expoſiti, ſi ibidem deceſſerint, ibidem ſepeliantur. (5)

XIII. *Infantes, qui nutricibus alendi extra propriam parochiam dantur, retinent domicilium in parochia parentum, atque ad illam pertinent, licet in aliena parochia decedant. Patre*

(1) *Canoniſtæ communiter.* (2) *Statut. Cler. Rom. cap* 3. §. XI. *apud Lambertin. Inſtit.* 33. *n* 17. (3) *Cap.* Religioſi 5. *de ſepult. in 6. Gloſſa ibidem verbo* nota. (4) *Cap.* In noſtra. 10. *de ſepult. S. Cong. Conc. in* Ravennat. 20. *Jan.* 1674. *in* Ripana 3. *Febr.* 1652. & *in* Gerunden. 3. *Febr.* 1694. (5) *Aug. cap.* Si a patre. *unic. de infant. & languid. l. fin. cod. de infant. expoſit.*

tre vero orbatos, quouſque apud ipſam matrem aluntur, licet in poteſtate tutorum, non matris exiſtant, de parochia matris, non tutorum eſſe declaramus. Si nutricibus alendi extra propriam parochiam dentur a matre, domicilium in parochia matris: ſi vero utroque parente caruerint, domicilium in parochia tutorum, non vero nutricum retinere declaramus. Quod ſi nec tutores habent, in parochia, in qua decedunt, tumulentur. (1) Hanc regulam pro infantum ſepultura in noſtra diœceſi ſervari volumus, ac mandamus.

XIV. Hi porro infantes e domo nutricis, in qua obierunt, recta ad eccleſiam, in qua tumulandi ſunt, eccleſiaſtico ritu efferantur; neque unquam, ſine aſſenſu noſtro, ad domum patris, matris, vel tutorum privatim, ac ſecreto deferantur; quem morem, alias reprobatum, (2) iterum reprobamus. (3) Si vero infantes, ut præfertur, in domo nutricum decedentes, in alia paræcia tumulandi fuerint, parochus domicilii, ad quem cadaver ſpectat, non illud audeat, inconſulto parocho locali, e dicta domo amovere. (4)

XV. Periculoſe ægrotanti extra proprium domicilium parochus loci Sacramenta miniſtrabit. Si vero eum, non electa ſepultura, mori contigerit, cadaver in ſua parochiali, vel in alia eccleſia, in qua majorum ſuorum ſepultura extabit, ſepeliri debebit, dummodo abſque periculo, & gravi incommodo ad ipſam valeat deportari. (5) Hujusmodi autem periculum, & incommodum tum extare declaramus, cum cadaver ultra tria milliaria ab eccleſia, in qua tumulandum foret, diſtabit. Dum vero cadaver propius abeſt,

(1) *Decret. Congregat. particul. deputat. a S. mem. Clem. XI. in addition. ad Statut. Cler. Rom. §. 7. & 8. apud Lambertin. Inſtit.* 105. *n.* 56. (2) *Syn. Cantoni*. (3) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 57. (4) *Syn. Cantoni*. (5) *In Decretal.* Is qui *de ſepult. in 6.*

beſt, parochus localis moneat parochum domicilii, ut ipſe accedere, vel alium mittere ſacerdotem valeat ad illud efferendum; (1) qui tamen antequam alterius paræciæ fines ingrediatur, urbanitatis officia erga prædictum parochum loci non prætermittat, ac horam pro efferendo cadavere præfinitam eidem ſignificabit; ut ipſe adeſſe, cadaver aqua benedicta aſpergere, aliaque ſui muneris obire officia poſſit, prout in appendice latius continetur. (2) Dum vero cadavera ab uno ad alium locum, vel ab una ad aliam paræciam transferenda erunt, id non aliter, quam adhibito feretro, prælata cruce, ac uno ſaltem ſacerdote, & clerico comitantibus, fiat. (3)

XVI. In noſocomiis decedentes, ſi in ſepulcro majorum ſepeliendi, vel alibi ſepulturam elegerint, nunquam ſine proprii parochi, vel alterius, quem ipſe delegaverit, ſacerdotis præſentia e loco deportentur. Omnia autem funeris emolumenta, non ſecus ac ſi alibi occubuiſſent, ad eundem domicilii parochum ſpectare decernimus. (4)

XVII. Quod vero attinet ad noſtrum hoſpitale S. Mariæ de Crucibus peculiari decreto cautum eſt, 1. licere capellanis hoſpitalis adminiſtrare Sacramenta Sanctiſſimi Viatici, & Extremæ Unctionis quibuſcunque ſive ratione domicilii, ſive ratione ſervitii ibidem degentibus: 2. cadavera dictorum inſervientium, & habitantium in hoſpitali eſſe ſepelienda in ejus eccleſia, & cæmeterio, dummodo ſepulcrum, vel domicilium in aliqua paræcia urbis, vel ſuburbiorum non habeant, vel ſepulturam non elegerint: 3. denique licere capellanis præſente parocho aſpergere aqua benedicta cadavera extra hoſpitale ſepelienda in actu eorum con-

(1) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 44. 45., & 46. (2) *Decret.* de Funeribus. (3) *Lambertin. Inſtit.* 36. *n.* 14. & *Inſtit.* 105. *n.* 46. (4) *Syn. Cantoni.*

conſignationis. (1) Eorum vero cadavera, qui in ejuſdem hoſpitalis valetudinariis obierint, ſi nec ſepulcrum majorum habeant, nec alibi elegerint, ibidem ſepelienda eſſe ſtatuimus, atque decernimus.

XVIII. Præfinito ſepulturæ loco, parochus cum defuncti propinquis, vel hæredibus cætera diſponat, quæ ad funeris decorem ſpectant. Hæredes autem, quorum eſt deſignare eos, qui funus comitentur, niſi defunctus ipſe deſignaverit, antiquam hujus urbis conſuetudinem præ oculis habeant, ſerventque, ne cujuſcunque cœtus regularium numerus, ſacerdotum, aut clericorum ſæcularium numerum excedat. (2) Non ante lucem, neque poſt ſolis occaſum mortui efferantur. (3) Vias, per quas funebre agmen ducendum erit, parochus indicet, qui tamen longiori via circumiri, quam explicandis ordinibus neceſſe ſit, ſine noſtra licentia, non patietur.

XIX. Hora conſtituta ad parochialem defuncti eccleſiam conveniant quotquot ad funus fuerint invitati; (4) ſecus conſueto careant emolumento. (5) Inde ſimul cum parocho ad efferendum cadaver procedant. At ſi Metropolitanæ noſtræ capitulum ad funus invitari contigerit, tunc omnes ad Metropolitanam accedant. (6) Sacerdotes, & clerici ſæculares talarem veſtem, ſuperpelliceum, ac biretum deferant; alias funebri eleemoſyna privabuntur. (7) Superpelliceum autem non alibi quam in eccleſia ſument, ac ibidem, funere abſoluto, deponent. Caveant ne, eo induti, ſinguli per vias incedant. Regulares chorali habitu,

(1) *Decret. S. Viſit.* 1. *Jul.* 1780. *approbante S. Cong. Conc. in* Ravennat. *cauſa funeris die* 27. *Jun.* 1789. (2) *Syn. Cantoni.* (3) *Syn. Diœceſ. I. Boncompagni cap.* XII. *de exequiis. S. Cong. Conc.* in Novarien. 15. *Martii* 1740. (4) *S. Rit. Cong.* 9. *Decembr.* 1617., & 6. *Febr.* 1631. *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni*. (5) *Syn. Cantoni*. (6) *S. Rit. Cong. ſæpe*, *Syn. Cantoni*. (7) *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni*.

Digitized by Google

tu, laici confratres ſuis quiſque ſaccis amicti incedant. Ad defuncti ædes cum pervenerint, parochus cadaver, antequam efferatur, aqua benedicta aſpergat, cæteraque a Rituali Romano præſcripta perſolvat. Diſtribuantur cerei, & accendantur lumina; inde omnes ordine procedant. Præcedant laicorum ſodalitates, ſequantur regulares, poſtremo clerus ſæcularis cum parocho feretrum antecedat. Bini incedant: non pileo, non pallio, niſi neceſſitas urgeat, utantur: a mutuis colloquiis, multoque magis a riſu, & jocis temperent; ſed oculis, vultuque ad religionem compoſito, atque animo ad mortis contemplationem revocato, conſuetos pro defuncti anima pſalmos gravi voce recitent. Qui feretrum ſubeunt, alicujus piæ ſodalitatis ſacco, quoad fieri poterit, induantur. Eccleſiam tumulantem ingreſſi, depoſitoque feretro, parochus cum clero ſæculari, tres nocturnos cum laudibus, ſi defunctus fuerit ſacerdos, vel primum ſaltem nocturnum cum laudibus officii defunctorum, ſi fuerit laicus, ritu duplici canat, vel recitet, ac cætera a Rituali Romano præſcripta rite perſolvat. Qui, antequam hæc abſolvantur, deceſſerint, funeris emolumenti jactura multabuntur.

XX. Quod antiquiſſimi eſt inſtituti, illud, quantum fieri poteſt, retineatur, ut miſſa, præſente defuncti corpore, pro eo celebretur, antequam ſepulturæ tradatur. (1) At ſi tanta fuerit defuncti, ac ejus propinquorum inopia, ut eleemoſynæ ſuppeditandæ impares ſint, hortamur parochos, ut vel ipſi gratis celebrent, vel ſaltem pecuniam in eum finem a divitibus, piiſque perſonis ſubminiſtrandam curent; quod idem ab hoſpitalium præfectis pro pauperibus defunctis, ac inibi tumulandis pari charitate præſtari vehemen-

(1) *Rit. Rom.*

menter optamus. (1) Egenos, qui funeris ſumptui ferendo non fuerint, parochi gratis omnino inhumabunt. (2) Lumina in eorum exequiis deeſſe nunquam patiantur; unum ſaltem ſacerdotem, aut clericum, qui funus ſecum comitetur, evocabunt, pie pſallent, ac reliquos Eccleſiæ ritus religioſe ſervabunt.

XXI. Parochi defunctorum cadavera rite componenda, ac decenter amicienda curabunt, cavebuntque, ne quid vanæ ſuperſtitionis ſpecie religionis irrepat. Si quis laicus ſacro alicujus religionis habitu indutus inhumari velit, pio ejus deſiderio ſatisfieri mandamus. Eum tamen morem a ſacerdotibus ſæcularibus, diaconis, ſubdiaconis, & reliquis clericis uſurpari prohibemus; eoſque ſacro ſacerdotali, vel clericali habitu, quem cujuſque ordinis ratio depoſcit, indui omnino volumus, & decernimus. (3) Quod ſi ſacræ veſtes, quibus hi induantur, ab eccleſia miniſtrentur, illi tantundem rependant defuncti hæredes. Si vero ea fuerit ejuſdem defuncti paupertas, ut unde veſtiatur, non ſuperſit, tum quæ viliores ſunt, adhibeantur. (4)

XXII. Jus parochis acquiſitum, & antiquiſſima conſuetudine confirmatum, ut vel ipſi, vel alii ab iis delegati ſacerdotes tumulantes eccleſias quaſcunque ſive ſodalitatum, ſive regularium, elata cruce, cum ſæculari clero funus proſequente, ingrediantur, quoties defunctorum cadavera ad eaſdem deferri contigerit, atque ibidem exequiarum officium, & juſta de more perſolvant, ſartum tectum ſervari volumus, ac mandamus.

XXIII. Si quando poſt ſolis occaſum, noſtra accedente licentia, ad eccleſias ſive regularium, ſive ad quaſcun-

T que

(1) *Lambertin. Inſtit.* 36. *n.* 16. (2) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Caſſanenſi 5. *Maji* 1617 *Clem.* IX. *Conſtit.* 38. In Excelſa (3) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 26. *Rit. Rom.* (4) *Syn. Diœceſ. I. Boncompagni de Exeq.*, *aliæque Diœceſ. Ravennat.*

que alias cadavera deferenda ſint, parochus ſequenti die cum ſuo clero ad eccleſiam, ad quam cadaver delatum fuerit, accedat, officium, & exequias, ut ſupra, perſoluturus. Quod ſi eccleſiarum rectores obſtiterint, conceſſam licentiam nullius roboris fore declaramus.

XXIV. Si in efferendis cadaveribus per alienam paræciam tranſeundum ſit, intermediæ paræciæ rector non obſtabit, nec ullo modo funeri ſe immiſcere præſumet. Si publica via, per quam gradiendum eſſet, vel interrupta ſit, aut nimis incommoda, ita ut per privata itinera ſit incedendum, parochi, agrorum dominis, aut villicis ea de re præmonitis, per breviorem proficiſcantur, caveantque, ne quid damni agris ipſis inferatur. Eoſdem vero agrorum dominos, & villicos hortamur, ne parochis ea occaſione tranſeuntibus moram afferant, ſibi ſuadentes, nullam inde ſervitutem in eorum fundis induci. (1)

XXV. Parochi, aliique eccleſiarum rectores, & miniſtri caveant, ne occaſione funerum quicquam petant, aut exigant, quod ſibi avaritiæ, aut ſimoniacæ cupiditatis labem aſpergat. Eleemoſynis, & emolumentis, quæ a Nobis inferius decernentur, (2) contenti ſint; ne ſi quid præterea flagitare auſi fuerint, pœnis a jure inflictis, vel arbitrio noſtro infligendis ſe ſubjiciant.

XXVI. Si quis vero pro ſuorum ſepultura præfinita emolumenta ſolvere, cum tamen ſolvendo ſit, recuſaverit, non propterea ulli actioni juridicæ locus erit, aut funus differri poterit, ſed, cadavere conſuetis hora, & ritu ſepulturæ tradito, res ad Nos deferatur, ut opportunis remediis eos compeſcamus, qui malitioſe nituntur laudabilem conſuetudinem immutare. (3) XXVII.

(1) *Lambertin. Inſtit.* 89. (2) *In Append. Taxa Funerum*. (3) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Caſſanenſi 5. *Maji* 1617., *& in* Crotonienſi 17. *Sept.* 1617. *Lambertin. Inſtit.* 105. *n.* 58. *Cap.* Ad audientiam 24. *de ſimonia*.

XXVII. Si defuncti funus in propria parochia celebretur, cereos omnes tam circa feretrum, quam in altari infixos, qui eo abſoluto ſuperſunt, ad parochum pertinere declaramus. Si vero defunctus ad aliam quamcunque eccleſiam, quæ tumulandi jure gaudeat, deferatur, tunc parochus, ex antiquiſſima hujus urbis conſuetudine, dimidium eorumdem cereorum ſibi vindicabit. At ſi in aliqua eccleſia, quæ ſepeliendi jure careat, ex peculiari licentia inhumandus ſit, quicquid ceræ ſupererit, ac inſuper emolumenta omnia ipſius defuncti parocho adjudicamus. (1)

XXVIII. Defuncto parocho, œconomus, qui ad vacantis eccleſiæ regimen aſſumitur, nihil ſuperextantis ceræ, vel aliud quicquam ab ipſius defuncti hæredibus occaſione funeris, & exequiarum, vel diei ſeptimæ pro eo celebrandæ exigere, aut petere audeat, ſed gratis omnino hoc charitatis officium perſolvat. (2)

XXIX. Ne, quod eveniſſe aliquando ferunt, ſemiviva corpora, quæ quandoque penitus videntur extincta, in ſepulcrum inferri contingat, Deceſſoris noſtri ſtatutis inhærentes inhibemus, quominus ullius defuncti cadaver ſepultura afficiatur, niſi elapſis poſt obitum ſaltem vigintiquatuor horis. At repentina morte prærepti, quibus addimus mulieres in partu decedentes, & undis ſubmerſos, non ante inhumentur, quam quadraginta horarum ab eorum morte tempus effluxerit. Ubicunque vero inſepultum cadaver aſſervetur, nec lumen deſit, nec cuſtos, qui ei advigilet, deſideretur. (3)

XXX. Quibus in caſibus inſpectioni cadaverum locus eſt, caveant parochi, ne ante illa loco amoveant, quam a curiæ miniſtris inſpecta fuiſſe ſibi conſtiterit. (4) Hæc por-

(1) *Statut. Cler. Rom.* (2) *Syn. Criſpi*, *Syn. Cantoni*. (3) *Syn. Cantoni*. (4) *S. Cong. Immunit.* 1704., *&* *Ep.* *&* *Reg.* 1758.

porro inſpectio non in loco ſacro, aut immuni facienda eſt. (1) At ſi curiæ miniſtri ad hoc vocati plus æquo cunctentur, ad eccleſiam delata ſepeliantur, neque ea poſtea exhumare, niſi cui facultatem ſecerimus, ulli liceat. (2)

XXXI. Eccleſiarum rectores omnes ſuæ quiſque eccleſiæ anniverſariis, & miſſarum oneribus, ſeu jure, ſeu conſuetudine indictis, ac deſignatis diebus, quod fieri poterit, ſatisfacere curabunt: ac ſi in expiandis deſunctorum animabus deſidioſe ſe geſſerint, vereantur, ne pares ſibi mortuis vices rependantur.

XXXII. Quæ pro animabus purgatorii, vel pro benefactoribus officia celebrantur, ea ſtatis diebus pro cujuſque congregationis more peragantur. Quod ſi aliquando eadem die in pluribus eccleſiis officia haberi contingat, ea de re parochi, & ſacerdotes mature præmoneantur.

XXXIII. Sacerdotes occaſione anniverſariorum, vel officiorum pro deſunctis ad eccleſias accedentes miſsæ eleemoſynam non recipiant, niſi celebraverint, dummodo tamen, qui ſtipem præbuerint, in miſſæ dilationem non conſenſerint; nec officii emolumentum, niſi miſſæ, nocturno, & abſolutionibus rite, & ſuperpelliceo induti interſuerint, conſequantur. (3)

XXXIV. In cadaveribus inhumandis ſummopere cavendum eſt, ne quid ſuperſtitioſi ritus religioſæ actioni immiſceatur. Veſpillonis officio in urbe, ac ſuburbiis nemo fungatur, præter eos, qui a Nobis ad id muneris ſuerint deſignati. Eorum nemo cadavera deſpoliare, aut iis detrahere veſtes audeat, niſi quas hæredes detrahi mandaverint. Caveant, ne quid ultra mercedem in appendice præfinitam exi-

(1) *S. Cong. Immunit. in* Nullius 2. *Maji* 1639. *&* *in* Maceraten. 8. *Aug.* 1645. (2) *S. Cong. Immunit. in* Æſina 17. *Decembr.* 1602. *&* *in* Sutrina 1. *Jun.* 1604. (3) *Syn. Cantoni*.

exigere præſumant, (1) pœnis ſeverioribus, ſi contra fecerint, coercendi. Pauperes vero, a quibus parochi nihil pro funere accipiunt, gratis ſepulcro tradere teneantur.

XXXV. Cadavera perpetuæ ſepulturæ tradita, a nullo unquam ſub quocunque prætextu, abſque aſſenſu noſtro, exhumentur. (2)

XXXVI. Medicis, aut Chirurgis defunctorum cadavera ſecare ad anatomen ediſcendam, vel ad comparandam notitiam, qua aliis ægris juvandis aptiores evadant, abſque noſtra facultate, non liceat; ſi extremo ſupplicio affectorum corpora excipiantur, quæ a judice laico petenda ſunt. (3)

XXXVII. Sunt tamen aliqui, qui juxta ſacrorum canonum ſtatuta ſepulcri religione privantur, quos ſingillatim enumerat Rituale Romanum. Caveant itaqne eccleſiarum præfecti, ne quem eorum funeris honore afficiant, ut pœnas canonicas declinent. Licet autem infantes abſque Baptiſmo decedentes ab eccleſiaſtica ſepultura excludantur, ſi tamen non extractus fœtus in mortuæ matris utero mortuus reperiatur, idem cum matre ipſa, tanquam ipſius ventris pars, ſortiatur ſepulcrum. Contra vero ſi extractus fuerit, ſeorſim a matre extra locum ſacrum tumuletur. (4)

XXXVIII. Sacræ item ſepulturæ privationem, etiam ante judicis ſententiam, incurrent qui ex vulnere in duello accepto, ſive illud publice, ſive privatim indictum fuerit, deceſſerint, quamvis extra locum conflictus occubuerint, ac non incerta pœnitentiæ ſigna, antequam extremum vitæ ſpiritum ederent, exhibentes, abſolutionem a peccatis ſimul, & cenſuris retulerint (5)

CA-

(1) *In Append. Taxa Funerum.* (2) *S. Cong. Ep. & Reg.* 28. *Jan.* 1603. (3) *Lambertin. Inſtit.* 64. (4) *Canoniſta communiter.* (5) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Deteſtabilem 10. *Nov.* 1752.

CAPUT XII.

De Ordinis Sacramento.

I. SAcerdotalis Ordinis, quo divino cultui, divinarumque rerum procurationi præficimur, quo mira Euchariſtiæ conſecrandæ, ac incruenti Sacrificii offerendi, peccata quoque remittendi, retinendique poteſtas tribuitur, ea eſt dignitas, & excellentia, ut non ampliorem ullam in terris invenire, ſed ne appetere quidem, aut cogitatione aſſequi homines poſſint.

II. Cum autem divina res ſit tanti ſacerdotii miniſterium, conſentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſia ordinatiſſima diſpoſitione plures, & diverſi eſſent miniſtrorum ordines, qui ſacerdotio ex officio deſervirent, ita diſtributi, ut qui jam clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcenderent. (1)

III. Omnes porro Ordines ſeptenario numero continentur, Oſtiarii nempe, Lectoris, Exorciſtæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotis, quorum primi quatuor minores, reliqui majores, & ſacri vocari conſueverunt. Hos Prima Tonſura antecedit, quam præparationem quamdam ad eos accipiendos recte dixeris.

IV. At quoniam non deſunt, qui ſeſe in Eccleſiæ miniſterium arroganter, ac ejus unius rei cauſa, ut honoribus, & divitiis affluant, inferre præſumunt, illud propterea a Nobis curandum eſt, ne quis ſine accurato delectu clericali militiæ adſcribatur: potiſſimum vero ne ad ſacros Ordines promoveri poſtulantibus præpropera feſtinatione manus

(1) *Trid. ſeſſ. 23. cap. 2.*

Digitized by Google

nus imponamus. Satis quippe conſtat Eccleſiæ magis expedire pauciores habere miniſtros, ſed probos, ſed idoneos, quam plures ineptos, inerteſque, atque ipſo vitæ genere pernicioſos. (1)

V. Prima itaque Tonſura initiandi, antequam examini ſubjiciantur, cancellario noſtro generali teſtimoniales literas, juxta formulam, quam typis vulgari mandavimus, afferant, nimirum de ætate, Baptiſmo, ac natalibus, de Confirmatione ſuſcepta, de vita, & moribus, de frequentia doctrinæ chriſtianæ, de frequentia Sacramenti Pœnitentiæ, de percepta Sanctiſſima Communione, & magiſtri ſcholæ. Si tonſurandus decimum quartum ætatis annum expleverit, legale inſuper documentum afferat, quo conſtet, nullam præteritam condemnationem, nullamque præſentem inquiſitionem adverſus ipſum in curiis criminalibus reperiri. Ante diem vero ordinationis teneantur quoque cancellario noſtro generali exhibere tum teſtimonium denuntiationum in ſua parochiali factarum, juxta edicta typis impreſſa, & ab ipſo cancellario opportune repetenda, tum documentum de exercitiis ſpiritualibus, per tres ſaltem dies, peractis.

VI. Ad minores vero Ordines promovendi ante examen afferant, præter literas patentes Tonſuræ, & Ordinum, ſi quos ante ſumpſerint, teſtimonium, juxta peculiarem aliam formulam, de ætate, quæ quartum decimum annum ſuperet, de vita, & moribus, de exercitis ordinum functionibus, de frequentia Sacramenti Pœnitentiæ, de percepta Sanctiſſima Communione, de doctrina chriſtiana, de ſtudiis, de frequentia congregationis clericorum. Ante diem vero ordinationis de exercitiis ſpiritualibus, per tres ſaltem dies peractis, teſtimonium exhibeant.

VII.

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Ubi primum 3. *Decembr.* 1740.

Digitized by Google

VII. Demum ad Ordines ſacros aſſumendi, antequam examen ſubeant, præter patentes Ordinum præcedentium, quos ſuſceperint, literas, etiam teſtimoniales afferant, juxta peculiares formulas, ſcilicet de ætate, de vita, & moribus, de exercitis Ordinum functionibus, de doctrina chriſtiana, de frequentata congregatione clericorum, de frequentia Sacramenti Pœnitentiæ, de percepta Sanctiſſima Communione, de ſtudiis. Ante diem vero Ordinationis eidem cancellario noſtro generali inſuper exhibebunt teſtimonium tum denuntiationum in propria paræcia factarum perſonæ, & patrimonii juxta edicta typis impreſſa, & ab ipſo cancellario opportune repetenda, tum ſpiritualium exercitiorum ad decem dies, juxta decretum Clementis XI. peractorum.

VIII. Qui hucuſque recenſita teſtimonia exarabunt, caveant, ne ſe aut ineundæ gratiæ, aut offenſionis vitandæ cauſa a veritate deflectant, ſed quicquid accurata inveſtigatione reſciverint, pro ſua religione, ſolius Eccleſiæ utilitatis, & divini honoris ſtudio ducti, Nobis renuntiare non dubitent. Sciant haud levis momenti negotium ſuæ fidei commiſſum eſſe; quod ni recte geſſerint, malorum omnium, quæ in chriſtianam rempublicam inde dimanabunt, diſtricto judici pœnas dabunt.

IX. Quotquot ad Primam Tonſuram, vel Ordines fuerint aſſumendi, edicto propoſito vocabuntur, ut coram Nobis, aliiſque divinæ legis peritis, ac in eccleſiaſticis ſanctionibus exercitatis, in eum Nobis finem aſcitis, examinis aleam ſubeant. (1)

X. Ab iis, qui ad Primam tantum Tonſuram promoveri poſtulabunt, inquiretur, an fidei rudimenta calleant, & legere, & ſcribere ſciant. (2) Si vero ſextum deci-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 7. de Reform.* (2) *Trid. ſeſſ. cit. cap. 4. de Reform.*

decimum ætatis annum attigerint, aliquod inſuper ſtudiorum ſuorum ſpecimen capiendum erit. (1)

XI. Ab iis vero, qui ad minores Ordines promovendi fuerint, exquiratur, an linguam latinam intelligant; (2) an Ordinum, quibus initiari cupiunt, naturam, dignitatem, vim, munia agnoſcant, an in ſtudiis profecerint.

XII. Ad Subdiaconatum, & Diaconatum provehendi, diligentiori examine diſcutiendi erunt de latinæ linguæ intelligentia, an in litteris, iiſque, quæ ad ordinem exercendum pertinent, ſint inſtructi; (3) an cætera, quæ ordinis, quo initiandi fuerint, naturam, dignitatem, munera attingunt, didicerint, an diſciplinis, de quibus infra, ſedulo vacaverint.

XIII. Ad divina vero myſteria per Presbyteratus Ordinem propius acceſſuri diligenti examine idonei comprobentur ad populum docendum ea, quæ ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem, ac adminiſtranda Sacramenta. (4) Cumque hanc ſcientiam comparare nemo ſibi poſſit, niſi theologiæ morali, vel ſcholaſticæ, vel juri canonico det operam, eos propterea accuratius de his interrogari volumus. Ac ne quem ad ea imparatum offendere contingat, omnibus univerſim denuntiamus, Nos ad examen pro Subdiaconatu non admiſſuros, niſi qui per annum, pro Diaconatu per duos annos, pro Presbyteratu vero per annos tres alteri ex prædictis diſciplinis ſe, non perfunctorie tantum, ſed ſedulo vacaſſe magiſtri teſtimonio comprobaverit. Eos autem qui ad moralis theologiæ ſtudium animum adjunxerint, monitos volumus, ut, inter alios, tractatus ſeligant,

(1) *Syn. Guiccioli*. (2) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 11. *de Reform.* (3) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 13. *de Reform.* (4) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 14. *de Reform.*

qui ſacros ordines ſuſcepturis magis neceſſarii, vel utiles videntur, nempe de virtutibus theologicis, de Sacramentis in genere, & in ſpecie, cæteris inpoſterum operam daturi, cum ad confeſſiones excipiendas comparandi fuerint. Illud inſuper profitemur, haud Nobis illorum methodum probatum iri, qui, ut citius ſtudiorum curriculum abſolvant, neglectis humanioribus litteris, & philoſophicis diſciplinis ne a limine quidem ſalutatis, cum vix linguam latinam didicerint, protinus ad ſacra ſtudia ſe conferunt. Clerici igitur ſinguli ita ſtudiorum ſuorum tempora metientur, ut, ſi minus ſtudio rhetoricæ, ac integræ philoſophiæ operam dabunt, unum ſaltem annum in addiſcenda dialectica inſumant, antequam prædicta eccleſiaſtica ſtudia ingrediantur, cujus rei teſtimonium afferre non gravabuntur. Quæ pro examine ad ſingulos Ordines ediximus, inpoſterum ſervari, ac in morem induci omnino volumus, niſi juſtis aliquando de cauſis aliter Nobis viſum fuerit in Domino expedire. (1)

XIV. Qui ab aliis diœceſibus Ordinum ſuſcipiendorum cauſa huc acceſſerint, niſi ſe proprii Epiſcopi examen ſubiiſſe authentico teſtimonio comprobaverint, a Nobis ſe ſciant fore pertentandos.

XV. Regulares vero, qui ſe Ordinibus initiari poſtulabunt, noverint ſibi eſſe de doctrina coram Nobis, niſi aliter judicaverimus, periclitandum. (2)

XVI. Examinatores autem, quibus de ordinandorum genere, perſona, ætate, inſtitutione, moribus, doctrina, fide inquirendi, ac cognoſcendi (3) negotium demandabimus, ita ſuo fungantur munere, ut non amore, non odio

(1) *Lambertin. Inſtit. 2. & Inſtit. 42.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 12. *de Reform. Decret. Clem.* VIII. 15. *Martii* 1596. (3) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 7. *de Reform.*

odio, non amicorum commendationibus ducantur, non ullo partium ſtudio ab æquitate ſe abduci patiantur; verum id unice ſpectent, ſtatuantque, quod cum Dei honore, & Eccleſiæ utilitate conjunctum eſſe intellexerint.

XVII. Qui victor examinis diſcrimen evaſerit, non propterea ad ſacros promovebitur Ordines, niſi, juxta ſacrorum canonum ſanctiones, titulum ſibi ſuppetere comprobaverit. Qui ergo eccleſiaſtici beneficii titulo promovendus erit, docebit, ſe illud pacifice poſſidere, ejuſque reditum ad victum honeſte ſufficere, ne poſtea vel cum Ordinis dedecore mendicare, vel ſordidum quæſtum exercere cogatur. (1) Illud porro beneficium ad victum honeſte ſufficere declaramus, cujus annuus cenſus ad triginta ſex ſcutatorum ſummam pertingat. An autem detrahenda ſint miſſarum onera, queis ſubjici contigerit, ſive hæc ab ipſo beneficiato per ſe celebrandæ ſint, ſive per alium celebrari poſſint, quoniam id Ordinariorum arbitrio, & conſcientiæ relictum eſt, (2) Nos, cum ſe ſe occaſio obtulerit, ſtatuemus, quod pro circumſtantiarum, & promovendorum qualitate magis expedire arbitrabimur.

XVIII. Patrimonium vero, vel penſionem obtinentes ad ſacros Ordines non admittentur, niſi eos pro neceſſitate, vel commoditate Eccleſiæ noſtræ aſſumendos eſſe judicaverimus. (3) Hæc autem patrimonia, vel penſiones ab iis quibus in titulum aſſignantur, vere, & actu obtineantur; (4) atque ejuſmodi ſint, quæ annuum reditum ſcutatorum triginta ſex, deductis expenſis, omnino referant. Patrimonia non in lucro, quod ex induſtria, vel honeſtæ alicujus

ar-

(1) *Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de Reform.* (2) *S. Cong. 17. Jul. 1723. apud Lambertin. Inſtit. 26. n. 5. & ſeq.* (3) *Conc. Trid. loc. cit. S. Cong. Conc. 13. Maji 1679. ſub Inn. XI. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 2.* (4) *Conc. Trid. loc. cit.*

artis exercitio ſperari poteſt : (1) non in mobilibus , aut ſemoventibus : (2) ſed in bonis ſtabilibus , certis , & fructiferis conſtituantur . At , deficientibus fundis , patrimonia ſuper cenſibus perpetuis ad præſcriptum Bullæ S. Pii V. creatis aſſignari non obſtabimus , ea tamen lege , ut ſi quando debitores ſortem reſtituerint , pecunia in monte pietatis deponatur , quæ inde amoveri non poſſit , niſi cum ſe occaſio obtulerit eam in aliis cenſibus , vel bonis fructiferis , ſtabilibus , ac tutis , in quæ onus patrimonii tranſibit , inveſtiendi . Ad ordinatum autem pertinebit curare , ſub pœna ſuſpenſionis , ne culpa ſua pecunia diu maneat otioſa . (3) Quin & officiaturas , ſeu capellanias amovibiles in titulum patrimonii , ſuadente Eccleſiæ neceſſitate , vel commoditate , admittere non dubitabimus , his tamen adjectis conditionibus , ut is , cui jus nominandi fuerit , accedente auctoritate noſtra , ſpondeat ſe nunquam proviſum ab iis amoturum , niſi beneficium , aut patrimonium conſecutus fuerit , quo commode vivere poſſit ; ut ejus proventus taxam ſuperius præfinitam æquet ; ut demum idoneus fidejuſſor accedat , qui onus in ſe recipiat alimenta ordinando ſuppeditandi , cum a celebrando fuerit impeditus . (4)

XIX. Si cui beneficium adeo tenue obtigerit , ut ejus reditus taxam Synodalem non attingat , juncto patrimonio , ejus defectum ſuppleri , ſi eccleſiæ rationibus expedire viſum fuerit , indulgebimus . (5)

XX. Quæ parentes filiis patrimonia aſſignant cum damno legitimæ partis aliis filiis debitæ , ea nec licita , nec valida eſſe declaramus . Si vero pater omnia bona ſua unico,

quem

(1) *S. Cong. Conc.* 1589. *in* Seguntina. *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 7. (2) *S. Cong. Conc.* 29. *Nov.* 1670. *apud Lambertin. Inſtit. cit. n.* 8. (3) *S. Cong. apud Lambertin. Inſtit. cit. n.* 12. (4) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 11. (5) *S. Cong. Conc. in* Seguntina 1589. *apud Lambertin. Inſtit. cit. n.* 10.

Digitized by Google

quem habet, filio in patrimonium tradat, adjecto onere ſibi alimenta ſubminiſtrandi, ea conditio ingenue adducatur, ut annui reditus, & aſſumpti oneris rationibus ſupputatis conſtare poſſit, an quod reliquum fuerit ſynodalem taxam coæquet. (1)

XXI. Eorum vero ſummis laudibus extollenda pietas; qui egenis, atque optimæ ſpei clericis patrimonium, quo ad ſacros Ordines provehantur, ex propriis bonis conſtituunt. Sed neceſſe eſt, ut vera, non ficta donatio intercedat, ut pacta omnia de non percipiendis ab ordinato fructibus abſint, ut demum ex iis bonis tantum annui reditus ſuppetat, quantum ſynodalis taxa requirit. Quod ſi loco fundi cenſus aſſignetur, præter recenſitas conditiones, id inſuper exigitur, ut ex præſcripto Bullæ S. Pii V. fuerit, ut ſuperius diximus, conſtitutus, utque aſſignans juridice ſpondeat, ſe ordinato, ſi forte ſortem redimi contigerit, repenſurum unde ſe alere, ac ſuſtentare poſſit, donec denuo pecunia collocata fuerit.

XXII. Sed ut omnis hinc fraudis, & doli ſuſpicio propulſetur, cancellarius noſter juridice inquiret, an fundi, cenſus, penſio, capellania, vel beneficium vere, & pacifice poſſideantur, ac retineantur, an ambigui juris ſint, an ære alieno obſtricta, an ulli hypothecæ obnoxia, an aſſignatio, aut fidejuſſio ullo fictionis, vel ſimulationis vitio laboret, an conventiones, & pacta a re aliena interceſſerint, an inde tantum annui proventus redeat, quantum ex ſynodalium ſanctionum præſcripto ſufficiat. Hæc, & alia poſtquam diligenti percontatione, ac interpoſita juramenti religione, tum ab ipſo ordinando, tum ab iis, qui quoquomodo patrimonio cooperatores accedunt, tum ex probato-

rum

(1) *Lambertin. Inſtit. cit. n. 14.*

Digitized by Google

rum teſtium, & peritorum examine, publiciſque documentis exploraverit, inſtrumentum exponat.

XXIII. Hiſce peractis ad parochialis promovendi eccleſiæ valvas, edictum typis impreſſum, in quo bona patrimonio ſubjecta recenſeantur, affigendum, ac tribus diebus feſtivis inter miſſarum ſolemnia evulgandum curabit. Quod ſi ordinandus in una parœcia domicilium habeat, bona vero aſſignata in alia ſita ſint, tum ab utroque parocho edicta affigi, & evulgari præcipimus. (1) Parochi vero, quorum fidei id negotii mandatum fuerit, fideles, data etiam ſecreti fide, commonefaciant gravem ipſis impoſitam eſſe obligationem quicquid legitimæ patrimonii aſſignationi, juxta ſuperius dicta, obſtare reſciverint, renuntiandi: ac ſi nullum impedimentum delatum fuerit, nec quicquam relatu dignum ipſimet rimando deprehenderint, ejus rei teſtimonium ad ejuſdem edicti calcem exarabunt.

XXIV. Regulares autem, quoties de emiſſa per eos profeſſione conſtiterit, ad religioſæ paupertatis titulum promovebuntur.

XXV. At ſi quis nihilominus confictо titulo ſacris Ordinibus initiabitur, huic, ſi fraudis particeps fuerit, ipſo jure ſuſpenſum eſſe, & Ordinum executione carere, (2) ac præterea, ſi Ordinis miniſterio fungatur, irregularitatem non effugere denuntiamus. Qui vero patrimonia conſtituunt, data per ordinandos fide de non percipiendis fructibus, vel eorum parte, ſciant, pacta hujuſmodi, etiam addito juramento, a Nobis relaxari poſſe, adeout reipſa ſolvere compellantur quicquid ſe ſoluturos ficte ſpoponderint. (3)

XXVI. Beneficium, cujus titulo promotus fuerit, reſi-

(1) *Lambertin. Inſtit. cit. n. 20.* (2) *S. Cong. Conc. 27. Nov. 1610. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 16.* (3) *Lambertin. Inſtit. cit. & S. Cong. Conc. apud ipſum 11. Maji 1599. loc. cit. n. 18.*

ſignare nemo audeat, niſi facta mentione, quod ad illius titulum fuerit promotus; neque ea reſignatio ullius roboris erit, niſi conſtiterit ei aliunde ſuppetere, unde vivere commode poſſit: (1) quod non ſola reſignantis confeſſione, etiam jurata, ſed concludentibus inſuper probationibus evincatur. (2) Sed ne patrimonium quidem, aut penſionem, ad cujus titulum ſacris Ordinibus fuerit initiatus, alienare, extinguere, aut remittere, Nobis non annuentibus, ulli liceat, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens adeptus ſit, vel ei aliunde ſuppetat unde victus ſubminiſtretur; (3) aliter ipſa alienatio nulla ſit. (4) Hoc idem de fidejuſſionibus, quibus bona patrimonio ſubjecta hypotheca obſtringuntur, judicium ferendum eſt, ſi eam bonorum, vel fructuum partem excipias, quæ forte honeſtæ ordinati ſuſtentationi quotannis ſupereſſet. (5) Sed & illud meminiſſe juvabit alienationem patrimonii, non facta mentione, quod hujus ope, ac titulo in ſacros Ordines quis fuerit cooptatus, nullam ipſo jure futuram eſſe; (6) permutationem vero patrimonii cum aliis bonis non minoris reditus, aut valoris, noſtro accedente conſenſu, fieri poſſe, cum declaratione tamen per Nos facta, quod bona ex permutatione acquiſita, fuerint in locum prioris patrimonii ſubrogata; (7) demum renuntiationem patrimonii, non impetrata a Nobis venia, non ſuſtineri, etiam poſt aſſecutionem beneficii, quod ad vitam promoti ſuſtentandam ſufficiat. (8)

XXVII. Minores Ordines ſuſcepturos temporum interſti-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de Reform.* (2) *S. Cong. Conc. 9. Febr.* 1726. (3) *Conc. Trid. loc. cit.* (4) *S. Cong. Conc. 15. Martii* 1642. *apud Lambertin. Inſtit. cit. n.* 30. (5) *S. Cong. Conc. apud Lambertin. loc. cit.* (6) *S. Cong. Conc. 6. Martii* 1638. *apud Lambertin. loc. cit. n.* 28. (7) *S. Cong. Conc. 20. Jul.* 1619. *apud Lambertin. Inſtit. cit. n.* 29. (8) *S. Cong. Conc. 4. Febr.* 1652. *apud Lambertin. loc. cit.*

ſtitia, niſi Nobis aliter magis expedire viſum fuerit, ſervare volumus; ac ita de gradu in gradum aſcendere, ut & quiſque Ordinis, quem adeptus fuerit, muneribus ante perfungatur, quam ſubſequentem aſſequatur, & illuſtriora in dies doctrinæ, & pietatis ſpecimina præbere poſſit. Nec vero quemquam, niſi in poſtremi minoris Ordinis gradu per annum hæſerit, ad ſacros Ordines promovebimus: a quo tamen inſtituto diſcedemus, quoties id Eccleſiæ neceſſitas, vel utilitas poſtulaverit. (1)

XXVIII. Ætatem ad majores Ordines requiſitam antevertere nefas eſt. Neminem itaque ſive ſæcularem, ſive regularem ad Subdiaconatus Ordinem ante vigeſimum ſecundum, ad Diaconatus ante vigeſimum tertium, ad Presbyteratus ante vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum admittemus. (2)

XXIX. Temporum interſtitia, quæ in minoribus Ordinibus ſuſcipiendis ſervari juſſimus, ea multo magis, ex Tridentini præſcripto, ab iis, qui in ſacris Ordinibus conſtituti ſunt, ſerventur. Quare promotos ad Subdiaconatus Ordinem, ſi per annum ſaltem in eo non ſint verſati, ad altiorem gradum, niſi aliud Nobis videatur, aſcendere non permittemus; (3) neque ad Presbyteratus Ordinem aſſumemus, qui in Diaconatu, ad minus annum integrum, niſi ob Eccleſiæ utilitatem, ac neceſſitatem aliud Nobis videatur, non miniſtraverint. (4) Ab his ætatis, & interſtitiorum legibus, niſi canonicis cauſis nitantur, diſpenſari fruſtra poſtulabunt.

XXX. Duos ſacros Ordines nunquam eodem die, etiam re-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 11. de Reform.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap. 12. de Reform.* (3) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap. 13. de Reform.* (4) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap. 14. de Reform.*

regularibus, conferemus. (1) Si qui ſuperiorem Ordinem, inferiore prius non recepto, ſuſceperint, ſe & graviter deliquiſſe, & a ſic ſuſcepti Ordinis uſu interdictos noverint: a quo tamen, ſi non miniſtraverint, integrum Nobis erit ex legitima cauſa diſpenſare. (2)

XXXI. Omnes vero, & ſingulos, qui vel primum eccleſiaſticæ militiæ adſcribi, vel Ordinum gradus ſcandendi deſiderio tenebuntur, præmonitos volumus, neminem a Nobis, licet ſatis inſtructum, Prima Tonſura initiandum, præter eum quem non humano conſilio, non ſæcularis fori declinandi cauſa, non a laicalibus ſe muneribus, & oneribus ſubducendi ſtudio, ſed ut jugi Eccleſiæ ſervitio mancipatus majorem Deo cultum exhibere valeat, hoc vitæ genus elegiſſe, probabili conjectura aſſequamur; (3) neque ad minores Ordines promovendum, niſi quem aſſiduum Eccleſiæ ſervitium, doctrinæ meritum, & morum integritas commendaverint; (4) demum ad ſacros Ordines non aſſumendum, niſi quem tanto miniſterio dignum eſſe intellexerimus, & cujus probata vita ſenectus ſit. (5)

XXXII. Decet omnes in ſortem Domini vocatos per aliquot dies divinis rebus meditandis, contemplandiſque ſui muneris officiis vacare, quo re tota accuratius deliberata, puriori mente, ardentiorique animi voluntate ad ſuſcipiendos Ordines accedant. Ea propter Tonſura, vel minoribus Ordinibus initiandi per tres ante dies ſpiritualibus exercitationibus operam dabunt, duce, ac moderatore religioſo viro, earum uſu perito, quem huic negotio præfecerimus. (6) Majorum vero Ordinum gradus conſcenſuri decem die-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 13. *de Reform.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 14. *de Reform. Cap. unic.* de Clerico per ſaltum promoto. (3) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 4. *de Reform* (4) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 11. *de Reform.* (5) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 12. *de Reform.* (6) *Synod. Cantoni*.

rum ſpatio ante ipſam ordinationem in abditum aliquem a Nobis deſignandum locum ſecedant, in eoque incluſi diu, noctuque permaneant, ubi, omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum, in meditationibus ſanctis, & eccleſiaſtici inſtituti muneribus recolendis verſentur: quod qui neglexerint, vel minus pie in eo pio opere ſe geſſerint, a ſacra ordinatione ſciant omnino eſſe repellendos. (1)

XXXIII. Die, atque hora habendæ ordinationi conſtituta, quotquot ordinandi fuerint decenti corporis cultu, & ad clericalem modeſtiam compoſiti conveniant. Omnes talari veſte induti, & clericali tonſura inſigniti, omnes jejuni, omnes Pœnitentiæ Sacramento rite expiati accedant; ſinguli eccleſiaſtica indumenta, quibus in cujuſque Ordinis collatione opus fuerit, afferentes.

XXXIV. Univerſos vero promovendos meminiſſe volumus, unumquemque a proprio Epiſcopo ordinari debere, adeo ut ſi quis abſque ſui Ordinarii dimiſſorialibus literis, etiam ſtatutis temporibus, ab alio promoveatur, a ſuſceptorum Ordinum executione, quamdiu proprio Ordinario viſum fuerit expedire, ſit ſuſpenſus. (2) Nos Tridentini mandatis obſequentes, ſingulis ſubditis noſtris per Noſmetipſos Ordines conferemus. At ſi quando ægritudine, vel aliter impediti, eos ad alium Epiſcopum in eum finem dimittendos eſſe duxerimus, iis, non aliter, quam a Nobis probatis, examinatiſque, dimiſſoriales literæ concedentur. (3) Quin ſi quis tam longe a diœceſi abſit, ut facilem ad Nos acceſſum habere nequeat, Ordinario loci, in quo is moratur, etiam examen delegare non dubitabimus, ut de

(1) *Alex.* VII. *Conſtit.* 126. *die* 7. *Aug.* 1662. *Encyc. S. Cong. Ep. & Reg.* 9. *Octobr.* 1682. *juſſu Inn.* XI. *& alia S. Cong. Conc.* 1. *Febr.* 1710. *juſſu Clem.* XI. *apud Lambertin. Inſtit.* 104. (2) *Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de Reform.* (3) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 3. *de Reform.*

de literarum ſufficientia, morumque honeſtate per delegati literas certiores facti, petitas dimiſſoriales concedamus. Quoties autem dimiſſoriales hujuſmodi a cancellaria noſtra expediri contigerit, in iis cauſa exprimatur, ob quam promovendum ad alium Epiſcopum dimiſerimus. (1)

XXXV. Alienæ vero jurisdictionis clerici ſuſcipiendorum Ordinum cauſa a propriis Epiſcopis dimiſſi, eorum dimiſſoriales literas afferant, quibus ea Nobis teſtata ſint, quæ a ſubditis noſtris ad Ordines promovendis requirimus. At ſi hæ literæ tribus menſibus antiquiores fuerint, nullam apud Nos probationem facient, niſi legitima cauſa eorum vetuſtatem excuſet. (2) Si promovendus poſt obtentas literas domicilium mutaverit, oſtendat, ſe de Epiſcopi dimittentis licentia abſuiſſe, vitæ pariter, ac morum fidem Ordinarii loci, in quo interea commoratus fuerit, exhibere non gravabitur. Si quis in noſtra diœceſi domicilium habens, in alia beneficium eccleſiaſticum conſecutus fuerit, ac ad ejus titulum ab Epiſcopo, in cujus diœceſi beneficium ſitum eſt, promoveri poſtulaverit, ad noſtram poſtmodum diœceſim reverſurus, examen coram Nobis ſubire teneatur; ac, niſi approbari meruerit, teſtimoniales noſtras literas, de natalibus, ætate, vita, moribus, aliiſque requiſitis non obtinebit. Beneficium autem hujuſmodi ſit, ut congruæ ejus vitæ ſuſtentationi, juxta taxam a Nobis ſuperius ſtatutam ſufficiens eſſe judicetur: (3) quæ ſingula ab iis viciſſim præſtari volumus, qui in aliena diœceſi domicilium habentes, ad eamque redituri, a Nobis titulo beneficii, quo in diœceſi noſtra potiti fuerint, ordinari contenderint.

XXXVI.

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (2) *Syn. Criſpi*. (3) *Conc. Rom. Tit. VI. cap.* 4.

XXXVI. Si forte alicui ordini regulari, poſt Tridentini Concilii confirmationem, nominatim, atque directe privilegium conceſſum ſit, vel quatenus antea conceſſum eſſe aſſeratur, poſtmodum *in forma ſpecifica* confirmatum fuerit, quo ab Apoſtolica Sede indultum ſit, ut ejus alumni a quolibet catholico Antiſtite, ipſius Sedis gratiam, & communionem habente, ordinari valeant, hoc firmum, & ratum eſſe voluit Benedictus XIV. Regulares tamen, quibus, juxta præmiſſa, privilegium hujuſmodi pleno jure competere dignoſcitur, monitos voluit, ut non pro libito, nec extra debitas circumſtantias, vel ad oſtentandam duntaxat ejuſdem privilegii ſingularitatem, ſed juſta tantum ex cauſa eo utantur. (1) Cæterorum autem regularium ordinum ſuperiores, quibus id juris minime tributum eſt, probe norunt alumnos ſuos non a quocunque Antiſtite indiſtincte ordinari poſſe, ſed ad Epiſcopum illius diœceſis, in qua regularis ad Ordines promovendus proprium domicilium habuerit, dimiſſoriales literas in eum finem omnino dirigendas eſſe, præterquam cum diœceſanus Epiſcopus a diœceſi abſfuerit, vel ab Ordinum collatione ceſſaverit; neque eos latet dimiſſorialium conceſſionem in id tempus de induſtria non eſſe differendam. (2) Quoties autem ob recenſitas cauſas dimiſſoriales hujuſmodi ad alium Antiſtitem dirigendæ fuerint, toties illis authentica atteſtatio Vicarii generalis, vel cancellarii, aut ſecretarii ejuſdem diœceſani Epiſcopi jungenda erit, ex qua conſtet, vel ipſum extra diœceſim commorari, vel clericorum ordinationem non habiturum proximo legitimo tempore per eccleſiaſticas leges ad hunc effectum ſtatuto; quæ atteſtatio ſi deſit, dimiſſoriales prædi-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Impoſiti Nobis 27. *Febr.* 1747. (2) *Decret. Clem.* VIII. 15. *Martii* 1596. *relat. in cit. Conſtit.* Impoſiti Nobis.

dictas nullius fore roboris, ac momenti, ac præterea tum ſuperiores regulares, tum regulares ipſos promotos ſacrorum canonum pœnis ipſo facto ſubjiciendos, ex Summorum Pontificum auctoritate declaramus. (1)

XXXVII. Regularibus privilegio gaudentibus Sacros Ordines extra tempora ſuſcipiendi, ſi cætera requiſita non deſint, manus imponere non gravabimur. Sed eos tamen meminiſſe volumus, Nos eorum voluntati non adeo addictos eſſe, ut, ni ſtatim, ipſoque die pro ſuſcipiendis Ordinibus ab ipſis deſignato, voti compotes fiant, jam dici poſſit, ordinationem a Nobis non haberi, ſibique propterea integrum eſſe alium adire Epiſcopum, a quo, nulla interjecta mora, promoveantur. (2)

XXXVIII. Sæculares vero clerici, qui iiſdem ſacris Ordinibus extra tempora initiari exoptabunt, neceſſariam ſibi a Sancta Sede veniam poſtulabunt; quibus, ſi modo aliquam ex canonicis cauſis attulerint, officio noſtro apud eamdem Sanctam Sedem non defuturos pollicemur.

XXXIX. Expleta ordinatione, tam ſæculares, quam regulares, qui promoti fuerint, teſtimoniales literas a Nobis, vel Vicario noſtro generali ſubſcriptas, & a cancellario noſtro firmatas recipiant, cui pro earum ſingulis decimam tantum unius aurei partem ſolvant. (3) Qui vero ad alios Epiſcopos, ſuſcipiendorum Ordinum cauſa, a Nobis dimiſſi fuerint, reduces, teſtimoniales literas ab Ordinatore acceptas intra duos menſes cancellario noſtro afferre teneantur; (4) aliter ſe ab Ordinum exercitio ſciant eſſe ſuſpendendos. (5) Sed præterea cancellarius noſter ſingulorum ſive ſæcularium, ſive regularium, qui a Nobis ordi-

(1) *Decret. cit. Clem.* VIII. *& Conſtit. cit. Ben.* XIV. (2) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit. Lambertin. Inſtit.* 23. (3) *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 1. (4) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni* (5) *Syn. Cantoni* .

dinati fuerint, nomina, cognomina, patriam, diem, locum, & ordinem cuique collatum in librum hujus rei cauſa unice comparatum referre non prætermittat: (1) quod idem præſtabit quoad illos ſæculares clericos, qui, impetrata a Nobis venia, ab alieno Epiſcopo promoti fuerint.

XL. Sæculares Clericos, ſive Prima tantum Tonſura, ſive minoribus Ordinibus, ſive majoribus initiandos, ſingulos certæ alicujus eccleſiæ ſervitio adſcribemus, (2) in qua Ordinis, quo quiſque inſignitus fuerit, munera obeant. Sicubi vero fungendi Ordinis miniſterio occaſio deſit, id in Metropolitana, vel Collegiatis omnino præſtabunt. (3) Addicti autem parochialium ſervitio, non ſuſceptum tantum Ordinem exerceant, ſed & ſacris inibi celebrandis inſerviendo aſſiſtant, parocho in chriſtiana catecheſi exponenda, pro cujuſque ingenii facultate, ſuppetias ferant, eidemque Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos deferenti ſubſerviant; (4) quibus ſi ſe diligentem navaſſe operam comprobaverint, faciliorem ſibi ad altiores gradus aditum recluſum iri certo ſciant. Qui vero ab eccleſiæ, cui adjuncti fuerint, Nobis inconſultis, ſervitio diſceſſerint, hi Ordinum, quos ante adepti fuerint, uſu prohibebuntur. (5) Si quos invenerimus, qui nulli certæ eccleſiæ in præteritis ordinationibus addicti fuerint, Nos eorum adſcriptionem etiam a Prædeceſſoribus noſtris omiſſam ſupplebimus. (6)

XLI. Eos autem, qui jam Sacerdotio præditi ſunt, hortamur in Domino vehementer, & obſecramus, ut vel ipſi, adſcriptionis ſuæ memores, obſequium, & famulatum ſuæ quiſque eccleſiæ impendant, parocho opem ferant,

rant,

(1) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni*. (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. & 16. de Reform.* (3) *Syn. Cantoni*. (4) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. XI. cap. 2. n. 13.* (5) *Trid. ſeſſ. 23. cap. 16. de Reform. Syn. Guiccioli*. (6) *Conc. Rom. Tit. VI. cap. II. Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. loc. cit.*

rant, & conſociatis, conjunctiſque cum eo animis in vineæ Domini cultura aſſidue laborent. Pudeat eorum morem imitari, qui ſibimet ipſis, Eccleſiæque inutiles, ſatis ſibi occupationis eſſe putant, ſi quotidie Miſſarum Sacra faciant, in quo idcirco aſſiduos, & diligentes ſe præſtant, ut quotidianam eleemoſynæ ſtipem non amittant. (1)

XLII. Ab hac tamen communi regula Exorciſtas excipimus, quibus ſive clericis, ſive ſacerdotibus energumeno ulli admovere manus interdicimus, niſi veniam a Nobis ſcripto exaratam ante obtinuerint. Hoc decreto regulares quoque affici volumus, quos propterea ab hujus Ordinis exercitio ſive in ſuis, ſive in aliorum eccleſiis, ſive intra, ſive extra cœnobium prohibitos eſſe volumus, niſi prius a Nobis ad hujus graviſſimi muneris partes obeundas approbati fuerint, & ſcriptam facultatem acceperint. (2) In exorcizandis autem energumenis, nemo aliis quibuſcunque exorciſmis, precationibus, aut ritibus utatur, quam ex Rituali Romano depromptis. (3) Quem vero præſtantiſſimo hoc miniſterio ad lucrum, quæſtumque abuti intellexerimus, eum meritis pœnis affectum ab officio perpetuo repellemus.

CAPUT XIII.

De Sacramento Matrimonii.

I. Conjugii fœdus ab ipſo jam mundi exordio in officium naturæ, & humani generis propagationem divinitus inſtitutum, adveniente poſtea temporum plenitudine,

(1) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. loc. cit.* (2) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Magno cum animi noſtri dolore 2. *Jun.* 1751. §. 34. (3) *Encyclica Clem.* XI. 21. *Jun.* 1710. *Ben.* XIV. *Conſtit.* Solicitudini noſtræ 1. *Octobr.* 1745. §. 43.

ne, non ſua modo præſentia Chriſtus Dominus honeſtavit, ſed ad Sacramenti inſuper dignitatem evexit, ut maris, fœminæque conjunctio, cœleſtis gratiæ ſanctificationem, quam idem Chriſtus Dominus ſua ipſi paſſione promeruit, aſſequuta, eo ſpectaret, ut liberos ad veri Numinis cultum, & chriſtianæ religionis incrementum procrearet, atque inſtitueret. (1)

II. Sacramenti hujus, quod magnum in Chriſto, & in Eccleſia prædicat Apoſtolus, (2) quod arctiſſimam neceſſitudinem, quæ Chriſto cum Eccleſia intercedit, aptiſſime exhibet, excellentiam, dignitatemque opportune fidelibus ingerant parochi, ut rem ſanctitatis plenam diſcant ſancte tractare, ac revereri. Adoleſcentes, puellaſque hortentur, ut non libidinis impetu, non pulchritudinis ſpecie, non divitiarum amore, non generis ſplendore, quaſi humani aliquid aggrederentur, in nuptias ferantur, ſed virtutem potius, & morum ſimilitudinem ſpectent; nihil inſcientibus, nedum invitis, & repugnantibus parentibus, aut iis, in quorum fide, & poteſtate ſunt, ſtatuant; pias ad Deum preces fundant, ut deliberantibus adſit, ne pedem eo temere inferant, unde poſtea efferre fruſtra conentur. Eorum vero morem acrius inſectentur, qui illicitis amoribus viam ſibi ad Nuptias ſternunt, qui conjugii lege devincti, extraneis ſe affectibus, unde plurima malorum ſeges, irretiri ſinunt. Viros hortentur, ut uxorem quiſque ſuam benigne, & honorifice habeant, amore, atque humanitate proſequantur, & ſanctæ converſationis exemplo ad pietatem, & conjugalem verecundiam alliciant; uxores, ut virum quæque ſuum fide, obſequio, benevolentia demereantur: viros, ut quæ uxori, & familiæ alendæ neceſſaria ſunt,

(1) *Catech. Rom. de Sacram. Matrim.* (2) *Ad Epheſ.* 5.

ſunt, ſuppeditare ſtudeant; uxores, ut domeſticæ rei curam gerant; viros, uxoreſque, ut officiorum viciſſitudine inter ſe decertantes, animorum conjunctionem, & arctiſſimam inter ſe ſocietatem tueantur. Viros demum, & uxores monebunt, ut filios, quos ſuſceperint, chriſtianæ religionis præceptis imbuant, atque a vanis ſæculi oblectamentis abductos ad ſolidioris pietatis ſtudium traducant. Hæc, & alia, quæ Matrimonii naturam, & munera attingunt, dum parochi accurate commemoraverint, omnes intelligent, quanta illud animi præparatione ineundum ſit, quantaque ſanctitate in eo verſari oporteat, ut in omnibus ſit honorabile connubium, & torus immaculatus. (1)

III. Ut primum de Matrimonio aliquo ineundo renuntiatum fuerit, parochus inquirat, an ſponſi ad maturam conjugii ætatem pervenerint, an ſponte, & libera voluntate, an vi, metu, aut minis adducti, aut auctoritate ſubacti conſenſerint, an aliquo alio canonico impedimento teneantur, an ſacro Confirmationis Chriſmate liniti fuerint, an chriſtianæ Doctrinæ elementa calleant, (2) cujus rei ab ipſo periculum fiat. At ſi quis præcipua fidei noſtræ myſteria & ſciat, & credat, cætera pariter, quæ neceſſitate præcepti ſunt addiſcenda, aliquo ſaltem rudi modo perceperit, ſed ob ingenii tarditatem, ac memoriæ imbecillitatem, poſt omnem adhibitam diligentiam, illa retinere, aut recitare non valeat, is a conjugio non arceatur. Curandum tamen, ut qui eo memoriæ defectu laborat frequenter audiat quæ ſemel craſſe didicit, ne ab ejus mente penitus elabantur. (3) Hæc, ut ſedulo exploraverit, ſi nihil vel ſacrorum canonum placitis, vel ſynodalibus noſtris

(1) *Ad Hebr.* 13. 4. (2) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Etſi minime 7. *Febr.* 1742. *Rit. Rom.* (3) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ.* l. 8. *cap.* 14. *n.* 6.

ſtris ſanctionibus obſtare videatur, tunc demum requiſitus eorum conſenſum de futuro Matrimonio, duobus adhibitis teſtibus, excipiat, ac in librum hujus rei gratia comparatum referat, anno quoque, menſe, die, nomine, cognomine tum ſponſalia ineuntium, tum teſtium, aliiſque, ut fieri aſſolet, accurate deſcriptis. Sed indecorum morem jamdiu ruri invectum, quo Matrimoniorum conciliatores ſponſorum dexteras jungere conſueverunt, ut ſponſalia, ipſis præſentibus, vel ineantur, vel confirmentur, quem poſtrema Synodus, propoſitis pœnis, inſectata eſt, (1) parochi earumdem pœnarum comminatione penitus extirpare, ac radicitus evellere conabuntur.

IV. Licet autem ſponſalia, etiam clandeſtina, dum verbis, aut ſigno aliquo ſatis utriuſque contrahentis aſſenſus enuntietur, ſuum robur obtineant; (2) attamen, ut pluribus incommodis, quæ ex hujuſmodi ſponſalibus imminent, occurratur, ac puellarum præſertim imbecillitati proſpectum ſit, quæ nuptiarum ſpe, vanis plerumque alta promiſſis, haud raro ſe in fraudem induci patiuntur, parochi in ſua quiſque parœcia introducendam conſuetudinem omni ſtudio curabunt, ut non aliter, quam coram parocho, & teſtibus ea ineantur. Sed & opportune commemorare non prætermittant, eos a culpa neutiquam immunes eſſe, qui parentibus, ſeu aliis, quorum poteſtati ſubſunt, inſciis, multoque magis adverſantibus, mutuam ſibi fidem de futuris inter eos nuptiis dare non verentur; ac hujuſmodi pacta, quamvis juramento firmata, repugnantibus parentibus, facile reſcindi poſſe; (3) neque a gravi eos flagitio excuſari, qui vel abſque animo promittendi, vel cum in-

(1) *Syn. Cantoni*. (2) *S. Cong. Conc. apud Lambertin. Inſtit. 46. n. 13.* (3) *Lambertin. Inſtit. 46. n. 16.*

intentione non ſolvendi promiſſum ſponſalia ineunt, vel iis ſemel initis, nullaque canonica reſiliendi cauſa interveniente, ea deinceps cum aliis, ſpreta promiſſi fide, contrahunt; (1) demum ſponſalia ſive coram parocho, & teſtibus, ſive clam, & remotis arbitris, inita, obligationem parere, atque hinc publicæ honeſtatis impedimentum nuptiarum fœdera dirimens oriri, niſi aliqua de cauſa irrita fuerint: (2) contra vero nullum inde jus ad conjugalis conſuetudinis familiaritatem ſponſis ipſis acquiri.

V. Quare, ſponſalibus initis, parochus gravi oratione ſponſos hortetur, ne in eadem domo cohabitent, (3) ne ſe frequentius, quam deceat, inviſant, ne nimia inter ſe conſuetudine utantur, ut hinc plurimorum occaſio malorum præciſa, & obloquendi materies ſublata ſit. Sed & parentum vigilantiam excitabit, ut non remiſſe nimis, aut incurioſe in re periculi plena ſe gerant, non procul a ſuis oculis eos una verſari ſinant; at juvenile ingenium, & hodiernam vivendi licentiam ſua ſemper præſentia, & auctoritate coerceant. Quod ſi nihilominus eo progreſſa fuerit aliquorum audacia, ut, excuſſo pudoris fræno, conjugali copulæ indulgere auſi fuerint, non delinquentes modo, ſed & eos, qui ſibi concreditam eorum curam neglexerint, gravioribus arbitrio noſtro pœnis perſequemur. (4)

VI. Denuntiationes, quæ jure Tridentini Matrimonium præcedere debent, (5) ut ſi quod canonicum impedimentum legitimæ ejus celebrationi obſtiterit, detegatur, non ante in eccleſia fiant, quam ipſimet, quorum Matrimonium denuntiandum eſt, non alii eorum nomine, quamvis conſan-

(1) *Lambertin. loco cit.* (2) *Trid. ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 3.* (3) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.* (4) *Sac. Cong. Conc. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 20.* (5) *Trid. ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.*

Digitized by Google

ſanguinei, eas petierint, vel haberi conſenſerint. Quod ſi diverſas paræcias ſponſi inhabitent, id ipſum ab utroque parocho ſervetur, ut neuter denuntiet, niſi cum alter alteri denuntiandi exceptum aſſenſum retulerit. (1) Si vero ambo, vel alteruter ex ipſis alias Matrimonio juncti fuerint, id inſuper requiritur, ut de prioris conjugis morte ejus parochi teſtimonio, in cujus paræcia ſupremum expleverit diem, legitime conſtet. At extranei, qui vel e longinquo, vel ex finitimis diœceſibus advenerint, vel loca diœceſi noſtræ circumjecta incolunt, multoque magis vagi, qui nullo domicilio gaudent; quin & ii, qui in noſtra diœceſi ortum habuerint, ſi per notabile temporis ſpatium abſfuerint, a parochis non denuntientur, niſi ante eorum ſtatus liber per probatos teſtes, ex Sacræ Congregationis Univerſalis Inquiſitionis præſcripto, in curia noſtra examinatos comprobetur, aut in aliis Epiſcopalibus curiis legali Epiſcopi documento a Nobis recognoſcendo comprobatum fuiſſe conſtiterit, ejuſque rei authenticum teſtimonium referatur. (2) Ac ne in re tanti momenti unquam erretur, tum inſtructionem ejuſdem Sacræ Congregationis Univerſalis Inquiſitionis pro examine teſtium, qui pro contrahendis Matrimoniis inducuntur, editam, tum dubia aliquot circa exterorum Matrimonia, cum reſponſionibus Sacræ Congregationis appendici ſubnectimus. (3)

VII. Eæ porro denuntiationes tribus continuis diebus feſtivis in eccleſia inter Miſſarum ſolemnia publice fiant, (4) adhibita Ritualis Romani formula italice reddita. Si ſponſi diverſarum parochiarum incolæ fuerint, in utraque Matrimonium denuntietur; (5) nec parochus Matrimonio

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (2) *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni*. (3) *In Appendice n. I.* (4) *Trid. ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 1.* (5) *Rituale Romanum*.

nio aſſiſtere præſumat, niſi ſcriptum ab altero parocho documentum acceperit, quo ſibi conſtet, hoc idem Matrimonium in ejus quoque eccleſia publicatum fuiſſe. (1) Quod ſi in alienæ diœceſis parœcia Matrimonium promulgatum fuerit, ejus rei documentum a curia noſtra recognoſcendum erit, antequam nuptiæ ineantur.

VIII. Sed ſine cauſa ſacri canones Matrimonia promulgari mandarunt, niſi fidelibus ea, quæ noverint impedimenta revelandi neceſſitas impoſita ſit. Omnibus propterea, & ſingulis ſub interminatione divini judicii præcipimus, ut impedimenta quæcunque, quæ reſciverint, ſive dirimentia, ſive impedientia, ſive certa, ſive dubia, ſive ea probari poſſint, ſive non, Nobis, aut parocho deferant. Quod ſi, ſecunda denuntiatione peracta, impedimentum quodcunque, ut præfertur, doloſe reticuerint, excommunicatione ipſo facto ſe innodatos noverint, a qua, niſi revelatione ſecuta, non abſolvantur. At ſi quis eo impietatis devenerit, ut confictum aliquod impedimentum doloſe objicere non perhorreſcat, is, præter alias a jure inflictas pœnas, aliaſque pecuniarias arbitrio noſtro inferendas, excommunicationis pariter ſententiam, non ante, quam dicta revocaverit, relaxandam, ipſo facto ſubibit. (2) Parochus vero, cui impedimentum quodcunque ſive certum, ſive dubium delatum fuerit, hac de re Nos, aut curiam noſtram certiores facere non prætermittat; atque interim, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrenda, Nobiſque reſervata, nec denuntiationes perſequi, nec Matrimonio intereſſe ullo modo audeat. (3)

IX. Ne, quod contingere haud raro ſolet, Matrimonii

(1) *Syn. Rav. Card. Aldobrandini, aliæque*. (2) *Syn. Cantoni*. (3) *Syn. Rav. Aldobrandini, & alia ſubſequentes.*

mii impedimenta reticeantur, quod fideles eorum notitiam nunquam ſibi comparaverint, Deceſſorum noſtrorum ſtatutis inhærentes, ea bis quolibet anno a parochis facili ſermone, ac methodo ad audientium ſenſum, atque intelligentiam accommodata, & appendici inſerenda (1) exponi mandamus. (2)

X. Meminerint parochi ſibi penitus facultatem eſſe interdictam vel unam tantum ex denuntiationibus remittendi. (3)

XI. Qui vero ab his diſpenſari exoptaverint, ſciant, collatam Epiſcopis hac ſuper re facultatem non a ſola diſpenſantis voluntate pendere, ſed arctis prudentiæ, diſcretique arbitrii legibus coerceri, (4) nec propterea obviam quamcunque, ac vulgarem cauſam ſufficere, ſed gravem, ac legitimam omnino afferendam eſſe. (5) Quod ſi aliquando probabilis ſuſpicio fuerit, Matrimonium, ſi denuntiationes præceſſerint, alicujus dolo, ac improbitate impediri poſſe, haud difficulter ab una, vel pluribus proclamationibus diſpenſabimus; ac etiam, ſi rei ratio poſtulabit, Matrimonium ſecreto celebrari indulgebimus, ea tamen lege, ut ſponſi a convictu, ac omni maritali conſuetudine abſtineant, donec intermiſſæ denuntiationes ſuppleantur, niſi magis expedire judicaverimus, ut hæc omnino remittantur. (6)

XII. Si infra bimeſtre, ab ultima denuntiatione metiendum, non contrahatur Matrimonium, eas omnino repeti mandamus, niſi Nobis aliter viſum fuerit. (7) Ea ipſa die, qua poſtrema proclamatio facta fuerit, licet ſolemnes

(1) *In Appendice n. II.* (2) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.* (3) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.* (4) *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* (5) *Ben. XIV. Conſtit.* Satis vobis 17. *Nov.* 1741. (6) *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* (7) *Rit. Rom., Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.*

lemnes nuptiarum prohibitiones immediate ſubſequantur, Matrimonium ne ineatur, abſque noſtra licentia, nunquam tamen concedenda, niſi parochus in præcedentibus denuntiationibus palam ſignificaverit, die, qui denuntiationum poſtremus erit, Matrimonium fore contrahendum. (1)

XIII. Parochus Matrimonio, cui legitimæ non præceſſerint denuntiationes, intereſſe præſumens, ſacrorum canonum pœnas, aut etiam arbitrio noſtro graviores dabit. (2)

XIV. Ipſis vero contrahentibus, quod Eccleſiæ mandatum in re graviſſima contempſerint, condignam pœnitentiam injungemus. (3) Teſtes demum, qui ſcienter conjugio eccleſiaſticis legibus interdicto aſſiſtentiam præſtiterint, ſevera animadverſione plectentur. (4)

XV. Quorum autem audacia eo progreſſa fuerit, ut Matrimonium contracturi, nulla ipſius denuntiatione præmiſſa, parochum adeant, vel doloſe arceſſant, & coram eo, licet invito, & reluctante, ac duobus teſtibus conjugium inire non vereantur, in eos ſtatim ſeparari juſſos, ſervata judicii forma, inquiremus. Sed & parocho pro viribus adnitendum, ut hujuſmodi Matrimonia fieri prohibeat, ac iiſdem præſentiam exhibendi occaſionem a ſe avertat. Quod ſi nihilominus eum aliquando a contrahentibus circumveniri, ac deprehendi contigerit, illos ſerio monebit, Matrimonia hujuſmodi a ſacris canonibus improbari, ſibi legem indictam eſſe, eoſdem contrahentes, ſi quod deliberarunt, reipſa perfecerint, ad ſuperiorem deferendi, præterea ſe animo, & voluntate a præſtanda eorum nuptiis præſentia longe abhorrere; quin tamen neceſſe ſit, iis obfirmato animo in propoſito, ſuſceptoque conſilio permanenti-

(1) *Syn. Aldobrandini*, *Guiccioli*, *Cantoni*. (2) *In III. Conc. Gen. Lateran. relat. in cap.* Cum inhibitio *de clandeſtina deſponſ. apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 12. *cap.* 6. *n.* 2. (3) *In eod. cit. cap.* (4) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. loc. cit.*

tibus, ac verba ad mutuum conſenſum exprimendum coram eo proferentibus, aures obturare, velare faciem, aliaque hujus generis facere, quibus aliquando contrahentium animi ſcrupulis torqueri poſſent. (1)

XVI. Denuntiationibus ab utroque contrahentium parocho rite expletis, vel impetrata ab his legitima diſpenſatione, aliiſque pro perſonarum, & circumſtantiarum qualitate præhabitis, ſi nullum detectum fuerit impedimentum, quominus valide, & licite iniri poſſit, Matrimonium celebretur. Sponſos tamen hortamur, ut, antequam contrahant, vel triduo ſaltem antequam coeant, peccata ſua confiteantur, & ad ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum pie accedant. (2)

XVII. Matrimonia aliter quam præſente parocho, vel alio ſacerdote de ipſius parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus contracta, nulla, atque irrita eſſe Tridentini Patres ſtatuerunt. (3) Proprius autem parochus, qui adeſſe debet, is erit, in cujus parochia Matrimonium celebrabitur ſive viri, ſive mulieris. (4) At quoties ſponſi ad duas paræcias pertineant, in paræcia Sponſæ, ex recepta conſuetudine, Matrimonio jungantur. Nec vero ſatis eſt, ſi parochus originis adſtet, ſed parochi domicilii præſentia omnino requiritur; (5) nec ſufficit Matrimonium coram rurali parocho celebrari, quando rus itur recreationis cauſa, vel pro ruſticanis negotiis. (6) Quod ſi quis duplex habeat domicilium, ita ut utrobique æquali temporis ſpatio inhabitare videatur, eum a parocho illius

lo-

(1) *Ben. xiv. de Syn. Diœceſ. l. 13. cap. 23. n. 10.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.* (3) *Trid. ſeſſ. 24. cap. 1. de Reform. Matrim.* (4) *Rit. Rom., Sac. Cong. Conc. 1573. apud Lambertin. Inſtit. 33. n. 5.* (5) *Sac. Cong. Conc.* in Mutinen. 28. *Nov. 1702. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 6.* (6) *Sac. Cong. Conc. 1. Decembr. 1640. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 7.*

loci, in quo occaſione celebrandi Matrimonii inhabitat, rite conjungi poſſe ſentiunt plures non obſcuri nominis theologi, & canoniſtæ. (1) Si quis a loco ſuæ habitationis abſque animo illam relinquendi diſcedens, ad locum alterius parochiæ, ſolo animo Matrimonium celebrandi, non autem domicilium acquirendi ſeſe tranſtulerit, ibique coram illius loci parocho Matrimonium contraxerit, is irritum feciſſe actum dicendus erit. (2) Si vero antiquum deſerens domicilium, novum ſubinde in loco, ad quem ineundi Matrimonii cauſa pergit, ſibi elegerit, legitimum connubium erit. (3)

XVIII. Qui, relicto domicilio, iter faciunt quærentes quo ſe conferant, atque ubi conſiſtant, ut vere vagari, & incertas habere ſedes dici poſſint, quamvis coram parocho loci, in quo verſantur, validum inire conjugium queant, parochis tamen inhibemus, ne hujus generis hominum Matrimoniis interſint, niſi, re ante ſedulo inveſtigata, & ad curiam noſtram delata, cæteriſque præmiſſis, quæ, cum de denuntiandis eorum Matrimoniis ſuperius ageremus, præmittenda ſtatuimus, opportunam ad hoc licentiam impetraverint. (4)

XIX. Qui docendi, ſtudiis vacandi, aliquam artem exercendi, vel etiam famulandi gratia ad locum aliquem commigraverint, ibique per aliquod temporis ſpatium commorati fuerint, ut quaſi domicilium nacti ſint, rite coram parocho loci Matrimonio copulantur. (5)

XX. Carceribus perpetuo, vel ad præfinitum aliquod tempus in criminum vindictam mancipati, coram parocho, in-

Z

(1) *Apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 6.* (2) *S. Cong. Conc. 22. Febr. 1631., & 13. Jul. 1725. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 8.* (3) *S. Cong. Conc. 22. Febr. 1723. apud Lambertin. Inſtit. cit. n. 9.* (4) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 7.* (5) *Lambertin. Inſtit. cit. n. 11. S. Cong. Conc. apud eund. loc. cit.*

intra cujus paræciæ fines carceres ſitæ ſunt, Matrimonium contrahant. In vincula vero loco cuſtodiæ conjecti, coram parocho proprii domicilii jugali vinculo ſociandi ſunt; (1) re tamen ad forum noſtrum ante delata, ut prævio examine conſtare poſſit, an hi alibi domicilium habeant, an ulla ſubſit cauſa a præſcripto recedendi. Quam quidem delationem tum quoque præmitti volumus, cum de captivo aliquo extraneo res erit, qui noſtræ civitatis, vel diœceſis fœminam ducere velit. (2)

XXI. Quoties ab infirmis in mortis periculo conſtitutis Matrimonia ineunda ſint, ſi rem eo adductam eſſe cognoverit parochus, ut nec ſtatum liberum probandi, nec adeundi Nos tempus ſupereſſe videatur, iis adeſſe non repugnabit; ea tamen lege, ut ſi infirmi convaluerint, non una ſimul cum uxoribus vivere, multoque minus corpora commiſcere audeant, donec omnia, quæ a Sacra, & Suprema Inquiſitionis Congregatione præſcripta ſunt, perficiantur. At ſi hæc Matrimonia in hoſpitalibus celebranda ſint, ſi temporis, & morbi ratio patiatur, Nos conſulant capellani, ut quid facto opus fuerit, decernamus: ſi minus, ipſi auctoritate noſtra hujuſmodi Matrimoniis aſſiſtant, indicta tamen lege, quam nuper commemoravimus.

XXII. Puellarum expoſitarum matrimoniis aſſiſtat parochus, intra cujus paræciæ fines hoſpitale ſitum eſt. (3) Earum vero, quæ in Orphanotrophiis commorantur, Matrimonia, a parocho, intra cujus paræciæ ambitum dicta Orphanotrophia exiſtunt, celebrentur, niſi in urbe, aut ſuburbiis domicilium paternum, vel maternum, vel fraternum ha-

(1) *S. Cong. Conc. in Farfen. 26. Maji 1707. apud eund. Inſtit. cit. n. 12.* (2) *Lambertin. Inſtit. cit. n. 12.* (3) *S. Cong. Conc. pluries, & præſertim in* Sueſſana *7. Sept. 1697., Decret. S. Viſit. 1. Jul. 1780.*

habeant. Quod idem de puellis in monialium monaſteriis educationis gratia verſantibus ſervari volumus.

XXIII. Famuli autem, & ancillæ in ſuorum dominorum domibus commorantes, ſi domicilium vel paternum, vel maternum, vel fraternum in alia paræcia habeant, coram illius loci parocho Matrimonium contrahant: ſin vero, coram ejus loci parocho in quo commorantur. (1)

XXIV. Matrimonia in eccleſia parochiali, non in oratoriis ſive privatis, ſive publicis, multoque minus domi, mane, non autem de prandio celebrentur, niſi ex legitima cauſa aliter fieri conceſſerimus. (2) Qui autem domi, vel pomeridianis horis, noſtro accedente aſſenſu, juncti fuerint, hi ad eccleſiam poſtmodum, nuptialem benedictionem accipiendi gratia, niſi feriati temporis ratio id vetet, accedant.

XXV. Matrimonia feriatis temporibus abſque ſolemnitatibus inita ex jure communi valida, & licita ſunt: illicita tamen ex recepta hujus diœceſeos conſuetudine, quam ſervari omnino volumus, ſi non impetrata a Nobis venia, celebrentur. (3) Qui vero conceſſu noſtro prædictis temporibus ſacro hoc nexu copulatus fuerit, huic privatim ſponſam in domum ſuam deducere, (4) ac liberis etiam operam dare permittitur. (5) At ſolemnis ejuſdem ſponſæ traductio cum plauſu, comitatu, & ſtrepitu, convivia pariter, choreæ, cantus, & quodvis aliud feſtivum lætitiæ ſignum penitus interdicitur. (6) Quin & Eccleſiæ ſolemnitates per id temporis inhibentur. Harum porro ſolemnitatum nomine, non Matrimonii in facie Eccleſiæ publica celebratio, non annuli benedictio, ejuſdemque traditio, (7) ſed

(1) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 17. (2) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (3) *Lambertin. Inſtit.* 80. *n.* 14. (4) *S. Cong. Conc.* 10. *Jun.* 1684. *apud Lambertin. Inſtit. cit. n.* 21. (5) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 17. *&* *ſeq.* (6) *Rit. Rom.* (7) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 7.

ſed benedictiones, & orationes, quæ in propria pro ſponſo, & ſponſa Miſſa continentur, potiſſimum ſignificantur. Quo igitur tempore nuptiarum ſolemnia prohibentur, parochi ab eadem Miſſa celebranda prorſus abſtinebunt. At ſi ſponſi Sacro intereſſe velint, in eoque, ut decet, Euchariſticum Cibum ſumere, Miſſa currentis diei recitabitur, ſed orationes, & benedictiones pro ſponſo, & ſponſa omnino prætermittantur. (1) Quiſquis autem feriatis temporibus vel nuptias ſine noſtra licentia inire, vel eaſdem benedicere, vel inconceſſas ſolemnitates, ut præfertur, agere præſumpſerit, Nos audaciæ ſuæ ſeveros animadverſores experietur. Nubentibus vero extra vetita tempora ſolemnem benedictionem, niſi quid obſtiterit, impertiri mandamus. Si nuptiæ in diem dominicum, vel alium de præcepto diem feſtum incidant, Miſſam ejus diei propriam parochus leget, cum prima oratione, aliiſque peculiaribus precationibus, quæ in Miſſa pro ſponſo, & ſponſa habentur. (2) Quod idem quoque ſervabitur, ſi Matrimonium ea die celebrandum ſit, in qua fiat officium ritus duplicis primæ, vel ſecundæ claſſis. (3)

XXVI. Quandonam autem hujuſmodi benedictio adhibenda, quando omittenda, quibus, a quo elargienda, jam ſuperius ediximus, cum de Sacris Benedictionibus diſſeruimus. (4)

XXVII. At quamvis nuptiarum celebritates permiſſæ ſint, nihil tamen procax, nihil inverecundum, nihil turpe, aut indecorum, quod a rei ſanctitate abhorreat, admittatur. Procul hinc tumultus, ſtrepitus, & clamores, qui ſponſis ex viduitate ad alia vota tranſeuntibus, alicubi

(1) *Lambertin. Inſtit. cit. n. 7. & ſeq.* (2) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 10. (3) *Ex noviſſimo Decreto S. R.* C. Urbis, & Orbis 20. *Decembr.* 1783. (4) De Benedictionibus *Cap. XII. Part. I.*

bi fieri conſuevere. (1) Hunc morem omni ſtudio compeſcere, noſtram etiam, ubi opus fuerit, opem implorantes, parochi conabuntur, curabuntque, ut, qua decet modeſtia, & honeſtate omnia peragantur. (2)

XXVIII. Si quid vani, & ſuperſtitioſi ritus, præſertim apud ruricolas inoleviſſe ſenſerint, abolere pro viribus ſtudeant parochi. Potiſſimum vero eorum animos a vulgari proverbio liberare ſtudeant, quo menſe majo nubentibus mali aliquid portendi autumant; doceantque felices nuptiarum exitus a religioſa animi præparatione, qua rem adeo ſanctam aggrediuntur, potiſſimum pendere. (3)

XXIX. Parochi per ſe, legitimo impedimento ceſſante, non per alium & Matrimoniis aſſiſtant, & ſponſos benedicant, (4) ritus, & cæremonias a Rituali Romano præſcriptas religioſe ſervantes.

XXX. Hiſce peractis, in Matrimoniorum librum conjugum, & teſtium nomina, annum, diem, locum initi conjugii manu ſua deſcribant parochi, adhibita formula ab eodem Rituali Romano tradita. Quod ſi alius ſacerdos a parocho, vel a Nobis delegandus ſponſos Matrimonio conjunxerit, is verbo aut ſcripto rem a ſe geſtam, cæteraque ſuperius recenſita eidem parocho, cujus manu, ſervata ejuſdem Ritualis Romani formula, in dictum librum referantur, ſtatim denuntiabit. (5) Demum documenta ſingula ſive ad ſponſum, ſive ad ſponſam ſpectantia, parochus, qui Matrimonii celebrationi adſuerit, in eccleſiæ ſuæ archivio diligentiſſime aſſervabit.

XXXI. Quanquam perpetua piæ Matris Eccleſiæ cura fuerit, ut Matrimonii Sacramentum publice, & palam a fide-

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 10. *de Reform. Matrim.* (3) *Lambertin. Inſtit. cit. n.* 23. (4) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere*. (5) *Rit. Rom.*, *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere*, *aliaque Diœceſ. Syn.*

fidelibus celebraretur, caſus tamen certe non deſunt, in quibus Matrimonia *conſcientiæ* vulgo nuncupata, prævia diſpenſatione a publicis denuntiationibus, coram parocho, vel alio ſacerdote ad hoc legitime delegato, ac duobus familiariſſimis teſtibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriatur, iniri permiſſum eſt. (1) At ſi mentis aciem ad ea incommoda, quæ ex hujuſmodi conjugiis oriri ſolent, convertamus, maximam Nobis cautionem hac in re ſane graviſſima adhibendam eſſe intelligimus. Nunquam igitur ſecreti Matrimonii ineundi licentiam concedemus, niſi prius perſonarum qualitatis, gradus, conditionis habita ratione, præmiſſaque de earum ſtatu libero, per indubia documenta diligenti inquiſitione. Sive autem alterutrius conjugis parochum, ſive alium, gravi impellente cauſa, ejus loco ſacerdotem obeundi muneris peritia commendatum, qui hujuſmodi Matrimoniis aſſiſtat, elegerimus, ab his contrahentes, antequam Matrimonium ineatur, clare, & aperte moneri volumus, ea lege, & pacto ſecreti Matrimonii celebrationem illis permiſſam eſſe, ut ſobolem inde procreandam non modo Nobis renuntient, & ſacro Baptiſmatis lavacro quamprimum regenerandam curent, prout jam ſuperius ediximus, (2) verum etiam ut legitimam agnoſcant, chriſtianis inſtitutis, boniſque moribus imbuant, & temporalia bona a majoribus in ſupremis tabulis relicta, vel provida legum auctoritate delata ei nunquam ſubtrahi patiantur. Celebrato autem Matrimonio, illius ſcriptum documentum, cum nota loci, & temporis, teſtiumque, qui celebrationi interfuerint, ab eo, coram quo initum eſt, Nobis incunctanter exhibeatur, dehinc in libro pro ſecretis Ma-

(1) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 13. cap. 23. n. 13.* (2) *Cap. II. de Baptiſmo Part. II.*

Matrimoniis unice comparato , ab eo , quem delegaverimus , ad perpetuam geſtæ rei memoriam , accurate exſcribendum , autographo in ſecretiori loco aſſervato . Hujuſmodi vero librum clauſum , & ſigillis obſignatum in cancellaria noſtra caute cuſtodiri mandamus , eo tantum caſu , noſtra accedente licentia , reſignandum , aperiendumque , quo alia id genus Matrimonia deſcribi oporteat , vel id juſtitiæ adminiſtrandæ neceſſitas poſtulet , vel demum ab eo authenticum aliquod documentum is , cujus vere intereſt , expoſcat , cui probationum aliunde petendarum copia non ſuppetat . Hæc , & alia , quæ in Apoſtolicis Benedicti XIV. literis latius continentur , (1) tum ab iis , qui Matrimonia *conſcientiæ* inire poſtulabunt , tum ab illis , qui iis ineundis operam quomodocunque ſuam præſtabunt , ſedulo perpendi , & adamuſſim perfici volumus ; ita enim fiet , ut polygamiæ periculum avertatur , ſuſceptique liberi , non incertis fortunæ caſibus objecti , pie , & liberaliter parentum cura inſtituantur , & avitæ hæreditatis poſſeſſionem , cujus alioqui jacturam facile ſubirent , aſſequantur .

PARS

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Satis Vobis 27. *Nov.* 1741.



Aedificavi Templum hoc.

PARS TERTIA

CAPUT I.

De ſacroſanctis Eccleſiis, & publicis Oratoriis,

I. QUI nullis definiri terminis, nulla locorum regione circumſcribi, nullis cœlorum, aut terrarum ſpatiis contineri poteſt, Templa, velut peculiare ſui domicilium, ac tabernaculum cum hominibus ſibi elegit, ſanctificavitque Deus, in quibus rite orantes libentius exciperet, ſontes in ſuam gratiam reſtitueret, ab ærumnis, quibus præſens hæc vita premitur, benigne eriperet, ac donorum omnium amplitudine cumularet. (1) Quamvis autem hinc facile omnes intel-

(1) *Paralip.* 2. *cap.* 7.

Digitized by Google

telligant quantopere horum Templorum, quæ domus Dei ſunt, & porta Cœli, decorem diligere teneantur, attamen non abs re fore putamus, ſi quæ Nobis vel ad augendum eorum ſplendorem, & cultum, vel procaces illorum violatores cohibendos opportuna viſa fuerint, pro noſtra conſuetudine edixerimus.

II. Nemo igitur Eccleſiam, publicum Oratorium (1), vel etiam altare in Eccleſia conſecrata ex integro conſtruere, ſeu ædificare præſumat, niſi noſtrum antea conſenſum obtinuerit: quem profecto, gravi ſuadente cauſa, congrua dote pro illius reparatione, cultu, & miniſtrorum, vel cuſtodum ſtipendiis conſtituta, & ſalvis aliarum Eccleſiarum, præſertim vero parochialium, juribus, non denegabimus. (2) Eccleſiæ autem ædificandæ manus non admoveatur, antequam judicio noſtro locus, & ambitus deſignetur, & per Nos, vel alium, quem auctoritate noſtra delegaverimus, ſacerdotem, crux in loco figatur, & primarius lapis imponatur. (3)

III. Nemo item exſtructas Eccleſias, publica Oratoria, vel altaria in Eccleſiis conſecratis demoliri, aut quicquam gravis momenti in illis innovare, Nobis inconſultis, audeat. (4)

IV. Eccleſiæ quæcunque per diœceſim noſtram exiſtentes opportune reficiantur, & inſtaurentur vel ſuis ſumptibus, ſi reditus huic uſui addictos habeant, ſin minus ære proprio rectorum, vel aliorum quorumcunque, qui jure, vel conſuetudine teneantur. Levibus vitiis ſine ulla mora occurratur, ne neglecta largiore poſtea ſumptu reparanda ſint. Si vero Eccleſias ipſas temporum injuria corruere, &

(1) *Cap.* Nemo 9. *diſt.* 1. *de conſecrat.* (2) *Cap.* Quicunque 44. *cauſ.* 16. *quæſt.* 1. *Cap.* Intelleximus 1. *de novi operis nunciat.* (3) *Rit. Rom.* De Benedict. (4) *Cap.* Nulli 3. *cauſ.* 12. *q.* 2.

collabi penitus contigerit, eorum erit denuo a fundamentis excitare, quorum ſumptibus forent inſtaurandæ. Quod ſi tanta egeſtate laboretur, ut nulla novæ molitionis ſpes relicta eſſe videatur, non continuo tamen dirutas Eccleſias profanare, earumque rudera, ligna, atque ornamenta in alios uſus vertere, aut alio aſportare, Nobis non annuentibus, quiſpiam audeat, ſecus damnum, quod illatum fuerit, compenſare, aliaſque ſacrilegii ſui pœnas arbitrio noſtro dare teneatur. (1)

V. Eccleſiæ, & Oratoria inpoſterum excitanda ejus ſint formæ, ut a profanis ædificiis facile ſecernantur. In omnium autem culmine crux conſpicua ponatur, ut eo vel maxime indicio tanquam loca Deo ſacra protinus agnoſci, & religioſe coli a tranſeuntibus poſſint. (2) Nullum Eccleſiis ædificium, præter rectoris domum, incumbat; nullus per feneſtras ex aliorum ædibus, præterquam e rectoris domo, in Eccleſias conſpectus ſit, neque ullus ad eaſdem aditus pateat, abſque Sedis Apoſtolicæ facultate. (3)

VI. Abſint ab Eccleſiis tabernæ, lanienæ, ſtabula tum equorum, tum aliorum quorumcunque animalium, Judæorum familiæ, impudicarum fœminarum domicilia, & hujuſmodi alia. Quin nec ulla ſuper Eccleſias, aut Oratoria vel hominum uſui, vel columbis alendis cubicula exſtruantur. (4) Procul ab iis immunda quæque, ac ſordida, nec quicquam indecorum, quod loci ſanctitatem dedeceat, earum parietibus admittatur. Nullum profanæ ſupellectilis genus in Eccleſiis, aut Oratoriis aſſervetur: non fruges, legu-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 7. & ſeq. de Reform. ſeſſ. 7. cap. 8. de Reform. Lambertin. Inſtit.* 100. *Cap.* Mancipia 3. *de rer. permut. Cap.* Ligna 38. *Can.* Veſtimenta 42. *de conſecrat. diſt.* 1. (2) *Syn. Criſpi.* (3) *S. Cong. Conc. & Ep. & Reg. apud Criſpin. Viſit. Paſtor. Part. II.* §. 7. *n.* 37. (4) *Syn. Rav. Card. Aldobrandini, Ferretti, Criſpi, Guiccioli.*

gumina, fœnum, rudera, ligna, & hujuſmodi alia eo inferantur, (1) ſub pœna decem ſcutatorum locis piis applicandorum quaque vice incurrenda.

VII. Altaria per Eccleſias erecta ab eorum rectoribus, patronis, vel aliis, queis eorum cura incumbit, opportune inſtaurentur, ac ſacra ſupellectile inſtruantur. (2) Singulis Sancti illius, cujus nomine nuncupantur, imago ſive picta, ſive ſculpta impoſita ſit, quam velari, quoad fieri poteſt, optamus, ne apertiori aere, ac pulvere deteratur: ſingula ſuum rite conſecratum medium lapidem tantæ latitudinis, ut calicem, & hoſtiam commode capiat, menſæ adeo inſertum, ut ipſi aliquantiſper ſupereminens tactu dignoſci queat, (3) ac cerata tela contectum, nec non tres lineas mappas, a Nobis, vel ab eo, quem delegaverimus, benedictas, menſam contegentes habeant. Tabellæ, & candelabra non deſint, atque hæc non fracta, aut vetuſtate ſqualentia, ſed, ſi minus auro, vel argento ob Eccleſiæ egeſtatem obducta, coloribus ſaltem, ut ne dedeceat, oblita. Inter candelabra crux cum Chriſti Domini ab ea pendentis imagine ære, aut ligno inſculpta conſtituatur, non quidem adeo exigua, ut ipſius ſacerdotis ſacrificantis, & aſſiſtentis populi oculos pene effugiat, ſed *prælta*, *ita ut pes crucis æquet altitudinem vicinorum candelabrorum*, *& crux ipſa tota candelabris ſuperemineat*. (4) Hæc porro crux ſicut in altari omnino ſtatuenda eſt, licet exiguus crucifixus tabernaculo de more infixus ſit, ita minime requiritur quoties in majori tabula Salvatoris cruci affixi imago depicta, vel ſculpta, primum præ cæteris, quæ in ea exprimuntur, locum obtineat. Conſuetudinem vero crucem ab altaribus au-

(1) *Cap.* Relinqui 2. *de cuſtod. Euchariſt.* (2) *S. Cong. Conc.* 24. *Maji* 1657. *in Narnien.* (3) *S. Car. Borr. Prov. IV. apud Criſpin. Viſit. Paſtor. P. II.* §. 6. *n.* 8. (4) *Cærem. Epiſc. l.* 1. *cap.* 12. *n.* 11.

auferendi, ut ejus loco Sanctorum imagines collocentur, quibus exigua Chriſti cruci ſuffixi effigies diligenti oculo vix occurrens ſuperadditur, penitus improbamus; non eo quidem conſilio, ut has Sanctorum imagines auferamus, & fidelium venerationi ſubducamus, ſed quod a ſacris ritibus alienum ſit ad hujuſmodi altaria rem divinam facere, niſi Crucifixi imago a ſacerdote, & populo commode intuenda inter candelabra promineat. (1)

VIII. Hæc, & alia quæcunque ad Miſſæ Sacrificium rite peragendum requiſita nullo modo deſint. Altaribus, niſi Eccleſiæ fornice protegantur, umbella deſuper immineat. (2) Sacris vero expletis, omnibus indiſcriminatim altaribus ſtragulum inducatur, ne pulvere, & ſordibus inquinentur. (3)

IX. Eccleſiarum rectores, alioſque, quocunque nomine nuncupentur, in Domino hortamur, ut Eccleſiæ quiſque ſuæ cultui, & nitori ſtudeant, eam exhibentes ſicut ſponſam ornatam viro ſuo. Parietes, quoties opus fuerit, dealbandos, pavimentum reficiendum, ac octavo ſaltem quoque die diligenter converrendum curabunt, nec quicquam pulvere, ſordibuſque obſoleſcere unquam patientur. Vaſa ſacra, in quibus Sanctiſſima Euchariſtia vel conficitur, vel aſſervatur, ſacræ veſtes divinis myſteriis obeundis requiſitæ, libri ſacris uſibus inſervientes, & multiplicis generis linea ſupellex, nullibi deſiderentur. Calices, & pixides, ſi minus argenteæ propter Eccleſiæ inopiam, cratere ſaltem argenteo auro intrinſecus oblinito non careant: patenæ item, qua parte Sacræ Hoſtiæ ſupponuntur, obducto auro jugiter niteſcant. Sacram hanc Templorum, ſacerdotumque ſupellecti-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Accepimus 16. *Jul.* 1746. (2) *Syn. Cantoni*. (3) *Syn. Guiccioli*.

Digitized by Google

lectilem, ſcimus equidem non ubique divitem, ac pretioſam haberi poſſe; at mundam ſaltem, puram, & nitidam eſſe volumus, quod cum paupertate etiam bene convenire, & componi poteſt. (1) His licet inſtructæ Eccleſiæ ſint, non tamen in iis Sacrum fieri, aut divina celebrari officia poterunt, niſi ante ſolemni ritu inauguratæ, vel ſaltem benedictæ fuerint. (2)

X. Sepulcra, quorum orificia tribus ſaltem cubitis ab altari, ſeu altaris pradella diſtare volumus, (3) lapideo operculo apte obſtruantur, ut pavimento penitus exæquentur, nihilque tetri odoris inde emanet. Nova autem ſepulcra in Eccleſiis juriſdictioni noſtræ ſubjectis non ædificentur, niſi noſtra ante impetrata venia fuerit. Sed neque pro humandis cadaveribus pavimentum effodere ulli liceat, ſine noſtra licentia, nemini unquam concedenda, niſi ea lege, ut pavimentum ipſum a defuncti hæredibus apte reficiatur, inſtaureturque, ne quid inde damni Eccleſiæ ſubeant. Quæ vero ea occaſione ſtips conferri conſuevit, taxationem a Nobis in appendice permiſſam non excedat. (4) Sepulcrorum lapidibus nulla crux, aut ſacra imago ſculpatur. Sed ne inſcriptiones quidem, aut epitaphia defuncti res geſtas, aut virtutes referentia in iis, vel quacunque alia Eccleſiæ parte, niſi ante a Nobis approbata fuerint, apponantur. Eccleſiarum autem rectores, qui Nobis inconſultis id fieri permiſerint, pœnas dabunt. (5)

XI. Exedræ ad excipiendas confeſſiones, pro confeſſariorum numero, & fidelium frequentia multiplicentur. (6) Hæc in locis patentibus, atque expoſitis, (7) unde confeſ-

(1) *Ben. XIV. Conſtit.* Annus qui 4. *Martii* 1749. (2) *Cap.* Hic ergo 14. *Cap.* Nullus 15. *de conſecrat. diſt.* 1. (3) *S. Car. Borr. apud Criſpin. Viſit. Paſtor. P. II.* §. 7. *n.* 29. (4) *In Appendice Taxa Funerum*. (5) *Criſpin. Viſit. Paſtor. P. II.* §. 7. *n.* 32. (6) *Criſpin. Viſit. Paſtor. P. II.* §. 7. *n.* 2. (7) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere*.

feſſarii, & pœnitentes conſpici poſſint, erigantur. Tabulis a tergo, & ab utroque latere ſeptæ, a fronte tantum pateant, ut tamen volubili oſtiolo occludantur, ne ibi, confeſſario abſente, *laici*, *vagique*, *& ſordidi homines ſedeant*, *otioſeve dormitent*. (1) His affigantur Bulla in Cœna Domini, & tabella caſus, & cenſuras Nobis reſervatas exhibens, quod etiam in ſuis Eccleſiis a regularibus præſtandum erit, (2) nec non aliqua Crucifixi imago, qnam defixis oculis intuentes, ad flagitiorum ſuorum deteſtationem magis magiſque pœnitentes excitentur. Feneſtellis, unde pœnitentes audiuntur, laminæ ferreæ firmiter adhæreant, quæ anguſtis foraminibus ad ciceris menſuram (3) pertundantur, ut voce magis, quam oculis permeari poſſint. Sedes autem confeſſionales, quæ una tantum tabula conſtant, ab Eccleſiis, & Oratoriis amoveri mandamus, earumque uſum prorſus interdicimus.

XII. Si Eccleſia fontis baptiſmalis jure gaudeat, is in ſacello ad hoc conſtructo, ſeu alio in loco cancellis circumſepto, ſera, vectibuſque munito conſtituatur. Vas marmoreum, vel ex ſolido lapide ſculptoris manu affabre elaboratum, & aquæ benedictæ aſſervandæ aptum ibi extet. Huic ligneum operimentum, quod ciborium appellari conſuevit, alte elevatum, peſſulo, clavique obditum, ac ſerico, vel lineo conopæo contectum hæreat. In interiori hujus operimenti parte unus, vel plures loculi exſtruantur, in quibus ſtola, Rituale Romanum, vaſcula Oleorum Chriſmatis, & Catechumenorum argento, vel ſtanno conflata, & perſpicuis literis inter ſe diſtincta; (4) cochleare item ad

(1) *S. Car. Borr. apud Criſpin. Viſit. Paſtor. P. II. §. 7. n. 7.* (2) *S. Cong. Conc. in* Sublacenſi *Juriſdictionis* 10. *Octobr.* 1676. *apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 5. *cap.* 5. *n.* 7. (3) *S. Car. Borr. Inſtruct. fabr. Eccleſiæ.* (4) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.*

Digitized by Google

ad effundendam aquam, catillus, qui illam ex infantis capite defluentem excipiat, ſalillum cum ſale benedicto, ſudariola, & goſsypium, queis ablutus, & inunctus abſtergatur, nec non alia quæcunque a Rituali Romano enumerata, munda omnia, pura, & nitida ſacerdoti baptizaturo parata recondantur, & aſſerventur, ut nec ſurripi, nec tangi a laicis quoquo modo poſſint. In dicto autem ſacello aliqua Divi Joannis Baptiſtæ Chriſtum Dominum baptizantis decens imago depicta nunquam deſideretur.

XIII. Quibus in Eccleſiis Infirmorum Oleum ſervandum eſt, feneſtella hujus rei gratia ad cornu evangelii aræ majoris intus decenter amicta, ſuo cum oſtiolo ſera, clavique munito habeatur. Si Eccleſia Sanctorum reliquiis decoretur, non abſimilis loculus ad cornu epiſtolæ adſit, in quo ipſæ recondantur, niſi his aſſervandis decens in ſacriſtia armarium paratum ſit.

XIV. Sacrarium in Eccleſiis, vel in ſacriſtiis præſto ſit, ſera, clavique occluſum, in quod aqua, aliaque de more projiciantur.

XV. Ad Eccleſiæ cujuſque fores vas lapideum poſitum ſit, in quo aqua benedicta munda, & recens, qua ingredientes ſe ipſos aſpergant, nunquam deſit.

XVI. Scamna, quæ in Eccleſiis retineri conſueverunt, ne ita prope altaria locentur, ut celebranti impedimento ſint, (1) multoque minus laicorum ſedes intra presbyterium inſerantur. (2) Nova ſcamna, Nobis non approbantibus, in Eccleſias non invehantur, invecta auferantur. Qui vero aut noſtro, aut Deceſſorum noſtrorum præeunte conſenſu, ea intulerint, videant, ne ſibi proprietatem loci vindicent, ſciantque ea nutu, & arbitrio noſtro ſemper amo-

(1) *S. Cong. Ep. & Reg. 21. Nov. 1645.* (2) *S. Cong. Rit. 24. Jan. 1665.*

Digitized by Google

amoveri poſſe. (1) Quæ autem fracta, atque obſoleta adeo fuerint, ut loci dignitatem dedeceant, ea protinus amoveri mandamus.

XVII. Imagines Chriſti Domini, Deiparæ Virginis, aliorumque Sanctorum, quibus altaria, & Templorum parietes ornantur, non ante in ſacras ædes inferantur, quam a Nobis approbatæ, & conſueto ritu fuerint benedictæ. Profanæ vero imagines, ac etiam patronorum, vel benefactorum effigies omnino ab Eccleſiis, ut ſuo loco jam diximus, (2) ejiciantur, vel inductis coloribus deleantur.

XVIII. Domum ſuam domum orationis vocavit Dominus. (3) In ea omnis qui petit accipit, qui quærit invenit, & pulſanti aperietur. Adeamus ergo cum fiducia ad thronum ejus; at ſimul meminerimus quam graviter in eos animadverterit, qui Templum ejus ſacrilego temerare auſu præſumpſerant. (4) Omnes itaque Eccleſiarum præſides vehementer hortamur, ut omnem a Templis abominationem eliminare ſtudeant: cæteros autem monemus, ne quid ab hujus majeſtate, & ſanctitate loci alienum committere audeant. Mares in Eccleſiam non ingrediantur, niſi eo habitu, quo in publicum forum prodire minime vererentur. (5) In ea aperto ſtent capite: non pileo, non bireto, non reticulo, niſi tuendæ valetudinis cauſa, utantur. Arma cujusvis generis, præſertim ignigena in Eccleſiam, quæ locus pacis eſt, ejuſque porticus, cæmeteria, aliaque loca, quæ *ſacrati* nuncupantur, ne inferant, excepto gladio, quo viri nobiles, aliique ſuccingi ſolent, (6) ſub pœna ſcutatorum decem ſingulis vicibus incurrenda, & locorum piorum

(1) *S. Cong. Ep. in* Januen. 28. *Jun.* 1583. *apud Criſpin. Viſit. Paſtor. P. II.* §. 7. *n.* 20. *Syn. Cantoni*. (2) *Cap. VIII.* De Sacris Imaginibus *Parte I. n.* 26. (3) *Matth.* 21. (4) *Joan.* 2. (5) *Syn. Fulginat. Baptiſtelli*. (6) *Lambertin. Inſtit.* 99. *S. Car. Borr. Prov. I. Syn. Diœceſ. Ravennat. fere omnes.*

Digitized by Google

rum commodo ceſſura, aliiſque arbitrio noſtro. Fœminæ non niſi velato, & conteсto capite propter angelos, qui ſemper in Templo præſto ſunt, & ſacris altaribus adſtant, neque alio, quam humili, & ſimplici ornatu Eccleſiam ingrediantur. Non igitur vano corporis cultu, non facie fuco, ac pigmentis illita, non crinibus exquiſita arte compoſitis, non aperti pectoris oſtentatione ſibi atque aliis plus æquo placere ſtudeant. (1) Procul ab Eccleſiis abſint virorum, mulierumque inania, multoque magis fœda colloquia; joci, ſcurrilitates, ſtudioſæ oculorum converſiones, & quæcunque profani amoris indicia. Nemo per Eccleſias vagari, obſtrepere, negotiis ſæcularibus vacare, aquæ luſtralis vaſis inniti, altaribus incumbere, in confeſſionalibus aſſidere, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ terga vertere, ſacris myſteriis irreverenter adeſſe audeat. Ne ulla, licet immerita, ſeveritatis, & novitatis nota noſtris hiſce ſanctionibus inuratur, a vetuſtis excitandis legibus abſtinemus, quibus ſeorſim a fœminis mares, interjecto ligneo pariete, in Templis conſiſtere jubebantur. (2) Tantum hortamur omnes Eccleſiarum rectores, & cuſtodes, ut hanc virorum a mulieribus ſeparationem, quoad fieri poterit, ubique in morem inducendam curent. At ſi qui adeo perfrictæ frontis fuerint, qui ſancita hactenus parvipendere, & inverecunde in Templis verſari, aliiſque peccandi occaſionem præbere non vereantur, hi Nos divini honoris ultores, ac ſeveriores vindices experientur.

XIX. Sacerdotes autem, & clericos ſacris myſteriis operantes vehementer hortamur, ut ea gravitate, & religione, quæ Dei miniſtros decet, munera quiſque ſua obeant,

Bb ſuo-

(1) *Ben. xiv. de Syn. Diœceſ. l. 11. cap. 12. n. 3. & 4.* (2) *Ben. xiv. de Syn. Diœceſ. l. 11. cap. 1. n. 8. & 9.*

Digitized by Google

ſuoque exemplo laicos ad pietatem , & venerationem divinis rebus adhibendam incitare ſtudeant .

XX. Ne vero clerus eccleſiaſticis miniſteriis vacans perturbetur , aut fideles in Templis orantes a cœleſtium rerum cogitatione avertantur , omnes utriuſque ſexus laicos acceſſu ad altaris gradus , ſacerdote ibi ſacrificante , nec non ad presbyterium , dum divina perſolvuntur officia , aditu prohibemus . (1)

XXI. Canes in ſacras ædes induci vetamus ; inducti a cuſtodibus protinus abigantur . Mendici ſtipem in Eccleſiis , etiam exemptis , quæritantes , ab earum rectoribus , æditu-is , ac cuſtodibus e ſacris ædibus ejiciantur , atque ad Templorum fores conſiſtere jubeantur . Si qui vero , præſertim quo tempore ſacra fiunt , aut divina officia celebrantur , (2) Eccleſias circumire , adſtantes interpellare , importunis precibus nummulos extorquere non verebuntur , carceris , aliaſque arbitrii noſtri pœnas ſubibunt , prout in noſtro , quod Synodi hujus exhibebit appendix , fuſius edicto continetur . (3) Fideles autem , qui rogantibus in Eccleſia ſtipem præbent , id ſibi vitio vertendum noverint , quod cæteroqui Deo acceptiſſimum futurum eſſet . (4)

XXII. Ante Eccleſiarum valvas , dum divina celebrantur officia , vel Sanctiſſima Euchariſtia publice adorationi proponitur , fideles otioſos morari , aut vanis colloquiis occupari irreligioſum eſt . In Eccleſiarum plateis , atriis , earumque circumitu non ludi , non ſpectacula , non ſcurrilitates habeantur ; neque in earum veſtibulis , porticibus , cæmeteriis , aut prope muros intra ſpatium , quod vulgo *ſacra-*

(1) *Cap.* Ut Laici *de vita* , *& boneſtate* Cleric. *Cap.* Pervenit 20. *de conſec. diſt.* 2. *Cap.* Sacerdotum 30. *ead. diſt. S. Cong. Rit. an.* 1688. (2) *S. Pius v. Conſtit.* 5. Cum Primum §. 5. (3) *Edictum* 23. *Apr.* 1737. *In Append. n I.* (4) *Edictum Clem.* XI. 11. *Jul.* 1703. *pluries confirmatum.*

crato nuncupatur, quicquam, vel ad ſacrificii, aut ipſarum Eccleſiarum uſum venale proponatur, aut circumferatur, ſub pœnis amiſſionis rerum, carceris, aliisque arbitrio noſtro inferendis. Non comeſſationes ibi, non compotationes, non nundinæ, non mercatus fiant, non ſæcularia negotia pertractentur, aut exerceantur, (1) ſub pœnis amiſſionis rerum, aliiſque, ut Nobis viſum fuerit, infligendis.

XXIII. Templa nullo unquam tempore direptionibus, aliiſque impiorum hominum injuriis pateant. Hæc interdiu caute cuſtodiantur: ſero autem, poſt datum angelicæ ſalutationis ſignum, omnium Eccleſiarum, etiam regularium valvæ grandioribus ſeris, vectibus, clavibuſque occludantur, nec ante diluculum unquam referentur. (2) Nocturnas in iis vigilias agi, præterquam nocte Nativitatis Chriſti Domini, omnino prohibemus. Piarum autem ſodalitatum Oratoria, in quæ confratres conſuetis precationibus daturi operam noctu convenire ſolent, iis expletis, pariter obſerentur. (3) Quare Eccleſiarum omnium rectores, & præſides, etiam regulares, ita ſacrarum functionum tempora metiantur, ut eas poſt vigeſimam quartam horam nunquam protrahi contingat, (4) ſub arbitrii noſtri pœnis.

XXIV. Sancti illius feſtum, cujus nomine nuncupantur, Eccleſiæ ſingulæ maxima, qua poterunt, celebritate peragant. Parietes ſplendido apparatu, ſi ſumptui Eccleſia par fuerit, exornentur, ac pretioſiore ſupellectile, & luminum copia altaria inſtruantur. Abſint tamen choreæ, ſaltationes, tripudia, epularum luxus, & hujuſmodi alia, quæ cum veneranda, ſanctaque horum dierum lætitia haudquaquam componi poſſunt.

XXV.

(1) *Conc. Prov. Rev. Card. de Ruvere, Syn. Diœceſ. Ravennat., Criſpi, Guiccioli, Cantoni.* (2) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.* (3) *Syn. Criſpi.* (4) *Syn. Cantoni.*

XXV. Decet in publicis Oratoriis Sacrum aliquando fieri : at in feſto Sancti Titularis tres ſaltem Miſſas in unoquoque celebrari præcipimus. (1) Idipſum a beneficiatis omnibus feſto illius Sancti die, ſub cujus invocatione beneficium quodlibet erectum eſt, præſtandum eſſe decernimus. (2) Rem divinam diebus feſtis facere in Oratoriis ruralibus, exceptis parochialium ſubſidiariis, nemo audeat, niſi ante Miſſa parochialis, quam tamen hora congrua celebrari volumus, in Eccleſia, intra cujus fines Oratorium eſt, celebrata fuerit. Si vero aliquando, juſta aliqua cauſa intercedente, in his Oratoriis celebrandum ſit ante parochialis Miſſæ horam, nullum tunc æris campani ſignum præcedat. (3) In ſolemnitatibus autem Paſchæ, Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Natalis Domini, nec non in feſto Aſſumptionis B. M. V., & illius Sancti, in cujus honorem parochialis Eccleſia loci dicata eſt, quibus præcipue fideles ad parochiales Eccleſias convenire æquum eſt, ne ullum omnino in his ſacrificium fiat. At ſi forte per eos dies ex Teſtatorum voluntate celebrandum fuerit, tum campanæ ſonitum prorſus omitti volumus. Sacerdotes vero, qui in dictis Oratoriis diebus vetitis, ut præfertur, ſacrificare præſumpſerint, pœna ſuſpenſionis a celebratione Miſſæ, aliiſque arbitrio noſtro ſe ſciant coercendos. In his arculas apponi, circumferri, pelvim, menſas, aut aliud quidpiam ad colligendas eleemoſynas, ſub quocunque prætextu exponi, quod in piarum ſodalitatum Oratoriis fieri interdiximus, (4) prorſus vetamus. Si qua vero a chriſtiana pietate ſubſidia afferri contigerit, ea in ſacris inſtaurandis, vel exornandis ædibus, vel in alios a Nobis præfiniendos uſus fideliter erogari mandamus.

XXVI.

(1) *Monacell. Tit. 6. form.* 10. (2) *S. Cong. Conc.* 24. *Maji* 1657. In Namien. (3) *Syn. Guiccioli.* (4) *Cap. XVII. n. 7. hujus Partis.*

Digitized by Google

XXVI. Tantum Eccleſiis, aliiſque ſacris locis honorem antiqui canones tribuerunt, ut quorumcunque criminum rei ad ea confugientes indemnitatem conſequerentur. Sed cum ex indefinito aſyli jure adeo in dies excreverit improborum hominum audacia, ut in deteriora quæque prolaberentur, ſatius Summis Pontificibus viſum eſt graviora aliqua, & reipublicæ exitioſa facinora excipere, quæ qui patrarent eccleſiaſtica immunitate nullatenus fruerentur. (1) Criminoſos igitur homines ad Eccleſias, vel loca ſacra confugientes, ſi exceptorum caſuum minime rei fuerint, immunitate juvari volumus. Si vero delinquentes alicujus excepti criminis rei, e confugii loco abſtrahendi fuerint, id omnino fieri prohibemus ſine auctoritate noſtra, & abſque interventu perſonæ eccleſiaſticæ a Nobis deputandæ; ac ſi extracti curiæ ſæculari tradendi fuerint, ea inſuper lex ſub graviſſimarum cenſurarum pœnis ſervetur, ut Eccleſiæ, ſeu loco immuni reſtituantur, ſi quæ pro extractione ſuppetere videbantur indicia, ea in progreſſu cauſæ dilui atque purgari contigerit. (2) In iis autem extrahendis, qui propter hæreſeos crimen, vel alio quocunque nomine Sanctæ Inquiſitionis judicium ſubeunt, regula, ac norma ſervetur, quam Ben. XIV. peculiari conſtitutione præſcripſit. (3) Ne ulla ſuboriri dubitatio poſſit de loci cujuſpiam ſacri immunitate, eam, cum ubique, tum vero potiſſimum ruri certis, ac patentibus finibus deſcribi mandamus. (4)

XXVII. Contumaces ad loca ſacra aſyli gratia confugientes, non in Eccleſiis, aut Oratoriis pernoctare, lectulos ſternere, manducare, bibere, (5) vel divina officia per-

(1) *Greg.* XIV. *Conſtit.* Cum alias nonnulli 1591. *Ben.* XIII. *Conſtit.* Ex quo. *Clem.* XII. *Conſtit.* In ſupremo juſtitiæ ſolio. *Ben.* XIV. *Conſtit.* Officii noſtri ratio *an.* 1750. *Lambertin. Inſtit.* 41. (2) *Laudati Pontifices*. (3) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Elapſo proxime anno 1751. (4) *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni*. (5) *Cap.* Non oportet. *S. Cong.* 23. *Nov.* 1592.

perturbare præſumant, non locorum immunitate ad perpetranda ſcelera abutantur. Eccleſiarum vero, & locorum hujuſmodi curam, & cuſtodiam gerentes, ſi quid eos in præmiſſis deliquiſſe animadverterint, continuo Nos certiores facere non prætermittant, ut eorum audaciam congruis remediis coerceamus.

XXVIII. Proximum cuique Eccleſiæ ſit ſacrarium, ſeu ſacriſtia, in qua armaria ſacræ ſupellectili aſſervandæ apta, ſcabellum, & tabella cum precationibus conſuetis, quo ſacerdotes Sacrum facturi genua ponere, & tremendo miniſterio ſe comparare poſſint, altare, ſeu menſa aliqua, altaris inſtar, ex qua ſacra indumenta ſumant, & Chriſti Domini e cruce pendentis ſimulacrum, conſtituantur. Lavacrum ad abluendas, ſudarium quo lotæ manus abſtergantur, eo loci ne deſiderentur.

XXIX. Tabellæ legata pia, & onera miſſarum perpetua disjunctim exhibentes, additis nomine, cognomine tum teſtatorum, tum tabulariorum, anno, menſe, die conſcripti teſtamenti, cæteriſque, quæ in edicto die 18. Octobris 1789. evulgato, ac appendici adjiciendo latius continentur, (1) ibidem extent. Edicta ibi, & ſtatuta affigantur, quæ ut omnium oculis obverſentur, mentique magis inſideant, perpetuo appenſa ſervari decrevimus, vel inpoſterum decernemus, nec non alia quæcunque, quæ cujuſque Eccleſiæ uſus, & ratio poſtulabit. Æditui vero ſacram omnem ſupellectilem fideliter ſervent, ejuſque munditiem, & nitorem cordi habeant. Sacrarium ſæpe converrendum, ac pulverem abſtergendum curent. Laicos otioſos, nugis ineptiſque ſermonibus tempus terentes, quibus plerumque ſacerdotes ſacris operaturi a divinarum rerum contemplatione

(1) *In Append. ad Cap. V. Part. II. n. II.*

Digitized by Google

ne abducuntur, modeſte, atque urbane e ſacrario arceant. Clericos jocari, garrire, ſtrepere prohibeant, & ſuum quemque officium rite, ac religioſe obire jubeant.

XXX. Cæmeteria humandis defunctorum corporibus conſtituta ejus ſint latitudinis, quæ cum populi numero cohæreat. Muro, vel condenſa ſepe circumducta, clathriſque ferreis, aut ligneis, ſera, clavique inſtructis ad oſtia appoſitis muniantur, ne ullis unquam beſtiis intro aditus pateat. Non ibi ullius generis arbores alantur; naſcentes evellantur herbæ; non eo ſordes projiciantur, non ligna, non cæmenta coacerventur. Crux columnæ infixa in medio emineat. (1) Locus denique conſueta benedictione purgetur, ac ſanctificetur. (2)

XXXI. Hæc, & alia, quæ ad Eccleſiarum cultum, ac venerationem attinent late jam noſtro edicto complexi ſumus, quod haud dudum evulgavimus, quodque ſequenti appendici adjungi, (3) ac bis quolibet anno a parochis publicari, & omnino ſervari mandamus.

CAPUT II.

De Oratoriis privatis.

I. QUæ cura Nobis, & ſollicitudo eſſe debet, ut *Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur*, (4) jure poſtulat, ut, poſtquam de Eccleſiis, & publicis Oratoriis diſſeruimus, nunc de Sacellis in privatis nonnullorum ædibus exiſtentibus, in quibus ex Apoſtolico indulto Sacrum peragitur, pauca delibemus.

II.

*(1) *S. Car. Borr. Prov. I.* (2) *Rit. Rom.* (3) *In Append. n. II.* (4) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. Decret. de obſervand. & evitand. in celebrat. Miſſæ.*

II. Quoniam in Apoſtolicis literis, quibus hujuſmodi indulta conceduntur, cautum eſt, ut non ante in dictis privatis Oratoriis Sacrum fiat, quam a locorum Ordinariis, ſeu aliis, quibus ipſi vices ſuas delegaverint, viſitentur, & approbentur, ac celebrandi licentia, eorum arbitrio duratura, impetrata fuerit, (1) univerſis propterea, qui hiſce favoribus fruuntur, vel inpoſterum fruituri ſunt, denuntiamus, Nos celebrandi facultatem in hujuſmodi Oratoriis nullatenus conceſſuros, conceſſam revocaturos, niſi omnia apte compoſita habeantur, quæ ad tanti Sacrificii dignitatem, majeſtatemque requiruntur.

III. Hæc itaque muro decenter exſtructa, & ornata ſint, (2) ejuſque formæ, quæ Templi magis, quam cubiculi ſimilitudinem referat, (3) Sint ab omnibus domeſticis uſibus libera, (4) neque contigua ſint locis ad ſordidum uſum deſtinatis. (5) Nemo deſuper inhabitet, aut dormiat. (6) Altare firmiter parieti adhærens iis omnibus inſtructum ſit, quæ ſuperiore capite enumeravimus. Vaſa ſacra, ſacerdotalia indumenta, ac reliqua ſupellex, quæ pro Sacrificio Miſſæ juxta Eccleſiæ ritus, ac rubricas requiruntur, nitida, & munda non deſint,

IV. Quoniam privata Oratoria non ſunt immutabiliter divino cultui dicata, licet privilegiatis ea pro libito in profanos uſus convertere. (7) At ſi Oratoriis ſemel profanatis iterum uti velint, nova opus eſt approbatione; qua pariter indigebunt, ſi de uno in alium locum, de una in aliam domum, vel etiam de uno in aliud ejuſdem domus cubi-

(1) *Formula Indulti pro Orat. privat. Ben. XIV. Conſtit.* Magno cum animi noſtri dolore 2. *Jun.* 1751. (2) *Formula cit.* (3) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (4) *Formula cit.* (5) *Conc. Prov. cit.* (6) *Idem Prov. S. Cong. Immunit. in* Tridentina 30. *Sept.* 1636. *S. Car. Borr. Prov.* IV. (7) *S. Cong. Immunit. in* Peruſina 9. *Decembr.* 1631.

cubiculum transferantur. Omnino autem privilegium cum morte eorum, qui eo donati fuerant, expirat, adeo ut nec hæredes, nec filii eodem amplius uti poſſint.

V. Unius tantum Miſſæ pro unoquoque die celebratio in ordinariis Brevibus conceditur. Quare *celebraturus tenetur diligenter inquirere*, an Miſſa, quæ ex indulto conceditur, ea die ab alio celebrata fuerit. (1) At ſi quando a Sancta Sede indulgeatur, ut in die Nativitatis Domini in aliquo Oratorio Sacrum peragatur, non una duntaxat, ſed tres Miſſæ ab eodem ſacerdote ibidem celebrari poterunt. (2)

VI. Ne tamen in privatis Oratoriis ullatenus celebrare, aut celebrationem imperare quiſpiam audeat, niſi aliquis ex indultariis, qui in fronte, ſeu inſcriptione Brevis nominantur, interſit, vel alius præſens adſit, cui in corpore ejuſdem Brevis nominatim, & expreſſe facultas tribuatur, ut poſſit tum cum ipſe adſiſtat facere, ut in privato Oratorio Miſſa celebretur. Nati ergo, conſanguinei, affines in eadem domo cum indultariis habitantes, Miſſam, cui aliquis ex præfatis interſit, rite audire, ac eccleſiaſtico præcepto ejuſdem diebus feſtis audiendæ ſatisfacere poſſunt: at nemine eorum præſente, neque Sacrificium ulla die peragi, nec feſtis diebus præcepto ſatisfieri poteſt. (3) Familiares vero eorum, quibus ut Miſſam celebrare faciant facultas, ut præfertur, tributa eſt, ſervitiis tempore Miſſæ *actu* non neceſſarii, ibidem Miſſæ hujuſmodi intereſſentes, ab obligatione eam in Eccleſia diebus feſtis audiendi minime ſe liberari ſciant. (4)

VII. Privilegium pro Oratoriis privatis ruri exiſtenti-

 bus

(1) *Decret. Clem.* XI. 14. *Decembr.* 1703. (2) *S. Cong. Conc. in dubio Orat. privat.* 20. *Jan.* 1725. *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* (3) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* (4) *Formula Indulti*.

bus etiam ad hoſpites extendi ſolet : *in hoſpitum tuorum nobilium præſentia* . Hi igitur , ſi aliunde advenerint , & tanquam extranei a domino ad certum tempus recepti , ejuſque commenſales fuerint , ut vere *hoſpites* dici poſſint , eodem quo cæteri de indultariorum familia privilegio gaudent .

VIII. In conſuetis privatorum Oratoriorum Brevibus quidam excipiuntur dies , quibus Sacrum fieri omnino prohibetur , nempe Paſchatis , Pentecoſtes , Nativitatis , Epiphaniæ , & Aſcenſionis Domini , Annuntiationis , & Aſſumptionis B. V. M. omnium Sanctorum , Apoſtolorum Petri , & Pauli , & Titularis eccleſiæ loci , (1) quibus addimus feſtum S. Apollinaris præcipui civitatis , & diœceſis patroni . Qui in aliquo ex his diebus celebrare auſi fuerint , pœnam ſuſpenſionis ipſo facto ſe noverint incurriſſe . (2) Sed ne hac in re ulla ignorantiæ cauſa prætendi poſſit , in ſingulis hujuſmodi Oratoriis tabellam dierum , quibus celebratio interdicitur , proſtare volumus .

IX. Si cui infirmo in diebus ſupra exceptis Miſſam in privato Oratorio audiendi indultum ſit , is *unam duntaxat* perſonam ſerviriis ſuis neceſſariam adhibeat , ſciatque alios , ſi adhibeat , ab obligatione , de qua ſupra diximus , minime liberari . (3)

X. Sed expendenda quoque eſt clauſula *ſine quorumcunque jurium parochialium præjudicio* , per quam cujuſvis generis parochiale munus ibidem exerceri prohibetur . Quare celebrantes a recipiendis oblationibus ad parochos ſpectantibus , a denuntiandis matrimoniis , a benedicendis puerperis , & aliis hujuſmodi abſtinebunt . Inhibemus præterea , ne ibi ullum Sacramentum adminiſtretur , niſi a Nobis , vel a Vicario noſtro generali ejus rei venia impetrata fuerit . (4)

XI.

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* (2) *Syn. Cantoni* . (3) *Monacel. l.* 2. *tit.* 13. *form.* 2. *n.* 23. (4) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit. Lambertin. Inſtit.* 34. §. 3. *n.* 11. & 12.

XI. Sacerdotes in privatis Oratoriis celebraturi caveant, ne celebrandi tempus vel præveniant, vel prætergrediantur, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis. Indultarios vero in Domino hortamur, ut decenter amicti, & compoſito corporis habitu ibidem Sacris interſint, ut mente etiam, ac devoto cordis affectu adeſſe videantur. Formulas Brevium ſedulo expendant, ac ne tranſverſum quidem unguem ab iis diſcedant.

CAPUT III.

De Beneficiorum eccleſiaſticorum collatione.

I. Beneficia ad divinum cultum, atque eccleſiaſtica munia obeunda conſtituta eſſe a Tridentinis Patribus edocti, (1) facile intelligimus, quam ſe gravi ſcelere obſtringant qui vel unius turpis quæſtus, & lucri cupiditate ea ſibi comparare non vereantur, vel ſine ullo delectu, nullaque meritorum percontatione habita, ſed ſanguinis tantum, aut amicorum commendatione permoti, in eos conferre non dubitent, qui ingenio, ſtudiis, moribuſque nullam ſpem afferant, ſe ſacris miniſteriis pie, ſanctеque inſervituros, atque utiles Eccleſiæ futuros.

II. Qui ergo ad Beneficia ſe promoveri cupiunt, non divitias, non vitæ commoda, ſed Dei gloriam, & Eccleſiæ obſequium cogitent. Eos vero, qui præſentandi, vel eligendi ad Beneficia jure gaudent, vehementer hortamur, ut, poſthabito omni partium ſtudio, non modo idoneos, prætermiſſis indignis, præſentent, vel eligant, qui Deo, & Eccleſiæ velint, & valeant gratum impendere famulatum;

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 21. cap. 3. de Reform.*

tum ; ſed eos præ cæteris , quos digniores , aptioreſque in Domino judicaverint : quod quidem ab iis , qui ad Beneficia curata præſentandi jure potiuntur , ſub gravi culpa præſtandum omnino eſſe adeo exploratum eſt , ut a nemine in dubium vocari poſſit . (1) Sed illud præ omnibus diligentiſſime cavendum eſt non modo a præſentantibus , & eligentibus , ſed a præſentandis etiam , & eligendis , ne munere linguæ , vel indebiti obſequii , vel pecunia quicquam adipiſcantur , vel largiantur quo ſimoniaca labe inquinentur . (2) Atque ut facilius ab hoc graviſſimo crimine eos deterreamus , meminiſſe juvabit , Beneficia per ſimoniam realem collata nullum jus cuiquam parere , eaque ſic acquiſita ante omnem judicis ſententiam dimittenda , fructuſque perceptos , tanquam inique ablatos , eccleſiæ , vel pauperibus reſtituendos : quod reſtitutionis onus vel ipſi iniqui mediatores *in ſubſidium* ſubire tenentur ; præterea tum eos , qui ſimoniace præſentant , vel eligunt , tum eos , qui præſentantur , vel eliguntur , nec non mediatores , procuratores , parentes , amicos , cæteroſque , qui vel operam , vel pecuniam contulerint , majori excommunicatione Summo Pontifici reſervata ipſo facto innodandos ; demum ita ſimoniace proviſos ad hæc , & alia quæcunque Beneficia obtinenda perpetuo inhabiles fore , neque diſpenſationem a Sede Apoſtolica unquam conſequuturos , niſi ante adeptam Beneficii poſſeſſionem ſe ſimoniam ignoraſſe docuerint , & probarint . (3) Qui vero , ſimoniæ confidentialis , ſive realis , ſive conventionalis mixtæ , & ſemirealis intercedente vitio , Beneficia , vel penſiones acceperint , præter ſuperius comme-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de Reform. S. Pius V. Conſtit.* 33. *Prop.* 47. *inter damnat. ab Inn.* XI. (2) *Cap.* Salvator 1. *quæſt.* 3. (3) *Martinus* V. *in Conc. Conſtant. ſeſſ.* 43. *Paulus* II. *Extravag.* Cum deteſtabile . *Pius* V. *Conſtit.* Cum primum . *Lambertin. Inſtit.* 13.

memoratas pœnas, privationem inſuper Beneficiorum legitime poſſeſſorum, & penſionum prius obtentarum ſe noverint incurſuros, ac Beneficia ipſa per confidentiam collata, & accepta Summo Pontifici reſervanda. (1)

III. Quoniam autem nonnulla in Diœceſi noſtra Beneficia curata eſſe ſcimus, quorum rectores per populi ſuffragia eliguntur, quoties eorum aliquod vacare contigerit, Vicarius noſter ad ſe acceſſitos electores ſingulos de rei magnitudine admoneat, gravibuſque verbis hortetur, ut quem majoribus & ſtudiis juvari noverint, & meritis eum eccleſiæ regimini præficiendum diligenter curent; (2) gravi alioquin crimine obſtringendi, ac diſtrictiſſimum Paſtorum Principis judicium ſubituri. Doceat, quid ſit ſimoniæ vitium, quot modis irrepat, ejus effectus exponat, pœnas in ſimoniacos latas commemoret, ut omni partium ſtudio ſoluti, purum in Deum, & animarum ſalutem obtutum convertant, atque intendant. Id ipſum autem cum iis, qui Beneficia appetunt, eadem ferme ratione præſtabit; quos propterea commonere non prætermittat, ne ſe unquam aut honoris ambitione, aut emolumenti cupiditate ferri patiantur, ne amicorum commendatione, aut quarumlibet perſonarum patrocinio, vel muneris largitione nitantur, ne temere, & arroganter ſe ipſos inferant, atque intrudant; ſed luminum Patrem, vehementer exorent, ut vias eorum in conſpectu ſuo dirigat, merita ſua, & perpeſſos pro Eccleſia labores modeſte proferant, atque in unius Dei voluntate conquieſcant. (3)

IV. Quibus ad Beneficia præſentandi, vel eligendi facultas eſt, iis quatuor menſes a notitia vacationis Beneficii

(1) *Pius IV. Conſtit.* Romanum Pontificem. *Pius V. Conſtit.* Intollerabilis. (2) *Can.* Si forte *diſt.* 53. (3) *Lambertin. Inſtit.* 13.

cii, ſi jus patronatus fuerit laicale, ſex vero, ſi eccleſiaſticum fuerit, ad præſentandum, vel eligendum conceduntur. Id ſi præſtare intra dictum tempus neglexerint, Nos quibus magis in Domino expedire arbitrabimur Beneficia conferemus. (1) Neminem, qui ſaltem Prima Tonſura non ſit initiatus, & decimum quartum annum non attigerit, ad Beneficia, quamvis ſimplicia, præſentent, aut eligant; (2) neque ad dignitates, vel perſonatus in Metropolitana noſtra viginti duobus annis minores: ad Beneficia vero, quibus animarum cura ſubeſt, neminem, qui ſaltem ad vigeſimum quintum ætatis ſuæ annum non pervenerit, & in clericali ordine verſatus, doctrina ad munus ſuum exequendum neceſſaria, ac morum integritate non commendetur. (3) Præſentatos vero, aut electos, niſi ſuo quiſque muneri idonei reperti fuerint, rejiciemus. Patronus laicus præſentans indignum jubebitur alium præſentare: ſi fuerit eccleſiaſticus, privabitur illa vice jure præſentandi. Patronus nunquam ſe ipſum præſentabit: poterunt ei tamen a Nobis Beneficia motu proprio conferri. (4) Caveant patroni, ne Beneficia nondum vacantia cuiquam promittant; ſciantque promiſſionem in anteceſſum factam, etiam jure jurando firmatam, inanem, ac nullius momenti, & maxime Deo injuriam futuram eſſe. (5)

V. Ad vacantes parochiales eccleſias juris patronatus laicalis, vel mixti præſentati, aut electi, prævio examine extra concurſum, inſtitui, & confirmari poterunt. Quod ſi ab uno, aut pluribus patronis laicis æquali jure gaudentibus, plures ad vacantem eccleſiam fuerint nominati, Nobiſque præſentati, neque ullus ex præſentatis retulerit a patro-

(1) *Cap. 3. de Jure Patronatus.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. cap. 6. de Reform.* (3) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 12. de Reform.* (4) *Cap. 25. de Jure Patronatus.* (5) *Cap.* Qui vitorum. *Cap.* Cum dilecta *de conceſſ. Præbend. Lambertin. Inſtit. 13.*

tronis plures voces quam cæteri , concurſum inter eoſdem præſentatos inſtituemus , eumque eligemus , quem inter approbatos ab examinatoribus magis idoneum judicabimus . (1)

VI. At ſi parochiales eccleſiæ vacantes juris patronatus eccleſiaſtici fuerint , concurſum , mandante Tridentino , indicemus , & quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus judicabit , Nobisque præſentabit , inſtituemus . (2) Quod ſi quis ex approbatis patroni judicio non acquieſcat , ac ſe minus digno poſthabitum fuiſſe conqueratur , noſtrum erit , judicis aſſumpta perſona , in patroni judicium de ſui præſentati meritorum ſupra reliquos ex approbatis præſtantia inquirere , ſervata methodo a Benedicto XIV. in ſuis literis ſapientiſſime conſtituta . (3)

VII. Dum autem inſtitutio ab alio , quam a Nobis facienda erit , Nos ex dignis digniorem eligemus , eumque patronus ei , ad quem inſtitutio pertinebit , præſentabit . (4) Quin ſi inſtitutio ad Sedem Apoſtolicam pertineat , eo quod eccleſiam in menſibus eidem reſervatis vacaſſe contigerit , & concurſus indictionem , & magis idonei renuntiationem , Summi Pontificis Datario faciendam , ad Ordinarium ſpectare , nulla prorſus patroni eccleſiaſtici habita ratione , a ſacra Concilii Congregatione ſtatutum ferunt . (5)

VIII. Tridentinæ Synodi decretis provide conſultum eſt in aliarum etiam parochialium collatione concurſum eſſe inſtituendum , ut habita in eo de cujuslibet ætate , moribus , doctrina ſolerti inquiſitione , is ad earum regimen aſſumatur , qui cæteris magis idoneus judicetur . Examinis autem

in

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform. S. Cong. Conc. apud Bened.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l. 4. cap. 8. n. 9.* (2) *Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform.* (3) *Ben.* XIV. *Literæ ad Archiep. Florent.* Redditæ Nobis. 9. *April.* 1746. *Idem de Syn. Diœceſ. l. 4. cap. 8. n.* 8. (4) *Conc. Trid ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform.* (5) *Apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l. 4. cap. 8. n. 8.*

Digitized by Google

in concurſu peragendi certam, atque apte diſpoſitam formam, a ſacra Concilii Congregatione præſcriptam, Pontificii judicii acceſſione roboratam, ac deinde a Ben. XIV. eccleſiaſticæ diſciplinæ vindice, & aſſertore eximio confirmatam, libenter ampleſtimur, ac omnino ſervari mandamus. (1) Habita itaque vacationis eccleſiæ notitia, ſtatim ad Tridentini præſcriptum idoneum in ea œconomum, cum congrua ejus, arbitrio noſtro, fructuum portionis aſſignatione, conſtituemus, qui ipſius eccleſiæ onera ſuſtineat, donec ei de rectore provideatur. (2) Publico interim evulgetur edicto notitia concurſus, congruo, & a Nobis præfiniendo tempore celebrandi; eodemque edicto omnes moneantur, ut, decurrentibus diebus aſſignatis, coram cancellario noſtro ſuas qualitates, merita, munera, & præſtita Eccleſiæ obſequia ſincere proferant, quæ eo termino elapſo nullatenus recipiantur. Hæc porro requiſita, ut vocant, in epitomen a cancellario noſtro incorrupta fide redacta, non Nobis modo, ſed & omnibus ſingillatim examinatoribus ad concurſum adſcitis exhibeantur, *ut cum de ſcientia, tum de vita, moribus, aliiſque regendæ eccleſiæ neceſſariis dotibus ferant judicium*. Coram Nobis, vel Vicario noſtro generali, & tribus ſaltem examinatoribus ſynodalibus, præſtituta die concurſus habebitur, niſi illum auctoritate noſtra contigerit prorogari. Concurrentibus in conclavi clauſis, *unde eorum nemo egredi, neque alius quiſpiam eo ingredi poſſit, niſi poſtquam ſcripta confecerint, & exhibuerint*, eædem, eodemque tempore quæſtiones, ſeu caſus, idem evangelii textus, ſuper quo ſermonis aliquid perſcribant ad probandam dicendi pro concione facultatem, omni-

(1) *Encyclica S. Cong. 10. Jan. 1721. approb. Clem. XI. Ben.* XIV. *Conſtit.* Cum illud 14. *Decembr.* 1742. (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 18. *de Reform.*

nibus aſſignentur, atque dictentur, omnibus certum, idemque temporis ſpatium, intra quod rem totam abſolvant, conſtituatur. In ferendis reſponſis latina, in conciuncula conſcribenda italica lingua utantur. Omnes ſua quiſque manu tum reſponſa, tum ſermonem ſcribant, ſubſcribantque. Ut quiſque ſuo munere perfunctus fuerit, folia exhibebit, quæ non modo a cancellario concurſus, & examinatoribus, verum etiam a Nobis propria ſubſcriptione firmentur. Peracto concurſu, compendiariæ requiſitorum notulæ antea diſtributæ tradantur cancellario, vel comburendæ, vel penes acta ſecreto ſervandæ, neminique oſtendendæ, niſi de noſtro, vel Vicarii noſtri generalis mandato. Electo ex approbatis ad parochialem eccleſiam digniori, nullo appellationis, vel inhibitionis obtentu poſſeſſio retardetur. At ſi quis ſe injuſte rejectum, minuſque digno poſthabitum fuiſſe contendat, is ſciat, appellationem a mala examinatorum relatione, & ab irrationabili judicio noſtro ſibi nullatenus profuturam, niſi, ea intra decem dies a die collationis interpoſita, acta concurſus coram judice integra omnino produxerit, ex iiſque indebitæ rejectionis gravamen ſibi irrogatum fuiſſe comprobaverit. (1)

XI. Habenti jus non tantum ad Beneficium, ſed in ipſo Beneficio, & quidem adeo certum, & manifeſtum, ut nequeat juſte in quæſtionem adduci, a ſacris canonibus permittitur vexationem ſibi injuſte illatam pecuniæ ſolutione propulſare. Sed ne, injuſtæ vexationis redimendæ obtentu, quemquam in hoc negotio hallucinari, & ſimoniaca ſe labe fœdare contingat, *nemini licere volumus*, *ne in caſibus quidem a jure permiſſis*, *pecuniam dare*, *quicquam paciſci*, *aut tranſigere*, niſi noſter conſenſus acceſſerit, quem nemini un-

Dd quam

(1) *Encyclic. cit. Conſtit. cit.* Cum illud.

quam denegabimus, *ubi rem fraude carere, & jure permiſſam eſſe cognoverimus*. (1)

XII. Beneficia propria auctoritate permutare ſimoniæ vitio non caret. Reſignationem Beneficiorum puram, nulliſque affectam conditionibus Nobis factam, juſtis concurrentibus cauſis, admittemus. (2) Si autem fuerit in favorem alterius, vel cum reſervatione penſionis, Summi Pontificis approbatione indigebit. (3)

XIII. Qui vero Beneficia reſignant, annua ſibi penſione ſub Apoſtolico beneplacito reſervata, inito clandeſtino pacto cum reſignatario caſſandi, & extinguendi dictam penſionem, conventa pecuniæ quantitate per anticipatas, ſeu anticipandas ſolutiones ſolvenda, hi doloſa calliditate beneficiorum reſignationem in occultam eorum venditionem execrabili transformatione commutant. Turpiſſimam hanc, & ſimoniacam redolentem labem Beneficiorum negotiationem, quam edita conſtitutione acerrime inſectatus eſt Benedictus XIV., omnes deteſtentur, graviſſimaſque pœnas ab eodem Pontifice in reprobas hujuſcemodi pactiones, conventioneſque inflictas reformident. (4)

XIV. Qui ad Beneficiorum collationem quoquomodo concurrunt, iis nihil omnino accipere liceat. Tantum cancellario noſtro, aliiſque fori noſtri miniſtris quod vel ex taxæ Innocentianæ ratione, vel ex probata conſuetudine, juxta ea quæ inferius dicturi ſumus, (5) pro impenſo labore debetur, perſolvatur.

XV. Ut vero quantum ſtudio, & diligentia poſſumus ne-

(1) *S. Car. Borr. apud Lambertin. Inſtit.* 93. *Ben.* XIV. *de Syn. Diæceſ. l.* 12. *cap.* 6. *n.* 9. *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere, aliæque ſubſequent. Synodi*. (2) Can. Niſi cum pridem *de Renuntiat. Pius* v. *Conſtit.* Quanta Eccleſiæ 1. *Apr.* 1568. (3) *Tit.* Ut beneficia. (4) *Ben.* XIV. *Conſtit.* In ſublimi 29. *Aug.* 1741. (5) *Cap. XIX. n. XI.*

neſarium ſimoniæ crimen, ac omnem etiam ejus ſuſpicionem longe a Dei Sanctuario propulſemus, Majorum noſtrorum inſtitutis inhærentes, inhibemus, ne Beneficia eccleſiaſtica vi nominationis, præſentationis, ſeu electionis a patronis obtentæ, vel alio quovis modo aſſecuti, ad eorum poſſeſſionem admittantur, niſi ante jusjurandum, cujus formulæ in appendice proſtant, (1) interpoſuerint. (2) Iidem antequam Beneficiorum poſſeſſionem ineant, fidelitatem, obedientiam Sanctæ Matri Eccleſiæ, Nobiſque, & Succeſſoribus noſtris, ſeque ſuorum Beneficiorum negotia utiliter curaturos, jura defenſuros, reſidentiam, ubi eam Beneficia requirant, ſervaturos, ac inventarium bonorum omnium, quamprimum poterunt, facturos, Nobiſque intra tres menſes exhibituros, adhibitis prædictis formulis, ſpondeant, ac jurent.

XVI. In conficiendis autem ejuſmodi inventariis, methodo, quam anno 1785., cum primum de perluſtranda diœceſi curæ noſtræ concredita cogitaremus, typis evulgandam curavimus, ac modo in hujus Synodi appendice recudi juſſimus, (3) omnino inhæreant. Quod ſi inventarium ab aliis ante elaboratum fuerit, illud cum recenti rerum ſtatu rite collatum, & caſtigatum Nobis deferre teneantur. Hujus inventarii exemplar, ſeu potius appendicem, ea, quæ pro negotiorum geſtorum ratione ſuperaddita fuerint, exhibentem, Nobis eamdem diœceſim viſitatione ſacra peragrantibus reddere non gravabuntur. Fidei autem profeſſionem intra duos menſes a die captæ Beneficiorum poſſeſſionis, ut ſuo loco dictum eſt, (4) emittant.

XVII. Quæ de vita, & honeſtate clericorum edidimus

(1) *In Append. n. I. & II.* (2) *Syn. Prov. Rav. Boncompagni. Syn. Guiccioli.* (3) *In Append.. n. III.* (4) *Part. I. Cap. I.*

mus, (1) ad ſe potiſſimum Beneficia adepti pertinere intelligant. Beneficiorum onera ferre non negligant. Defunctorum animabus, ſi quæ debentur, ſacrificia perſolvant, eccleſiæ, vel altaris decorem, cultumque diligant.

CAPUT IV.

De Bonorum Eccleſiaſticorum Adminiſtratoribus.

I. Bonorum eccleſiaſticorum adminiſtratores ſi ſecum animo reputabunt, ea *vota fidelium eſſe*, *pretia peccatorum*, *ac patrimonia pauperum*, (2) profecto intelligent, ſe in omnium longe maxima procuratione verſari, & quam proinde ſolliciti eſſe debeant, ut eadem bona non modo nullum ſua culpa damnum ſubeant, ſed ut in priſtinum, ſi forte antea neglecta detrimenti aliquid paſſa fuerint, ſtatum reſtituantur, & augeantur in dies.

II. Nos itaque, qui ex paſtoralis officii munere univerſalem bonorum eccleſiaſticorum diœceſeos noſtræ curam gerimus, eorum conſervationi, & incremento pro viribus conſulentes, omnibus, & ſingulis tum clericis, tum laicis Tridentini decretum intimamus, quo excommunicatione innodantur, qui alicujus eccleſiæ, ſeu cujuſvis ſæcularis, vel regularis beneficii, aliorumque locorum piorum jurisdictiones, bona, cenſus, jura, fructus, emolumenta, obventiones quaſcunque per ſe, vel per alios quovis modo, aut quæſito colore, in proprios uſus convertere, illoſque uſurpare præſumpſerint, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur: cui quidem anathemati tamdiu ſubjacebunt, quamdiu ea eccleſiæ, ejuſque adminiſtratori, ſive

(1) *Part. III. Cap. VI.* (2) *Cap.* Quia juxta 59. *cauſ.* 16 *queſt.* 1.

ſive beneficiato integre reſtituerint, ac deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerint. Quod ſi ejuſdem eccleſiæ patronus hæc perpetrare auſus fuerit, ultra prædictas pœnas, etiam jure patronatus eo ipſo privatus exiſtet. Clericus vero, qui nefandæ fraudis, & uſurpationis hujuſmodi fabricator, ſeu conſentiens fuerit, eiſdem ſubjaceat pœnis, beneficiis quibuſcunque privatus ſit, ad quæcunque alia inhabilis efficiatur, a ſuorum præterea Ordinum executione, etiam poſt integram ſatisfactionem, & abſolutionem, noſtro arbitrio ſuſpendendus. (1)

III. Omnium etiam rerum, & bonorum eccleſiaſticorum, tam immobilium, quam mobilium pretioſorum alienationem, omneque pactum, per quod ipſorum dominium transfertur, conceſſionem, oppignorationem, aut hypothecam, abſque Sedis Apoſtolicæ beneplacito, ſibi interdictam eſſe norint beneficiorum poſſeſſores, & piorum locorum quorumcunque adminiſtratores, ſub excommunicationis pœna, tam ab iis, qui alienant, quam ab iis, qui alienatas res, & bona prædicta receperint, incurrenda. (2)

IV. Huic porro legi etiam regulares ſe ſubjectos eſſe ſciant, licet ab ea ſuorum privilegiorum vigore videantur immunes. (3)

V. Alienationis ſpeciem habet bonorum eccleſiaſticorum ultra triennium locatio; quam propterea ſi quis abſque Romani Pontificis facultate ſecerit, is pœnas contra alienantes ſe ſciat incurſurum.

VI. Eodem alienationis nomine arborum quoque præciſio interdicitur, quæ fructum, & utilitatem eccleſiæ bonis afferre poſſunt; non autem, ſi inutiles ſint, vel agris no-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 11. de Reform. Bulla Cœnæ* §. 17. (2) *Paulus II. Extrav.* Ambitioſæ. (3) *Decret. Urb. VIII. 7. Sept.* 1624. *S. Cong. Conc.* 18. *Martii* 1719. *apud Lambertin. Inſtit.* 69.

noxiæ, eccleſiæ, aut ejuſdem domibus inſtaurandis neceſſariæ. Sed ut omnem doli, & fraudis ſuſpicionem amoveamus, generatim inhibemus, ne cujuſvis generis arbores cædantur, niſi ante impetrata a Nobis venia, quam, re cognita, ſi noſtræ facultatis limites non exceſſerit, ad juris tramites concedere non repugnabimus. (1)

VII. Bona autem levioris momenti ſive immobilia, ſive pretioſa mobilia, noſtro duntaxat intercedente conſenſu, & approbatione, diſtrahuntur, & oppignorantur: (2) quo quidem conſenſu, & approbatione, etiam regulares pro rebus exigui valoris, ut ſupra, ſive alienandis, ſive oppignorandis ſe ſciant indigere. (3)

VIII. Locationes ad triennium tantum, ſeu ad trinam fructuum recollectionem locorum piorum rectoribus, & adminiſtratoribus permittuntur. Sed ne damni aliquid harum locationum occaſione pia loca ſubeant, Deceſſorum noſtrorum ſtatutis inhærentes, omnes ejuſmodi locationes, iis exceptis, quæ a beneficiatis quoad bona ſuorum beneficiorum fiunt, quas abſque publica, & tempeſtiva edictorum affixione, ac ſine idoneo fidejuſſore, vel cum conſanguineis, & affinibus rectorum, & adminiſtratorum uſque ad tertium incluſive gradum, vel denique cum iis, qui veteri ære ipſis locis piis debito ſe nondum expedivere, fieri contigerit, improbamus, ac nullius roboris fore declaramus. (4)

IX. Omnes pariter bonorum eccleſiaſticorum locationes, repræſentata pecunia, ſeu anticipatis ſolutionibus a locorum piorum rectoribus, adminiſtratoribus, beneficiorum poſſeſſoribus factas, nullius momenti in præjudicium ſucceſſorum fore decernimus. (5) Eas item reprobamus, ac irritas fore

(1) *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni*. (2) *Can.* Terrulas 12. *queſt.* 2. (3) *S. Cong. apud Lambertin. Inſtit.* 69. (4) *Syn. Guiccioli*. *Syn. Cantoni*. (5) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 11. *de Reform.*

re declaramus locationes, in quibus *pro primo, ut ajunt, ingreſſu* aliquid recipitur, *ex quo eccleſiis, piiſque locis præjudicium fiat*, vel annuus eorum reditus decreſcat, aut imminuatur. (1)

X. Eſt & alia quædam locationis ſpecies, qua beneficiati prætextu, & colore cedendi commodum, ſeu utilitatem percipiendi fructus ſuorum beneficiorum, eos alteri vel in longum tempus, vel ad vitam vendunt, recepta ab emptore per unam, vel plures ſolutiones pecuniarum quantitate, quam iidem beneficiati per ejuſdem temporis, vel vitæ ſpatium, eorum ætatis, & corporis valetudinis ratione habita, probabiliter conſequi potuiſſent. Hanc improbam conſuetudinem, & non ferendam pravitatem, ex qua non leve dedecus eccleſiaſtico Ordini, & plurima alia incommoda conſequuntur, Benedictus XIV. reprobavit, damnavitque ſub excommunicationis pœna, aliiſque contra alienantes bona eccleſiæ inflictis, & ſtatutis, omneſque ejuſmodi contractus, etiam juramento firmatos, irritos, & inanes, viribuſque, & effectu vacuos declaravit. (2)

XI. Pecuniarum depoſita, quæ pro cenſibus extinguendis, vel rebus diſtractis reſtituendis, Sacrarum Urbis Congregationum decreto, ſive mandato, & juſſu noſtro in monte pietatis quotannis fieri debent, ſtatis temporibus non prætermittantur, ſub pœnis contra eccleſiarum bona alienantes impoſitis omnino incurrendis.

XII. Pecuniæ quæ vel ex cenſuum diſſolutione, vel rei alicujus diſtractione, vel jure legati ad piorum locorum rectores, adminiſtratores, beneficiatos pervenerint, ne apud ipſos pateant in direptionem, in monte pietatis, niſi illis inveſtiendis ſtatim ſeſe occaſio obtulerit, quamprimum depo-

(1) *Conc. Rom. Tit. XIX. Cap. unic.* (2) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Univerſalis Eccleſiæ 29. *Aug.* 1741.

ponantur, neque inde auferantur, niſi cum, noſtro intercedente conſenſu, in cenſibus, vel ſtabilibus coemendis collocandæ fuerint. Hujus depoſiti notitiam ad cancellarium noſtrum, ut primum fieri poterit, deferri mandamus. Qui vero poſt quindecim dies, a die receptæ pecuniæ metiendos, pecuniam ipſam non depoſuerit, vel facti depoſiti notitiam ad cancellarium noſtrum non detulerit, excommunicationis laqueo ſe noverit fore innodandum. Quoties autem pecuniæ pro locis piis, & beneficiis fœnerantur, toties fidejuſſor idoneus in ſolidum obſtrictus accedat. (1)

XIII. Locorum piorum quorumcunque adminiſtratores, rectores, monaſteriorum abbatiſſæ, aliique, quibus gerendorum negotiorum onus incumbit, cum primum eorum procuratio ipſis commiſſa fuerit, inventarium bonorum omnium mobilium, & immobilium, ſemoventium, jurium, actionum, onerum, & rerum quarumcunque ad ſe pertinentium, juxta methodum in ſuperiori capite propoſitam, conficiant; ſeu ſi ab iis, qui in officio præceſſerunt, hoc confectum fuerit, illud recentiori rerum ſtatui comparent, ac ubi ab eo diſcrepare cognoverint, corrigant. Hujus autem inventarii exemplar Nobis ſacræ viſitationis munus obeuntibus reddent. At ſi alias hujus perfecti, & abſoluti inventarii exemplar traditum fuerit, ſat erit, ſi quicquid novi ſcitu dignum acciderit, in appendicem redactum exhibebunt.

XIV. Hi porro adminiſtratores ſingulis annis adminiſtrationis ſuæ rationem Nobis, aliiſque de jure, vel conſuetudine, pro locorum piorum qualitate, ad id deputandis, reddere teneantur. (2) Expleto termino, quem cujuſque pii loci ſtatuta, & legitimæ conſuetudines præſcribunt, ab officio ceſſabunt, niſi Nobis rei neceſſitas aliter ſua-

(1) *Syn. Guiccioli.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 9. de Reform.*

Digitized by Google

ſuaſerit. Si quis pio alicui loco debeat, niſi æs alienum ante diſſolverit, ab illius adminiſtratione arceatur. (1)

XV. Omnes demum, & ſingulos piorum locorum adminiſtratores, beneficiatos, monaſteriorum ſyndicos, alioſque eorum miniſtros magnopere hortamur, ut prædia excolant, domos inſtaurent, reditus omni fidelitate adminiſtrent, neque eos, aliter quam cujuſque loci ſtatuta ferant, expendant, multoque minus inconſulta prodigalitate diſperdant, aut ab aliis inſumi patiantur; opportune exigant, jura virili animo tueantur. Beneficia vero ſive curata, ſive ſimplicia poſſidentes, ſingillatim meminiſſe volumus ſibi de altari vivere, non luxuriari permiſſum eſſe. Sit eorum modeſta ſupellex, frugalis menſa, ac in reliquo vitæ genere nihil, quod a ſancto eorum inſtituto alienum ſit appareat nihil, quod non eccleſiaſticam ſimplicitatem, & mundi contemptum præſeferat. Suis itaque ſtipendiis contenti, ſuperflua in egenorum ſolamen, & ſuſtentationem, alioſque pios uſus alacriter conſerant, & dignitatis ſuæ auctoritatem vitæ innocentia, ac morum teneant gravitate. (2)

XVI. Bonorum eccleſiaſticorum viſitatores in hac Synodo ſive eligendi, ſive confirmandi, quorum nomina in appendice dari præcipimus, (3) piorum locorum prædia, domoſque identidem viſitabunt; ac ſi alicubi eorum culturam, & reparationem negligi, vel iis damni aliquid quomodocunque, & a quocunque inferri perſpexerint, abjecto omni partium ſtudio, Nos incunctanter hac de re certiores facere non prætermittant. Huic ſi muneri recte ſatisfecerint, Deum, quod bona ejus Eccleſiæ addicta illæſa ſervaverint, ſibi demerebunt, & magnam a Nobis gratiam inibunt.

Ee XVII.

(1) *Syn. Guiccioli*. (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 1. de Reform.* (3) *In Append. inter Officiales Cleri*.

Digitized by Google

XVII. Parocho, aut quocunque diœceſeos noſtræ beneficiato e vivis ſublato, parochus viduatæ parœciæ vicinior, ſeu alius, in cujus eccleſia, vel intra cujus parœciæ fines beneficium vacaverit, ſtatim hæredem accerſat, ac coram eo, & duobus, aut tribus probatis teſtibus, librorum, ſcripturarum, & mobilium quorumcunque ad vacantem eccleſiam, vel beneficium pertinentium inventarium a ſe ſubſcriptum, ac ab hærede, & teſtibus, ſaltem crucis ſigno munitum conficiet, ſervabitque: libros vero, ſcripturas, ac mobilia ſupradicta penes aliquem ex eadem parœcia divitem, ac probatæ fidei virum cuſtodienda deponat, donec vel parœcia ipſa de œconomo, vel de ſucceſſore beneficium provideatur, quibus confectum inventarium, & reliqua omnia ad parœciam, vel beneficium ſpectantia, ſyngrapha receptionis accepta, tradet. Idipſum in civitate per viros a Nobis deputandos præſtari jubemus.

XVIII. Hæredes autem ſive parochi, ſive cujuſvis alterius beneficiati vita functi, prædicta omnia inventarium conficienti, ſumma cum fide, & gratis omnino deferant, ac tradant. Quod ſi quippiam doloſe apud ſe retinere, alio aſportare, vel occultare auſi fuerint, in pœnas adverſus eccleſiarum jura uſurpantes conſtitutas, ſe noverint incidiſſe.

XIX. Sed ut omnem doli, & fraudis occaſionem dictis hæredibus præcidamus, & indemnitati eccleſiarum caveamus, inſuper ſtatuimus, ut parochus defuncto vicinior, rerum omnium ad defunctum parochum pertinentium, quas vel in parœciæ domo, aut alibi invenerit, cuſtodiam ſuſcipiat, atque interim illa omnia, eo quo ſupra dictum eſt modo, in inventarium redigat, ac penes loci illius locupletem, & ſpectatæ probitatis virum deponat; nihilque ab hæredibus inde auferri, quocunque prætextu patiatur,

facul-

facultate a Nobis non ante impetrata, ac nunquam concedenda, niſi prius defuncti res a rebus eccleſiæ ſecretas fuiſſe, & quicquid damni, defuncti incuria beneficio illatum fuerit, reparatum fuiſſe, vel de reparando ſatis dediſſe hæredes cognoverimus. Hæc in civitate etiam per eos, quos delegaverimus, ſervari decernimus. At ſi nihilominus hæres, vel quilibet alius, quocunque quæſito colore, defuncto parocho, aut morti proximo, quicquam ab illius domo, aut ab alio loco, etiam extra diœceſim noſtram conſtituto, amovere, aut alio transferre præſumpſerit, is ſive laicus, ſive eccleſiaſticus, modo præcipuus auctor amotionis, vel translationis fuerit, pœnam ſcutatorum centum aut ipſi parochiali eccleſiæ, aut aliis arbitrio noſtro locis piis applicandorum, nec non etiam carceris ſubibit. Si vero tantum cooperator, in carcerem conjicietur.

CAPUT V.

De Archivis.

I. AT non ſatis beneficiorum, & piorum locorum indemnitati conſultum eſſet, niſi ſcripturas, publicas tabulas, monumenta omnia, quibus eorum jura, & privilegia nituntur, geſtarumque rerum fides, & veritas ad poſterorum recordationem, & inſtructionem tranſmitti poteſt, ſarta tecta ſervare, atque a temporum, & hominum injuria vindicare ſtuderemus.

II. Tantæ igitur rei gravitate commoti, ac inſuper Benedicti XIII. conſtitutione excitati, (1) a Nobis ipſis impetrare non poſſumus, ut non pauca ad ejuſdem Summi Pontificis mentem ſtatuamus.

III.

(1) *Conſtit.* Maxima vigilantia 14. *Jun.* 1727.

III. Metropolitanæ noſtræ, ac aliarum collegiatarum capitula, monaſterii cujuſcunque monialium, ac piarum domorum, quæ conſervatoria appellantur, abbatiſſæ, vel prioriſſæ, beneficiorum quorumcunque rectores, quique capellaniis, altaribus, hoſpitalibus, montibus pietatis, ſeminario, confraternitatibus, aliiſque, quocunque nomine cenſeantur, locis piis præſunt, Archivii quiſque ſui, ubi erectum ſit, cuſtodiæ ſedulo advigilent; ubi vero nondum conſtructum fuerit, de eo quamprimum poterunt inſtituendo ſerio cogitent. Tuto in loco, nec cuivis facile adeundo, unum, vel plura armaria, pluteoſque ſeris, & clavibus inſtructos parabunt, eoque collecta ſcripta omnia, & documenta, ſingula pia loca quomodocunque attingentia, nec non inventarium, juxta methodum in ſuperioribus capitibus conſtitutam (1) rite elaboratum, cui identidem adſcribantur quæ vel acquiri, vel commutari, vel diſtrahi quomodocunque contigerit, inferant, ſuiſque loculis apte diſponant, *ne per manus oberrantes deperdantur, vel iniqua uſurpantium cupidine rapiantur, & occultentur*. (2)

IV. Archivis noſtris præfecti neminem ſibi, Nobis non annuentibus, ſubrogare audeant. Archetypos, vel ſcripturas quaſcunque ex Archivio depromere, aut, etiam ad breve tempus, & quavis præſtita a petentibus cautione, ulli commodare abſque facultate noſtra non præſumant. Ea vero obtenta, ſcripturam recipiens, receptionis ſyngrapham, triduano tempore limitatam, quod tamen, ita poſtulantibus rerum circumſtantiis, moderate prorogare non repugnabimus, ſua manu ſubſcribat. Si cui in Archivis ſcripturas, & monumenta perquirendi, vel aliquid exſcribendi facultatem fecerimus, huic præfecti, vel ſubſtituti omnino præſint.

(1) *Cap. III. & IV. hujus Partis*. (2) *Conc. Rom. Tit. XII. c. 6.*

Digitized by Google

ſint. Claves, quibus Archiva obſerantur, nunquam ad exterorum manus perveniant. Taxam, quam cujuſque loci probata conſuetudo induxerit, Archivorum præfecti religioſe ſervent; ſecus exceſſum compenſare, aliaſque arbitrio noſtro pœnas dare compellentur.

V. In parochialibus Archiviis extent, præter ſuperius recenſita, libri, qui parochiales vocantur, nempe *Baptizatorum*, ubi fons baptiſmalis fuerit, *Confirmatorum*, *Sponſaliorum*, *Matrimoniorum*, *Defunctorum*, *Status Animarum*, juxta formulas a Rituali Romano propoſitas exarati, *Eccleſiæ onerum*, *Miſſarum pro populo*, *Decimarum*, *vel Primitiarum*, edicta evulgata, ac inpoſterum evulganda, & decreta quæcunque ſingulas parœcias reſpicientia.

VI. Teſtimoniales literas, quas ex officio parochi dabunt, parochiali ſigno, cui Titularis imago inſculpta ſit, muniant. (1)

VII. Cæterum quotquot Archivorum cuſtodes deputati ſunt, vel deputabuntur, ad Benedictinam conſtitutionem ſe conformare ſtudeant, pœnaſque graviſſimas in ea comminatas reformident, Nobis diœceſim ſacra viſitatione luſtrantibus muneris ſui rationem reddituri.

CAPUT VI.

De vita, & honeſtate Clericorum.

I. Cum omnes, qui chriſtiana profeſſione cenſentur, coram Deo, qui ſanctus eſt, in ſanctitate, & juſtitia oporteat ambulare, tum certe majori ſtudio clericali Ordini adſcriptos pietatem, ac morum innocentiam ſectari neceſ-

(1) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.*

neceſſe eſt, qui in ſortem, & hæreditatem Domini vocati, ſacriſque myſteriis mancipati, tantum cæteris dignitatis, ac muneris magnitudine præſtant, quantum divina humanis, cœleſtia terreſtribus antecellunt.

II. Hunc animi candorem, morumque intrinſecam honeſtatem externo etiam corporis cultu, & veſtis decentia teſtentur Clerici. Rotunda capillorum tonſura in medio cujuſque vertice, ad coronæ ſpeciem, & ſimilitudinem ſemper appareat, qua vel ſpinea corona capiti Salvatoris impoſita, vel externarum rerum deſpectus, vel tandem regia eorum dignitas declaretur. Ut quiſque autem in altiori ordinis gradu collocatur, ejus orbis forma latius circumſcribi debet; (1) ita tamen ut hoſtiæ magnitudinem nunquam excedat. (2) Capillos ne ſupra frontem eminentiores gerant: non comam plus æquo promiſſam, non calamiſtro inuſtam, non cyprio pulvere aſperſam, non unguentis delinitam deferant, ſed ita detonſam, ut aures pateant, ac ita compoſitam, ut eccleſiaſticam non dedeceat gravitatem. Nemo ficta coma vulgo *parrucca*, niſi impetrata a Nobis facultate, utatur, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis. Qui vero tuendæ valetudinis gratia, ejus in Sacri celebratione uſu indigent, facultatem ſibi a Summo Pontifice comparabunt. Sed neque adſcitos capillos, vulgo *girelli*, Nobis non annuentibus, quiſquam geſtare audeat, quorum tamen uſum, Sacrum etiam peragentibus indulgebimus, quoties medicorum teſtimonio compertum Nobis, & exploratum fuerit hunc, ad avertendum valetudinis detrimentum, omnino requiri. Quicunque autem adulterinas hujuſmodi comas, cujuſcunque generis ſint, geſtandi privilegio fruuntur, eas ita componendas curabunt, ut, patentibus auribus, & clerica-

(1) *Catech. Rom. Part. 2. cap. 7.* (2) *Synodi plures.*

ricali ſigno, eccleſiaſticæ modeſtiæ, & ſimplicitati nunquam non cohæreant: ſecus earum uſum, ipſo jure prohibitum, a Nobis ſciant prorſus eſſe interdicendum. (1) Lineam vittam de more collo circumducant, neque unquam extra domum dimittant. Veſte utantur, & pallio ejus coloris, & formæ, ut ab edicto noſtro, quod hac ſuper re jam evulgavimus, nunquam diſcedant. (2) Sacramenta miniſtrantes, vel quodlibet aliud clericalis officii munus obeuntes, veſtem ad talos uſque demittant. Extra hos caſus brevioris veſtis uſum non improbamus; ea tamen ſit hujuſmodi, quæ eccleſiaſtici Ordinis homini omnino conveniat.

III. Beneficia eccleſiaſtica obtinentes, niſi in habitu clericali incedant, ipſo jure amiſſionis, & privationis fructuum eorumdem beneficiorum pœnam incurrunt, ita ut illos percipere, vel perceptos retinere, vel ſuos facere nullo modo poſſint. (3) Sed neque privilegiis clericalibus utantur, qui habitum, & tonſuram ſuo ordini congruentem non deferunt. (4)

IV. Qui ratione dignitatis, aut muneris deferendi annuli privilegio gaudent, illum in Miſſæ celebratione deponant. (5)

V. Diſciplinarum ſtudiis, quas cujusque fert ætas, diligenter vacabunt. Univerſim vero in Sacrarum literarum, eccleſiaſticæ hiſtoriæ, dogmaticæ, ſcholaſticæ, ac moralis theologiæ exercitatione diu, noctuque verſentur, ut veræ ſapientiæ præceptis imbuti, ea ad aliorum etiam fructum, & utilitatem conferre valeant.

VI. Quoniam Clericos oportet non modo incontinentiæ

(1) *Lambertin. Inſtit. 96.* (2) *In Append. n. I.* (3) *Bened. XIII. Conſtit.* Catholicæ Eccleſiæ. (4) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de Reform. cap. 6.* (5) *Conc. Rom. Tit. XVI. cap. 3.*

tiæ crimen , ſed & incontinentiæ ſuſpicionem vitare , Majorum noſtrorum inſtitutis inhærentes , eos cum iis tantum patiemur fœminis inhabitare , in quibus naturale fœdus nihil permittit ſævi criminis ſuſpicari . His igitur liceat cum conſanguineis uſque ad tertium , & cum affinibus ad ſecundum uſque gradum , & non ultra , in eadem domo verſari . Ab exterarum vero cohabitatione mulierum , etiam famulatus gratia , abſtinebunt , niſi ſorte rationabilis cauſa aliud quandoque ſuadeat , hæque ætate , fama , & morum honeſtate commendentur. Abhorrebunt præterea a mulierum alibi commorantium ſocietate , & inutilibus colloquiis ; ex frequenti enim eorum conſuetudine effeminantur animi , corrumpuntur mores , ſenſimque ab honeſtatis , & continentiæ legibus deflectunt . Suſpectas vero mulieres adire , aut alloqui auſurum neminem arbitramur : at ſi qui adeo perfrictæ frontis , & ſuæ dignitatis immemores fuerint , quos tanti ſceleris ſponte ſua non pudeat , hi nedum animadverſionem noſtram juxta ſacrorum canonum ſanctiones , ſed divinam ipſam ultionem pertimeſcant . (1) Caveant etiam , ne ullas mulieres in literis inſtituendas ſuſcipiant ; non eas legendi , ſcribendi , canendi , aut quodvis muſicum inſtrumentum pulſandi artem edoceant , niſi a Nobis ejus rei facultatem antea obtinuerint . (2)

VII. Clericos perſonam induere , choreis publicis , aut privatis nedum ſe immiſcere , ſed & intereſſe prohibemus . Si qui vero perſonam ad os apponere , vel choreas ducere auſi fuerint , hi , ſi in Ordine ſacro fuerint conſtituti , ſcutatorum quinquaginta pœna multabuntur ; ſi minoribus tantum initiati , præter arbitrii noſtri pœnas , aditum ad ſu-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 25. cap. 14. de Reform. Lambertin. Inſtit. 82. & ſeq. Syn. Guiccioli , Syn. Cantoni .* (2) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni , Syn. Ferretti , Criſpi , Guiccioli , Cantoni .*

ſuperiores Ordines, niſi probata diu emendatione vitæ, ſibi præcluſiſse noverint. (1)

VIII. Ab aleis etiam, & ludis quibuſcunque, quos ſacri canones vetant, nec non ab iis, qui noviſſimo Urbis edicto prohibentur, (2) ſe cohibeant Clerici; aliter pœnas daturi juxta eorumdem canonum ſanctiones, (3) & legum præſcripta. Quod ſi aliquando licitis ludis detineri velint, id, dum ne publice, aut per notabile temporis ſpatium fiat, non obſtabimus. (4)

IX. Ne eorum corda in crapula, & ebrietate graventur, effuſas commeſſationes, ſplendida, & lautiora convivia ad luxum, atque intemperantiam inſtructa Clerici declinabunt. A theatralibus ludis quibuſcunque, in quibus fœminæ in ſcenam prodeunt, abſtinebunt ſub pœnis arbitrio noſtro incurrendis. Ab aliis etiam profanis ſpectaculis, queis animi a ſacrorum munerum cogitatione abducuntur, aures, oculique divinis myſteriis addicti impuris ſermonibus, procacibuſque actionibus fœdantur, temperabunt. A venationibus contra ſacrorum canonum formam ſe abſtineant. Ad cauponas, tabernas, aliaque ſimilia loca, nuncupata *camerini*, niſi forte neceſſitatis cauſa in itinere conſtituti, non accedant. Arma cujuſque generis non deferant, niſi per infeſta loca iter faciendum eſſe contigerit. Fœminis, quamvis conſanguineis, vel affinibus, brachium, quo illæ per vias incedentes nitantur, porrigere nullus Clericorum audeat. Noctu per urbem, aliaque loca excurrere profana canendo, vel inſtrumenta muſica pulſando, ſeu id agentibus comitem ſe præbere, clericalem modeſtiam dedecet; (5) multoque minus

Ff fe-

(1) *Syn. Criſpi, Guiccioli, Cantoni.* (2) *In Append. n. II.* (3) *Conc. Trid. ſeſſ. 22. cap. 1. de Reform.* (4) *Vide Lambertin. Inſtit.* 37. (5) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.*

ferenda eorum audacia, qui nocturno tempore cum fœminis vagari non erubeſcunt. Quin & currum, vel rhedam per urbem agitare, ſive currum, aut rhedam cum fœminis conſcendere, niſi forte itineris cauſa cum iis quæ honeſtate, & probitate morum commendentur, ſub arbitrii noſtri pœnis Clericis interdicimus.

X. Quorum Dominus pars hæreditatis eſt, eorum nemo negotiis ſæcularibus lucri, aut quæſtus gratia implicabitur. Itaque Clericorum nemo prædia, vel agros, certa annua penſione conventa, colendos, exercendoſque conducat, etiam ex neceſſitate ſubveniendi parentibus, aliiſque inopia laborantibus, quibus ex naturalis officii debito opem ferre teneatur, abſque Sedis Apoſtolicæ diſpenſatione; nemo cambiis activis operam dare; (1) mercimonia, aut aliam quamcunque illicitam negotiationem vel pro ſe, vel pro alio, vel per alium exercere audeat. Quod ſi clerico negotium aliquod ſive hæreditario, ſive quocunque alio jure inſperato obvenerit, vel illud dimittet ſtatim, vel illud, ſi gravis ex celeri dimiſſione jactura immineat, ad tempus retinendi facultatem ſibi a Sacra Concilii Congregatione impetrabit: ac interim negotium hujuſmodi a laico adminiſtretur. (2) Non interpretes ſe, aut proxenetas inter contrahentes mercede interponant clerici: (3) tutelam, aut curam, præterquam ſuorum, ſine aſſenſu noſtro non ſubeant. (4)

XI. An vero magis deflenda ſit virorum eccleſiaſticorum cæcitas, qui proprii gradus dignitatem proculcantes, in laicorum bonis, ac negotiis adminiſtrandis, curandiſque induſtriam, operamque ſuam impendunt, an magis reprehen-

(1) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 10. *cap.* 6. (2) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Apoſtolici 25. *Febr.* 1741. *Clem.* XIII. *Conſtit.* Cum primum. (3) *Conc. Prov. Rav. Bonpagni*, *Syn. Diœceſ. Rav. omnes*. (4) *S. Car. Borr. Prov. I. Syn. Criſpi*.

hendenda eorumdem laicorum præſumptio, qui Sanctuarii miniſtros, a quibus chriſtianæ vitæ documenta, æternæque ſalutis ſubſidia petere deberent, tam parvipendunt, ut eos in domeſticis officiis ſibi dicto audientes eſſe velint, eoſdemque ſervilibus miniſteriis addicere non vereantur, difficile eſt judicare. Laicos itaque in Domino cohortamur, ne ſibi eccleſiaſticos viros famulari unquam patiantur; Clericis vero præcipimus, ut collatæ ſibi dignitatis celſitudinem cogitantes, laicorum obſequiis ſe mancipare, non impetrata Sedis Apoſtolicæ facultate, nullo modo audeant. Qui contra fecerint canonum rigorem experientur. (1)

XII. Bonorum ſive patrimonialium, ſive proprii beneficii adminiſtratio nullo jure Clericis interdicitur, ea tamen moderatione ſervata, ut nihil indecori, nihil clericali charactere indignum admittatur. A vilibus itaque, abjectiſque actionibus, quæ clericalem ſtatum dedecent, abſtinebunt; præcipue vero ab animalium mercatu, cui qui intererunt, multam vigintiquinque ſcutatorum, alias impoſitam, (2) quaque vice ſubibunt, aliiſque arbitrii noſtri pœnis, habita majoris, minoriſque ſcandali ratione, ad cæterorum exemplum afficientur. (3)

XIII. Clericorum nemo in ſacris conſtitutus, vel de eccleſiaſtico beneficio proviſus, judicis, advocati, procuratoris, ac ne tabellionis quidem munus in foro ſæculari exerceat, præterquam in cauſis, quæ ſuam, vel eccleſiæ, vel beneficii utilitatem reſpiciunt. Nemo judicium ſanguinis agitare, ſententiam ſanguinis proferre, dictare, vel ſcribere audeat; nemo coram judice ſæculari deponat in civilibus cauſis, ſine noſtra licentia in ſcriptis, & gratis conce-

(1) *Trid. ſeſſ. 22. de Reform. cap. 1. de vita, & honeſtat. Cleric. Clem. XIII. Conſtit. laudat.* (2) *Syn. Cantoni.* (3) *Clem.* XIII. *Conſtit. laudat.*

cedenda, ita tamen, ut juramentum examini præmittendum, coram Nobis, aut Vicario noſtro emittatur; in criminalibus vero abſque Sedis Apoſtolicæ facultate: nemo coram judice ſæculari ſe conveniri ullo modo patiatur: nemo medici, aut chirurgi quovis pacto, etiam ſine aduſtione, vel inciſione, officio fungatur, ſub pœnis in contra facientes per ſacros canones ſtatutis, aliiſque, ut Nobis videbitur, omnino infligendis.

XIV. Quæ pro externis Clericorum moribus inſtituendis, componendiſque modo ediximus, ab omnibus accurate cuſtodiri, & obſervari præcipimus, quo reliqui in eos, tanquam in ſpeculum oculos conjicientes, ſumere valeant quod imitentur. (1) Id porro facilius aſſequemur, ſi interioris pietatis ſtudium, atque fervorem in eorum cordibus reparare, atque alere curaverimus. Sacerdotes itaque in primis hortamur, ut ſaltem diebus dominicis, & feſtis ſolemnibus, ſi autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, miſſas celebrent. (2) Qui choro ſunt mancipati, canonicas horas, cæteraque divina officia, pie, & ad religionem compoſitis animo, & corpore, perſolvant. Reliqui in ſacris conſtituti, vel beneficiati hoc idem horas canonicas recitandi munus pari pietatis ſtudio curabunt. Univerſim vero omnes piis meditationibus, atque ſpiritualibus lectionibus vacent, orationi inſtent, ſacris functionibus devote interſint: eorum ſinguli ſuperpelliceo induti illi, cujus ſervitio mancipati fuerint, eccleſiæ aſſiduam operam præſtent; ſupplicationibus, concionibus, aliiſque piis inſtitutis frequentes adſint, & ſui quiſque Ordinis officia rite, ac diligenrer obeant. Sacris Ordinibus inſigniti, decimo quinto quoque die, Prima vero Ton-

(1) *Conc. Trid. loc. cit.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 14.

Tonſura initiati, vel in minoribus Ordinibus conſiſtentes; ſemel ſaltem in menſe Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramentis ſe reficiant. Feria autem V. in Cœna Domini, in Dominica Pentecoſtes, in feſtis Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, Sancti Apollinaris, Aſſumptionis B. M. V., omnium Sanctorum, & Nativitatis Domini Noſtri Jeſu Chriſti in Eccleſia Metropolitana, aut in eccleſia cujuſque loci præcipua per diœceſim, ad Sacram de manu celebrantis Synaxim inter miſſarum ſolemnia ſumendam omnes conveniant. Feria item V. in Cœna Domini omnes talari veſte, & ſuperpelliceo induti ad Metropolitanam ſe conferant, Nobis ſacras functiones peragentibus miniſtraturi, pœna quatuor juliorum in eos conſtituta, qui abſque legitima cauſa, a Nobis approbanda, non obtemperaverint. (1)

XV. Ordinandorum Congregationi, quæ dominico quoque die a feſto omnium Sanctorum ad feſtum uſque S. Apollinaris in Seminarii noſtri ſacello haberi conſuevit, Clerici omnes ſive ad habitum clericalem tantum admiſſi, ſive Tonſura initiati, ſive ad minores, ſive ad majores Ordines promoti, aut inpoſterum admittendi, initiandi, promovendique omnino adſint; ad ſuperiores Ordines non provehendi, ni ſcripto Congregationis præfecti teſtimonio huic ſe piæ inſtitutioni vacaſſe comprobaverint.

XVI. Aſt quoniam neceſſe eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere, dum per varias actiones vitæ hujus ſolicitudo diſtenditur, univerſos proinde ex clero Nobis ſubjecto, & præcipue animarum rectores, confeſſarios, canonicos, alioſque beneficiatos chori ſervitio addictos enixe in Domino hortamur, ut ad ſpiritualia exerci-

(1) *Syn. Ferretti, Criſpi, Guiccioli, Cantoni.*

citia in ſingulos annos per decem dies peragenda in aliqua pia, ſeu regulari domo a Nobis deſignanda ſecedant, quo eorum eccleſiaſticus ſpiritus reparetur, mentis acies ad divinarum rerum contemplationem extollatur, ſancteque vivendi norma vel inſtituatur, vel confirmetur, & quicquid ſordium de terreno contagio contractum fuerit, commode detergatur. Ut vero alacrius ad hujuſmodi ſpiritualem ſeceſſum ſinguli conveniant, meminiſſe juvabit, prædictos parochos, canonicos, alioſque beneficiatos perſonali reſidentia adſtrictos, & chori ſervitio mancipatos, obtenta a Nobis venia, ad pontificiam mentem nunquam deneganda, ut præfertur, ſecedentes, per idem tempus a reſidentia, a fructuum ſuorum canonicatuum, & beneficiorum, nec non a diſtributionum amiſſione, ex eccleſiæ benignitate, liberaliter abſolvendos. (1)

CAPUT VII.

De Seminario Clericorum.

I. QUod unum maxime deſiderari videbatur pro commodiori Seminarii noſtri uſu, ut ejus nimirum ſedes propius a metropolitano templo, noſtriſque ædibus abeſſet, quo alumni ad divina officia facilius convenirent, Noſque frequentius eos inviſere, ac eorum inſtitutioni impenſius advigilare poſſemus, hoc jam, Deceſſore noſtro curante, immortali Pontificis O. M. beneficio conſequuti ſumus. (2)

II.

(1) *Encyclica S. Cong. Conc.* 1710. *juſſu Clem.* XI. (2) *Antonius Cantonius Ravennæ Archiepiſcopus ab ædibus S. Catharinæ ad Collegium ſuppreſſæ Societatis Jeſu anno* 1779. *Seminarium tranſtulit, annuente Pio* VI. *P. O. M. ut liquet ex Chirographo dat.* 27. *Febr.* 1779. *exiſtent. in Cancellaria Archiep.*

II. Quoniam vero Seminarium hoc cæteris provinciæ noſtræ antiquitate, (1) & dignitate præſtat, ita pro viribus enitendum, ut bonarum artium cultura, eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio, recta morum inſtitutione, & optima univerſi regiminis ratione ita commendetur, probeturque, ut merito aliis in exemplum proponi poſſit. Saluberrimas igitur, atque optime conſtitutas leges, quas in eum finem ediderunt Deceſſores noſtri, præſertim quæ ad religionem, ac vitæ honeſtatem pertinent, ſingulo quoque menſe, elata voce in triclinio perlegi, religioſe cuſtodiri, & in mores traduci mandamus. (2)

III. Diſciplinarum ſtudiis pro ſuo quiſque modulo vacent alumni. Grammaticæ, rhetoricæ, philoſophiæ, theologiæ operam dabunt; maxime vero, quæ ad Sacramenta rite adminiſtranda opportuna videbuntur, ediſcent. In ſtudium etiam cantus Gregoriani, & Sacrorum Rituum incumbant, ut divina munia in eccleſiis cum pietate obeant, & majeſtate. Sacram Scripturam, libros eccleſiaſticos, maxime Catechiſmum Romanum, & Rituale aſſidue pervolutabunt. (3) Eos e contra abjiciant, & reſpuant libros, qui res inanes, jocoſas, multoque magis obſcænas, & irreligioſas referunt, queis molles adoleſcentium animi a divinarum rerum cogitatione alienantur, & flagitiorum veluti contagione inficiuntur, ac depravantur. Non ulla erga rectorem, præceptores, ſpiritualis vitæ magiſtrum, & præfectos obedientiæ, obſervantiæ, atque obſequii officia prætermittant. Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, prout loci ſtatuta ferunt, pie, ſancteque ſuſcipiant. Metropolitanæ, aliiſque de

(1) *Curante Cardinali Julio Feltrio de Ruvere Archiep. erectum fuit anno* 1568.
(2) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere*. (3) *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 18. *Conc. Rom. Tit. XVI. cap.* 3.

Digitized by Google

de more eccleſiis inſerviant ; omnia denique , quæ de vitæ diſciplina , ac moribus clericorum ſuperiori capite præſcripſimus , teneri , obſervarique a Seminarii noſtri alumnis mandamus . Si qui vero fuerint dyſcoli , & incorrigibiles , ac malorum morum ſeminatores , qui neque pudoris , neque ſeverioris diſciplinæ fræno coerceantur , ſciant ſe acriter puniendos , & , ſi opus fuerit , e contubernio etiam ejiciendos . (1)

IV. Diœceſeos alumni ad ſua quiſque loca , confecto annuo ſtudiorum curriculo de more profecturi , literas a Nobis ad proprios parochos accipient , atque huc redeuntes , quas ipſi reſcripſerint , Nobis afferendas curabunt . Eorum vero , qui in urbe commorantur , parochi urbani vitam , moreſque ſcrutabuntur , & quicquid reſciverint , Nobis opportune renuntiare pro ſua fide non prætermittent .

V. Erudiendis vero alumnis , conſcientiæ , eorumque moribus regendis admoti , quæ ſint cujuſque partes intelligant , eaſque qua debent cura , ſtudioque implere contendant . Maximi momenti , ac ponderis rem ſibi commiſſam reputent , quam ſi recte geſſerint , uberrimum ex ea fructum diœceſi noſtræ obventurum certo ſciant ; quos enim pueros , ceu novellas plantationes in juventute ſua , erudiendos , & timoris Dei lacte enutriendos curaverint , eos animarum rectores , populorum doctores , & divinorum myſteriorum diſpenſatores aliquando futuros eſſe ſperamus .

VI. De ſtudiis literarum ſolliciti , eos maxime ad eccleſiaſticæ diſciplinæ , & pietatis cultum inſtituant , ut veræ pietatis alumni efficiantur . Sontes pro modo culpæ , pro cujuſque ætate , & ingenio nunc ſeveris animadverſionibus , nunc paternis cohortationibus , nunc comi , benignoque allo-

(1) *Conc. Trid. loc. cit. Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere .*

Digitized by Google

loquio a vitiis deterreant, & ad virtutem alliciant. A conviciis, & contumeliis, queis maxime ad iracundiam, & indignationem provocantur, temperabunt: potiſſimum vero curabunt, ut qui magiſtri nomen, munuſque apud eos obtinent, ſe iis etiam virtutis, modeſtiæ, ſanctitatis, & inſtitutorum ſuorum exemplum præbeant.

VII. Rectori, quem totius Collegii regimini præfecimus, cæteros obtemperare miniſtros, dictoque audientes eſſe jubemus. Hic vero vigilet, in omnibus laboret, miniſterium ſuum ſumma cum fide, & integritate adimpleat; utque ſuo quiſque munere rite fungatur, curet diligentiſſime. Rebus Seminarii adminiſtrandis omni ſedulitate incumbat: oneribus, quibus ſubjicitur, fideliter ſatisfaciat. (1)

CAPUT VIII.

De Horis Canonicis.

I. Regii Pſaltis religionem æmulata, (2) ſepties in die laudes ab ſuis Eccleſia miniſtris quotidie Deo ſtatuit perſolvendas, quæ horis canonicis continentur.

II. Ea lege tenentur clerici omnes ſacrorum Ordinum honore aucti, ſanctimoniales fœminæ, ac regulares viri, poſt emiſſam in religione profeſſionem, nec non eccleſiaſtico beneficio, ſeu curato, ſeu ſine cura præditi, niſi morbo, vel alia gravi, juſtaque cauſa præpediantur. Quiſquis igitur, vel diem unum, horarum canonicarum recitationem intermiſerit, vel earum partem, quæ modica haud ſit, omiſerit, mortiferi peccati crimine obſtrictum ſe eſſe noverit.

Gg III.

(1) *In laudat. Chirographo.* (2) *Pſal.* 118.

III. Beneficia vero eccleſiaſtica adepti, ſi poſt ſextum a die accepti beneficii menſem, ſine juſti impedimenti cauſa, canonicas horas non recitaverint, fructuum ratam pro neglecti officii parte capere prohibebuntur; eoſque vel in eccleſiæ ædificationem, vel in egentium alimenta, non expectata judicis ſententia, ac ne ſtipis quidem erogatione ante officii omiſſionem facta ullo modo ſuffragante, omnino convertendos ſciant. (1) Ducta igitur fructuum omnium beneficii ratione, quota pars in ſingulos diſtributa dies ſingulis diebus obvenerit, eam ipſi toties amittant, quoties officii debitum non perſolverint. Quod ſi ſolum diei unius matutinum prætererierint, parte ejus diei dimidia; ſi reliquas omnes horas, alia dimidia; ſi ſingulas modo horas, parte ſexta multabuntur. Si vero, hac ſpreta pœna, in eadem officii negligentia, contumaciaque, etiam canonice admoniti, perſeveraverint, ita ut quindecim dierum ſpatio bis illud omiſerint, beneficiis privabuntur. (2)

IV. Quibus autem ex eccleſiaſtico beneficio penſio perſolvitur, iis officii Beatæ Virginis in totidem horas diſtributi, recitandi onus injungitur; quod ſi neglexerint, præter culpam, qua innodabuntur, ad penſionis reſtitutionem, rata pro omiſſionibus portione, ut ſuperius de beneficiatis dictum eſt, omnino tenebuntur. (3)

V. Nunc omnes, & ſingulos ſupra memoratos, quibus recitandi officii onus incumbit, vehementer in Domino cohortamur, ut per diſtincta horarum ſpatia, & diſtributa temporis intervalla, quæ ſuis non vacant myſteriis, illud pie, atque attente perſolvant; neque enim a culpa immunes erunt, ſi nulla neceſſitate, vel juſta cauſa interce-

(1) *Leo* x. *Conſtit.* Supernæ diſpoſitionis arbitrio *dat. in Conc. Later. S. Pius* v. *Conſtit.* Ex proximo. *Prop.* 30. *inter damnatas ab Alex.* VII. (2) *Conſtit. laudatæ.* (3) *S. Pius* v. *Conſtit. laudat.*

cedente, præveniant, aut differant. (1) Loci, in quo pſallendum eſt, rationem habeant, mente in Deum aſſurgant, dilabentem alio, ac pererrantem revocent; verba, & ſententias diſtincte pronuncient, non præcipiti lingua omnia involvant, glomerentque: ea demum gravitate, ac religione munus hoc obeant, quæ eos decet, qui in conſpectu angelorum pſallunt Deo, & confitentur nomini ſancto ejus.

VI. Canonici, & Manſionarii ſtipendiis Metropolitanæ noſtræ militantes, publica divini officii recitatione Deo ſacrificium laudis quotidie immolabunt. Accepto itaque æris campani ſigno, ad eccleſiam ſinguli conſtitutis horis ſe conferant. Sacrarium ingreſſi *veſtibus ſuo ordini ad pſallendum congruentibus induantur*. Hinc a præfecto moniti, *bini a minoribus ad majores progredientes, ſaltem ſolemnibus diebus, ac in majoribus anni feſtivitatibus, ad Miſſam majorem, & veſperas, ad chorum tacite, ac modeſte accedant*; (2) eodemque ordine, divinis expletis officiis, regrediantur. Chorum ineuntes, in ſua quiſque ſede conſiſtant. Officium privatim nemo recitet: unuſquiſque vero cæteris pſallentibus, aut canentibus conjunctus, ſocia exultatione divinas laudes concelebret; diſtributiones, ac præbendæ fructus, qui ſecus fecerit, non facturus ſuos. (3) Sed nec privatæ breviarii recitationi, ſive ſolus recitet, (4) ſive cum ſocio, (5) aut cujuſque, etiam ſpiritualis libri lectioni (6) vacare, quo tempore miſſa ſolemniter decantatur, ulli liceat. Carmina alternis vicibus non ſubmiſſim, aut oſcitanter, ſed diſtincte, atque ſtudioſe, ac conſuetis cum verborum inter-

ter-

(1) *Lambertin. Inſtit.* 24. (2) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere*. (3) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Cum ſemper 19. *Aug.* 1744. *Lambertin. Inſtit.* 107. (4) *Syn. Taurinen. Emi Coſtæ*. (5) *Syn. Diœceſ. Forolivien. Raſponi, & Piazza*. (6) *Diſciplina chori Syn. Baptiſtelli Fulginaten.*

terpunctis, pronuncient: incertis ne vagentur ſedibus; in ſua ſe quiſque contineant, neque huic incompoſiti cohæreant. Nihil divinis extraneum, nihil quod ſacrum illud munus interpellet, immiſceant. Dormitare, ridere, jocari, aut omnino colloquia, & ſermones ſerere, literas, aut ſcriptum ullum legere a loci dignitate, ac ſanctitate alienum eſt. Standi, ſedendi, ſurgendi, genua ſubmittendi, caput aperiendi, atque inclinandi tempora ſervent. Hæc omnia omnes ſimul præſtent, ut non ſolum ex vocibus, ſed ex actionibus etiam quidam concentus exiſtat. Non flabellis, non chirothecis quiſquam in choro utatur. (1) Dum divina officia peraguntur, nemo, niſi neceſſaria de cauſa, & venia a præfecto petita, choro egrediatur. Qui in his, atque aliis hujuſmodi, quæ diſciplinæ ratio vetat, quoquo pacto peccaverint, punctationem ſubeant, graviter etiam a Nobis, niſi reſipuerint, prout meritum eorum fuerit, plectendi. (2)

VII. Singulis diebus, ſingulæ horæ canonicæ, nulla unquam, quacunque ex cauſa, prætermiſſa, in Metropolitana noſtra recitentur, vel decantentur. (3) Quare ex recepto ejuſdem eccleſiæ inſtituto præcipimus, ut nocte Nativitatis Dominicæ, diebus Paſchatis, & Pentecoſtes, nec non tribus poſtremis majoris hebdomadæ diebus, matutinum alterna modulatione perſolvatur: in aliis ſolemnitatibus, quæ per annum celebrantur, ad *Te Deum*, atque ad ea, quæ capitulum ſubſequuntur; in reliquis vero feſtis de præcepto ad *Te Deum* cantus adhibeatur. (4)

VIII. Ut autem hæc rite, & cum dignitate peragantur, qui choro deputati ſunt, præſertim vero manſionarii, ca-

(1) *Act. Mediol. Eccl. Diſciplina Chori Syn. Baptiſtelli. Syn. Ferrarien. Emi Matthei*
(2) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere. Syn. Guiccioli, Criſpi. Cantoni.* (3) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni.* (4) *Syn. Guiccioli, Criſpi.*

canendi artem diſcant neceſſe eſt , ne , ſi exceptum auribus concentum ſine ulla muſices peritia canant , extra tonos , & modulos vocibus evagentur . (1)

IX. Conſuetudinem recitandi in choro horas officii B. M. V. retineri volumus , & mandamus . Officium item Defunctorum , nec non pſalmi pœnitentiales , & graduales de more recitentur . (2)

X. Lectiones , & reſponſoria in choro recitaturi , ea diligenter prælegant , ne interſiſtentes , offenſanteſque , ſacra interpellent myſteria , & pſallentium devotionem perturbent . Si quid vero erroris inter pſallendum , aut legendum acciderit , id non a quibuſvis tumultuoſe , ſed a chori præfecto tantummodo corrigatur . (3)

XI. Divinorum officiorum nomine Miſſam conventualem comprehendi jure canonico erudimur . (4) Quare quibus in eccleſiis divina officia peragenda ſunt , in iis etiam Miſſa conventualis celebretur . Hanc in Metropolitana noſtra cum Diacono , & Subdiacono , juxta receptam conſuetudinem , quotidie decantari , & pro benefactoribns in genere applicari jubemus . Cum autem juxta generales rubricas , quarum exactiſsima cuſtodia Nobis commendatur , non una tantum ſtatis diebus , ſed binæ , atque etiam aliquando tres celebrari debeant , omnes prædicto ritu celebrari volumus ; liberam tamen ſecundæ , & tertiæ applicationem celebrantibus relinquentes ; dummodo in commemoratione pro defunctis , eccleſiæ benefactorum in genere non oblivifcantur . (5) Quæ autem pro defunctis in die Commemorationis omnium fidelium defunctorum Miſſa decantatur in Metro-

(1) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere* , *Syn. Criſpi* . (2) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni* , *Syn. Guiccioli* , *Cantoni* . (3) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere* , *Syn. Criſpi* . (4) *Can.* De his *diſt.* 12. (5) *Ben.* xiv. *Conſtit.* Cum ſemper oblata 19. *Aug.* 1744.

tropolitana noſtra, pro defunctis in genere applicetur, ſicut & aliæ, quæ pro defunctis pro prima die menſis non impedita juxta rubricas decantari conſueverunt. Sive vero una, ſive plures Miſſæ decantandæ fuerint, horam pro ſingulis in generalibus rubricis præſcriptam antevertere, vel protrahere nunquam liceat, contraria quacunque conſuetudine non obſtante. (1)

XII. Miſſæ, ac Veſperarum ſolemnia modo a Nobis, modo a Dignitatibus, & Canonicis erunt peragenda, ut inſpicienti tabulam in appendice recuſam (2) facile conſtabit. Horarum item pro recitatione divini officii in Metropolitana per annum diſtributionem, quæ in altera tabella exhibetur, (3) a Deceſſoribus noſtris indictam retineri, & inviolabiliter ſervari mandamus.

XIII. Quotquot ergo Metropolitanæ noſtræ choro ſe manciparunt, horis canonicis, ac Miſſæ conventuali adeſſe tenentur, *exceptis illis, quos infirmitas, ſeu juſta, & rationabilis corporalis neceſſitas, aut evidens Eccleſiæ utilitas excuſaret*. (4) Igitur morbo affecti, vel ætate confecti, & ad chori munia obeunda inepti; nec non corporali neceſſitate, juxta S. Congregationis Concilii interpretationes, & decreta, aſtricti; demum eccleſiæ ſuæ, vel capituli negotiis peragendis occupati, probata tamen prius a capitulo, & a Nobis recognita vera abſentiæ cauſa, ſi negotium inuſitatum fuerit, ut colluſiones quaſcunque, & illicitas remiſſiones prohibeamus, pro præſentibus habeantur. Quanquam autem univerſos ſuprarecenſitos juſtis de cauſis abeſſe contingat, diſtributionibus tamen quotidianis eos privandos eſſe,

(1) *S. Cong. Conc. in Fulginaten.* 17. *Decembr.* 1718., & 18. *Jul.* 1723. *Vid.* Braſchi *Promptuar. Syn. cap.* 88. *n.* 13., & 14. (2) *In Append. n. I.* (3) *In Append. n. II.* (4) *Boniſ.* VIII. *Cap.* Conſuetudinem *de Cler. non reſid. in 6.*

eſſe, ſi alias eccleſiæ inſervire minime conſueverunt, pluries eadem S. Congregatio decrevit. (1)

XIV. In evidentem Eccleſiæ utilitatem jure etiam a choro vacare cenſentur canonicus theologus pro tota die qua legit, (2) canonicus pœnitentiarius, nec non canonicus in locum pœnitentiarii ad audiendas confeſſiones ex neceſſitate, & legitima cauſa ab Ordinario deputatus, dum actu confeſſiones in eccleſia excipiunt: (3) quibus adde canonicum, aut beneficiatum curam animarum obtinentem in eccleſia, in qua canonicatu, vel beneficio potitur, ſi, quo tempore divina celebrantur officia, confeſſiones audiat, vel alia ad ipſam ſpectantia curam exerceat. Hi quotidianas diſtributiones jure capiunt ac ſi aliis in choro divina peragentibus jungerentur. (4)

XV. Eodem gaudebunt privilegio canonici, aliique omnes choro addicti, qui in domibus Presbyterorum Congregationis Miſſionis, vel alia pia, & regulari domo a Nobis deſignanda, & approbanda ſecedent ſpiritualibus exercitationibus operam daturi, obtenta tamen prius a Nobis licentia, nullatenus concedenda Adventus, & Quadrageſimæ tempore, ac in ſolemnioribus feſtivitatibus; nec unquam omnino omnibus ſimul canonicis, aliiſque choro inſervientibus, ſed eo adhibito modo, ut chori ſervitium nuſquam intermittatur. (5)

XVI. Veſtigiis Deceſſorum noſtrorum, nec non capitularibus conſtitutionibus, quas reformari, & recudi curavimus, inhærentes, eos etiam præſentes cenſeri patiemur,

qui

(1) *Apud Lambertin. Inſtit.* 107. §. 8. *n.* 47. *Conc. Prov. Rav. Boncompagni, Syn. Aldobrandini, Guiccioli*. (2) *S. Cong. apud Lambertin. Inſtit. cit.* §. 9. *n* 55. (3) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 8. *de Reform. S. Cong. apud Lambertin. loc. cit.* (4) *S. Cong. apud Lambertin. loc. cit. Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (5) *Encyclica S. Cong. Conc.* 1. *Febr.* 1710.

qui propinquorum uſque ad tertium gradum incluſive in urbe decedentium, alibi vero obeuntium uſque ad ſecundum, mortem deplorant; prius tamen petita a Nobis abſentiæ venia. (1)

XVII. Ad ſacerdotes vero quod attinet, qui Sacri privatim faciendi cauſa in Metropolitana noſtra divinorum officiorum tempore a choro diſcedunt, Nos, Sacræ Concilii Congregationis decretis, (2) Miſſarum celebrandarum numero, & eccleſiæ ſervitio rite perpenſis, novam methodum, hac ſuper re propoſitam, & noſtro Sacræ Viſitationis decreto 4. Jan. 1787. confirmatam, quam appendici ſubnecti juſſimus, (3) quaque celebrantium commodo, & fidelium, qui ad eccleſiam Sacrum audituri confluunt, pietati proſpectum eſſe, nullumque chori ſervitio præjudicium illatum iri confidimus, in morem deduci, & ſervari patiemur. Si quis autem ab hac regula diſceſſerit, ſibi ſubeundam eſſe punctationem certo ſciat.

XVIII. Canonici, aut Manſionarii, quibus hebdomadæ labor obvenerit, id muneris diligenter, & per ſe ipſos præſtare teneantur. Quod ſi juſto aliquo impedimento diſtenti fuerint, alios, qui ſuas ſuſcipiant vices, delegare non prætermittant. Manſionariis tamen Miſſam conventualem canentibus eleemoſynæ a communi maſſa capitulari perſolvantur. (4)

XIX. Trimeſtrem a choro vacationem, veteri Metropolitanæ noſtræ conſuetudini non repugnantem, annuente Tridentino, non improbamus. (5) Qui vero ultra tres menſes abfuerit, privabitur anno primo *dimidia parte fructuum, quos ratione etiam prabendæ, ac reſidentiæ fecit ſuos.* *Quod*

(1) *Syn. Criſpi, Guiccioli.* (2) *S. Cong. Conc. apud Lambertin. Inſtit.* 107. *n.* 74., 75., *&* 76., *& noviſſime in* Comen. 23. *Nov.* 1771. (3) *In Append. n. III.* (4) *Reſcript. Ben.* XIV. 20. *Jan.* 1746. (5) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.*

Quod ſi iterum eadem fuerit uſus negligentia, privabitur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit; creſcente vero contumacia, contra eum juxta ſacrorum Canonum conſtitutiones procedemus. (1)

XX. Ne vero, compluribus illorum ſimul abſentibus, chorum debita frequentia fraudari contingat, ſacræ Congregationis Concilii decreto cautum eſt, canonicos ultra tertiam partem uno eodemque tempore abeſſe non poſſe. Eodem ſacræ Congregationis decreto canonicis inhibetur, ne tempore Quadrageſimæ, & Adventus, nec non in amplioribus anni feſtivitatibus vacationibus utantur. (2) Harum feſtivitatum indiculus proſtat in appendice: (3) qui deſcriptis in eo diebus defuerint, duplici punctatione multabuntur. Huc etiam ſpectat, quod Deceſſorum noſtrorum ſanctionibus indicitur, ut nimirum canonici omnes feriarum æſtivarum tempore in urbe conſiſtentes, quibuſcunque diebus feſtis Miſſæ, aliiſque divinis officiis in choro ſe exhibeant; quod exactiſſime ſervari præcipimus. (4) Diſceſſuri vero, & extra diœceſim profecturi, licentiam a Nobis requirere ne prætermittant, quam facile impetrabunt, niſi temporis ratio aliud ſuaſerit. (5)

XXI. Ad inſtaurandam chori diſciplinæ obſervantiam non mediocriter collapſam, atque labefactatam, jam inde a ſæculo XII. diſtributiones conſtitutæ ſunt, quas veluti quotidianum panem acciperent aſſidui, amitterent tardi, ut quos panis interni dulcedo non movebat, corporei panis refectio provocaret. (6) Has igitur diſtributiones qui divinis officiis interſunt, vel pro præſentibus, ad juris formam, haberi debent, recipiant. Iis vero, qui ab injun-

(1) *Trid. loc. cit.* (2) *S. Cong. Conc. apud Lambertin. Inſtit.* 107. §. 6. *n.* 34. (3) *In Append. n. IV.* (4) *Syn. Aldobrandini, Syn. Guiccioli.* (5) *S. Cong. apud Lambertin. loc. cit. n.* 36. (6) *Apud Lambertin. Inſtit.* 107. §. 7.

ſto chori ſervitio, nulla legitima intercedente cauſa, ſe ſe ſubduxerint, ſeu alias in pſallendo, aut contra laudabilem chori diſciplinam juxta ſuperius dicta, ſacrorum canonum ſanctiones, ſynodales, & capitulares conſtitutiones quoquo modo deſecerint, quavis colluſione, aut remiſſione remota, omnino ſubtrahantur, (1) & deſervientium portionibus proportionabiliter accreſcant. (2)

XXII. Sed quamvis diſtributiones quotidianæ inductæ ſint, ut choro addicti ad perſolvendas horas canonicas promptiores, & alacriores convenirent, hi tamen cavebunt, ne eas ut ſui operis præcipuum finem intendant. Dei igitur gloriam, & obſequium potiſſimum ſpectent, juxta illud: *voluntarie ſacrificabo tibi*, *& confitebor nomini tuo*, *quoniam bonum eſt*.

XXIII. Canonicis, & manſionariis Metropolitanæ noſtræ, alter clericorum ordo ſuperadditur, qui manſionarii ſupranumerarii appellari conſueverunt. Hi peculiaribus conſtitutionibus gaudent, quibus bini hebdomadas facere, ac Miſſis ſolemnibus a manſionariis decantandis inſervire; ſinguli vero ſingulis diebus feſtis, aliiſque, quibus ab uno ex canonicis officium peragitur, choro intereſſe jubentur. Eas igitur inviolate cuſtodiant. Cætera, quæ ſuperius de pia in choro verſandi diſciplina, diviniſque officiis operandi ratione ediximus, ad ſe etiam pertinere exiſtimabunt.

XXIV. Quæ de canonicis, & manſionariis Metropolitanæ noſtræ modo dicta ſunt, iis etiam Collegiatas noſtræ diæceſis eccleſias affici decernimus, & declaramus; ſalvis tamen legitimis earum conſuetudinibus, peculiaribuſque ſtatutis, quæ ſarta tecta ſervari permittimus.

XXV. Una ſit omnibus juriſdictioni noſtræ ſubjectis pſal-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *cap.* 12. *de Reform.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 21. *cap.* 3. *de Reform.*

Digitized by Google

pſallendi ratio, exceptis tamen peculiaribus officiis, quæ aliquibus ex rubricarum præſcripto concedi ſolent. Quare Kalendarium juſſu noſtro quotannis cudendum, ſinguli, qui ad horas canonicas tenentur, ſibi comparare non prætermittant. (1)

CAPUT IX.

De Punctatoribus.

Quanquam ſuperiori capite attigimus, quæ choro addictos ſcire, & præſtare maxime oportet, ac decet, parum tamen ea utilitatis, & commodi allatura eſſe intelligimus, niſi Punctatores quod ſui muneris eſt integre, ac religioſe perſolverint.

II. Duo igitur quotannis, pro eccleſiæ conſuetudine, Punctatores ſecretis ſuffragiis a capitulo deligantur ex manſionariorum cætu, qui non ante ſibi commiſſum munus exerceant, quam a Nobis confirmati fuerit, & conſueto jurejurando coram Nobis, aut Vicario noſtro emittendo de eo fideliter obeundo ſe obſtrinxerint, (2) ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis. Hujus autem juramenti formula proſtat in appendice. (3)

III. Hæc autem punctandi ratio ex conſtitutionibus capitularibus ineatur. (4) Integro officio cujuslibet diei undecim punctationes reſpondeant. Laudibus, primæ, tertiæ, Miſſæ, ſextæ, nonæ, veſperis, & completorio octo punctationes, una videlicet ſingulis, & tres matutino, quæ ſic erunt diſtribuendæ: cuilibet nocturno, ſi tres nocturnos habe-

(1) *Syn. Ferretti, Criſpi, Guiccioli, Cantoni.* (2) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni, Syn. Aldobrandini, Capponi, Ferretti, Criſpi, Guiccioli, Cantoni, Sac. Cong. Conc.* (3) *In Append. n. I.* (4) *Conſtit. Capitular. n. 21., & 22.*

Digitized by Google

beat, una tribuatur; in hebdomada Paſchatis, & Pentecoſtes ſingulæ ſingulis pſalmis, & in officio trium lectionum, prima punctatio ſex prioribus pſalmis, altera ſex poſterioribus, tertia lectionibus aſſignetur. Qui choro aderunt in matutino poſt ultimam ſtrophen prioris hymni, in laudibus vero, prima, tertia, ſexta, nona, & veſperis poſt *gloria patri* prioris pſalmi, in completorio, expleta *confeſſione*, in Miſſa, primo *Kyrie* decantato, hi omnes pro abſentibus habeantur, & punctationem illi horæ reſpondentem patiantur. In amplioribus vero anni feſtivitatibus, quas ſuperiori capite commemoravimus, abſentes duplici punctatione, prout eodem loco cautum eſt, afficiantur.

IV. Non modo autem culpabilem iſtorum abſentiam notabunt Punctatores, ſed & quicquid præſentes contra conſtitutam chori diſciplinam, de qua præcedenti capite diſſeruimus, punctatione dignum admiſiſſe noverint. Caput illud attentius perlegant, atque perpendant, neque ſaluberrimas leges negligentia ſua jacere patiantur. (1)

V. Sine ulla prorſus perſonarum acceptione munere fungantur ſuo; nullius amore, vel odio, ſpe, aut metu aliquo moveantur, ſed ſumma cum religione, atque integritate jus unicuique ſuum tribuant. Si notandum prætermiſerint, vel injuria aliquem notaverint, reſtitutionis onus ipſi ſubeant. Ut autem omnis doli, aut erroris ſuſpicio propulſetur, palam, & publice in ipſo choro, & coram digniore perſona punctatio fiat, (2) cujus partes erunt punctationi tantum præeſſe, minime vero de ea judicium ferre. Si quis vero ſe non ſuo merito punctationem ſubiiſſe contendat, rem ad præfectum chori illius diei, in qua pun-

(1) *Conc. Prov. Boncompagni, Syn. Aldobrandini, Capponi, Ferretti, Criſpi, Guiccioli, Cantoni.* (2) *Syn. Capponi, Ferretti.*

punctationem ſubiit, tum, ſi opus fuerit, ad Capitulum, poſtremo ad Nos deferat cognoſcendam. Punctationem ſemel in libro adſcriptam, eo inconſulto, qui huic punctationi præfuit, nulla unquam ex cauſa delere audeant Punctatores. Punctationum libros clavi cuſtodiant, ſerventque, ne a quoquam adulterari, aut corrumpi ullo modo contingat; quinimo ne eos quidem a nemine legi, non impetrata a chori præfecto venia, patiantur. Eos autem, quoties requiſiti fuerit, ad Nos afferre non prætermittant. (1) Si qua in re dolo, aut fraude eos ab officio aberraſſe compertum fuerit, juſtas ab eis pœnas repoſcemus.

CAPUT X.

De Cæremoniarum Magiſtro.

I. Cæremoniarum Magiſtri officium, & cura in eo verſatur, ut exterioris, qui Deo tribuitur, cultus diſciplinam regat, & moderetur. Sacrorum itaque rituum ſtudio vacet; ſingula, quæ in Pontificali, Cæremoniali, Rituali Romano, Miſſali, & Breviario præſcribuntur, quæque a S. Rituum Congregatione ſtatuta ſunt, prompta, percepta, notaque habeat, ut ad eorum normam omnia recte, & rite dirigantur, ac peragantur. Sacris functionibus, quibus adeſſe debet, ne ſuam patiatur præſentiam deſiderari. Singula tempori inſpiciet, atque parabit, quæ ſacris myſteriis cum dignitate obeundis ſunt neceſſaria. Huic diſciplinæ duci, atque magiſtro, Nobis præſertim exemplo præeuntibus, univerſos dicto audientes eſſe jubemus, ſub arbitrii noſtri pœna. Sui quoque muneris erit, ſacerdotes pri-

(1) *Synodi laudata.*

primo ſacrificaturos in ritibus, & cæremoniis, quæ ad privatum Sacrificium pertinent, inſtituere, & probe edoctos cum ſcripto idoneitatis teſtimonio dimittere: quin, ſi expedire judicaverit, prima etiam, vel ſecunda vice Sacrum peragentibus adeſſe non recuſabit.

CAPUT XI.

De Manſionariis, Cimeliarcha, & Æedituis.

I. UT chori frequentiæ, & divinorum officiorum celebritati conſuleretur, Manſionarios adjutores, atque cooperatores adſcivit Eccleſia. Quæ ergo de reſidendi onere, de horis canonicis in choro perſolvendis, aliiſque divinis muneribus obeundis ſuperius delibavimus, (1) ea non modo memoriæ mandare, ſed & re exequi curabunt.

II. Inter cæteros aliquis in canendi arte peritior ſemper deputetur, qui præcinendo aliis magiſter præſit, quique aliorum voces moderetur, regatque, ut neque nimis remiſſæ non intelligantur, neque nimis elatæ aures fatigent, ſed ita omnes apte temperentur, ut dulciſona modulatione ſingulorum animos ad pietatem, & religionem erigant, atque attollant. (2)

III. Omnibus functionibus, quibus totum intereſſe capitulum debet, præſentes eſſe nunquam detrectent. (3) Munera ipſis a capitulo de more demandata, niſi juſta, gravique cauſa intercedente, ab eodem capitulo, vel a Nobis approbanda, nunquam rejiciant.

IV. Adminiſtrationi, & conſervationi rerum tam immo-

(1) *Cap. VIII. hujus Partis*. (2) *Syn. Aldobrandini*, *Syn. Capponi*, *Ferretti*. (3) *S. Cong. Conc. 17. Jul. 1595.*

mobilium, quam mobilium ſedulo advigilet Metropolitanæ noſtræ Cimeliarcha. Bona adminiſtret, canones exigat, expendat utiliter. Sacrarium, ut neceſſaria ſupellectile inſtruatur, operam dabit, eamque commodari, diſtrahi, aut ab aliis conſumi non patiatur. Decorem diligat Domus Dei: hanc ſæpe perverri, ac pulvere, omnique ſorde purgari jubebit; altaria, pro feſtorum qualitate, decentius veſtienda, ornandaque; linteam præſertim ſupellectilem, qua Sacerdotes ſacrificando utuntur, ſæpe abluendam, mutandam, quo candidior ſemper habeatur, curabit. Huic inferiores omnes ſacrarii miniſtros parere, dictoque audientes eſſe jubemus.

V. Æditui ſacræ ſupellectilis cuſtodiæ præſint. Ut ſtatis horis ſignum ære campano pro divinis perſolvendis officiis detur, in choro ut omnia ad pſallendum neceſſaria parata ſint, Miſſæ ut partitis, diſtributiſque intervallis celebrentur, quo fidelium commodo conſultum ſit, curabunt. Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta petentibus præſto adſint: clericos eccleſiæ inſervientes, ut alacrius muneribus fungantur ſuis, opportune excitabunt: omnia denique, quæ ad eccleſiæ cultum, & divinorum officiorum decorem quoquo modo pertinere videbuntur, ſummo ſtudio, & diligentia, quanta poterunt, maxima exequantur. (1)

CAPUT XII.

De Muſicis, & Organo.

I. PIæ, ac religioſæ vocis modulationi, qua rerum omnium conditori Deo honoris, & laudis debitum perſolvimus, Organi, aliorumque inſtrumentorum uſus adjectus

(1) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.*

ctus eſt, ut audientium mentes ſacrorum carminum ſenſus facilius perciperent, & ad ſpiritualium rerum contemplationem aſſurgerent.

II. Cantores autem, & fidicines omnino cavere debent, ne profani quicquam, aut laſcivi modulentur. (1) Sacra itaque canant, eaque canendo a mollibus, & effeminatis modis, exquiſitisque vocum flexionibus, & numeris ita temperent, ut, admixta gravitati ſuavitate, non prurire fidelium auribus, ſed pios in Deum affectus excitare ſtudeant.

III. Habenda quoque erit inſtrumentorum ratio, quæ in templis ad divina officia peragenda, divinaſque laudes celebrandas adhibebuntur; ut enim ea permittemus, quæ ad corroborandas, ſuſtinendaſque canentium voces inſerviunt, & quorum ſonus ejuſmodi ſit, ut cantum juvet, non opprimat, ita ea omnino interdicimus, quæ muſicam theatralem efficiunt, quæque puerilem in nobis potius hilaritatem, quam gravem erga ſacra myſteria venerationem excitant. (2)

IV. In Miſſis, & officiis defunctorum, nec non diebus Adventus, & Quadrageſimæ, feſtis duntaxat Sanctorum exceptis, Organa ſileant; nec alia quæcunque muſica inſtrumenta pulſentur. Dominica tamen tertia Adventus, dicta *Gaudete*, & quarta Quadrageſimæ, nuncupata *Lætare* pulſare organa permiſſum eſt in Miſſa tantum conventuali, (3) ſed dum ſymbolum fidei canitur, ne ſe organum intermiſceat, quo alterni ejuſdem verſiculi ſupprimantur. (4)

V.

(1) *Extravagant.* Docta *de vita, & honeſtate Cleric. Edict. Alex.* VII. *an.* 1665. *Conc. Trid. Seſs.* 22. *decret. de obſervand. & evitand. in celeb. Miſſ. Conc. Rom. Tit.* 15. *cap.* 6. (2) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Annus qui 19. *Febr.* 1749. §. 11. (3) *Conc. Rom. loc. cit.* (4) *Cærem. Ep. lib.* 1. *Cap.* 28. §. 10.

V. Omnia quidem in majori hebdomada, qua dominicæ paſſionis myſteria recoluntur, triſtia, ac funeſta eſſe decet: at ſicubi conſuetudine receptum ſit, ut matutinæ ejus temporis horæ cantuum varietate, & inſtrumentorum ſono celebrentur, eum morem non improbamus; tantum contendimus, ut muſices ratio ea ſit, quæ flebilibus modis mœrentis Eccleſiæ lacrymas proſequatur.

VI. Ne in eccleſiis, aut oratoriis publicis, quacunque contraria conſuetudine non obſtante, quicquam italica, aut vernacula lingua canatur, quantumvis cantiunculæ, & verba ſpiritualia forent, Sacræ Congregationis decreto cautum eſt. (1)

VII. Muſicam in exterioribus Monialium eccleſiis, ſolemnioribus præſertim diebus, ubi hoc conſuetudine receptum ſit, tolerabimus; ubi vero hoc in more poſitum non eſt, admitti, & induci prorſus vetamus. (2)

VIII. Clericos, qui divinis officiis modulandis in Metropolitana noſtra ſtipendia faciunt, talari veſte, & ſuperpelliceo indutos organa conſcendere jubemus.

IX. Dum ſuo funguntur officio, a riſu, jocis, & inanium rerum colloquiis omnes abſtineant, ac muſices moderatori, ſeu magiſtro obtemperent. Qui ſtatis diebus ſuo muneri defuerint, ex eorum mercede portio aliqua detrahatur; eademque ratio quoad muſices magiſtrum, organorum pulſatorem, alioſque ſervetur, quo majori in ſuis officiis ſollicitudine utantur, (3)

(1) *S. Cong. Rit. 2. Sept. 1605.* (2) *S. Cong. Ep. in* Neapolit. 10. *Nov.* 1582.
(3) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere. Syn. Aldobrandini, Capponi, & Criſpi.*

CAPUT XIII.

De Capitulo Metropolitanæ Eccleſiæ, & Collegiatarum.

I. QUæ de vita, & honeſtate Clericorum, de horis canonicis, aliiſque divinis officiis in choro perſolvendis, celebrandiſque ſuperius ediximus, tamquam ſibi præcipue imperata canonici exequantur; ut qui vel ſola ſui nominis ſignificatione totius cleri regula conſtituuntur, (1) quique ad præſtantiores eccleſiæ noſtræ gradus evecti, coadjutores, (2) & conſiliarii (3) noſtri, ac eccleſiæ ejuſdem noſtræ ſenatus (4) dicuntur, infularum inſuper, & pontificalium inſignibus decorantur, non modo accurata ſacrorum canonum, & legum noſtrarum cuſtodia, morum integritate, ac præclaro virtutum omnium ſpecimine cæteris præfulgeant, ſed & ſpectatiſſimi ſui ordinis nobilitatem ſuis illuſtrare laudibus, & majori in dies recte factorum acceſſione cumulare ſtudeant. Ut vero nonnulla alia, quæ ſui item muneris partes ſunt, præ oculis habeant, riteque perſolvant, hæc, quæ ſequuntur, ſtatuenda eſſe duximus.

II. Studiis literarum ſedulo vacent, ut eam ſibi ſcientiam comparent, quæ ad ſuſcepti officii, & miniſterii munera rite obeunda deſideratur; memores Tridentinos Patres gravibus verbis cohortari, ut *dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars canonicatuum in Cathedralibus Eccleſiis, & Collegiatis inſignibus conferantur tantum Magiſtris, vel Doctoribus, aut Licentiatis in Theologia, vel Jure canonico*. Divina officia per ſe, non per ſubſtitutos obeant, Nobiſque cele-

(1) *Cap.* Canon *diſt.* 3. (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 24. *de Reform. cap.* 12. (3) *Ben.* XIV. *de Syn. diœceſ. l.* 13. *cap.* 1. *n.* 5. (4) *Conc. Trid. loc. cit.*

lebrantibus, aut alia Pontificalia exercentibus adſiſtere, & inſervire teneantur. (1)

III. Pontificalibus, quibus Apoſtolicæ Sedis favore inſigniti ſunt, pro libito ne utantur. A dierum, quibus eorum indulgetur uſus, indiculo, in appendice relato, (2) ne diſcedant, abſque noſtra licentia, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis.

IV. Singulis menſibus, vel etiam ſæpius, ſi res poſtulabit, capitulariter congregentur, (3) non tamen die feſto, (4) neque divinorum officiorum tempore, niſi urgens negotium repente inciderit, quod differri poſt completum officium non poſſit. (5) Omnes canonici, qui ferendi ſuffragii jure gaudent, quique in urbe erunt, tempori evocentur; quod ni fiat, quicquid ſtatutum, & præſcriptum fuerit, irritum, ac inane fore declaramus. Qui non juſto aliquo impedimento detenti adeſſe recuſaverint, vel, nondum dimiſſo capitulo, diſceſſerint, nulla ab eo, qui præerit, impetrata venia, unius diei punctationem ſubibunt. (6) Licet autem minor tantum eorum, qui invitati fuerint, pars capitulo interfuerit, ejus tamen acta legitima cenſeantur. (7) Si qua res gravioris momenti in deliberationem adducta unico congreſſu expediri nequeat, ea in aliud capitulum maturius excutienda, decernendaque reſervetur. (8) Si forte cujuſpiam canonici negotium in medium proponatur, eum a capitulo abſcedere, niſi de officialibus eligendis agatur, præfectus moneat: ſi exire renuat, capitulum dimittat. Capitulum ingreſſi in proprio quiſ-

(1) *Conc. Trid. loc. cit.* (2) *In Append. n. I.* (3) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni.* (4) *Conc. Prov. cit. S. Cong. Conc. in* Meliteнſi 1602. *In* Adrianenſi 1622. (5) *Conc. Prov. cit. Syn. diœceſ. Rav. fere omnes.* (6) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.* (7) *S. Cong. Conc. in* Milet. 22. *Nov.* 1657. & 20. *Sept.* 1698. *Syn. Criſpi, Guiccioli, Cantoni.* (8) *Conc. Prov. Rav. cit.*

Digitized by Google

quiſque loco conſidentes, conſueta formula ab eo, qui præeſt, recitata, Deum exorent, ut quæ ei ſunt placita, exequantur. De rebus in medium allatis ſuam cuique proferre ſententiam liceat, dum id moderate, & reverenter fiat. Dicentem nemo interpellet, non clamoribus obſtrepat, jurgia, convicia, ſcurriliſque dicacitas ejus loci, actioniſque gravitati repugnantia, penitus conticeſcant. Qui vero per ſummam impudentiam hujus decreti præſcriptum contemnere non verebuntur, ingreſſu capituli per annum prohibebuntur, ſeveriores etiam pœnas daturi, quas delicti, & ſcandali qualitas poſtulabit. (1) Quicquid a capitulo, aliter quam latis occulte ſuffragiis, definitum, ſtatutumque fuerit, nullius roboris fore decernimus. (2) Cancellarius autem, ſeu actuarius cujuſcunque capituli conſulta, & deliberationes in acta fideliter referat, adjuncto capti conſilii anno, menſe, & die.

V. In officialibus deligendis ne ſe ullo partium ſtudio, præjudicatiſque opinionibns, non importunis ambientium precibus, vel fautorum ſuggeſtionibus ferri patiantur, ſed eccleſiæ ſuæ commoda, utilitatemque reſpiciant. Officia quiſque ſibi a capitulo demandata alacriter ſuſcipiat, curetque diligentiſſime. Nemo ſibi impoſito oneri ſe ſubducat, niſi ejus excuſationem per occulta ſuffragia capitulum acceperit, vel Nos, re cognita, probaverimus. Ut autem capitulum a divinæ opis imploratione incipiendum eſt, ſic decet illud cum gratiarum actione concludi.

VI. Quicquid in capitulo actum, dictumque fuerit, quominus evulgent jurisjurandi religione ſe ſciant eſſe prohibitos. Si quid tamen auctoritate noſtra emendandum, corri-

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni. Syn. diœc. Rav. omnes.* (2) *S. Cong. Conc.* 1608. *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.*

rigendumque cognoverint, id abſque ulla hæſitatione Nobis renuntiabunt. (1)

VII. Sacris concionibus unius pietatis, & religionis inſtinctu ita frequentes adſint, ac ſi ipſis abſentibus punctatio ſubeunda eſſet. Quatuor ſolemnioribus Supplicationibus, quæ in Dominica Palmarum, in Feſto Corporis Chriſti, in ejus octava, nec non in pervigilio S. Apollinaris primi hujuſce civitatis patroni fiunt, minus etiam ſolemnibus S. Marci, Rogationum, & cum Arca Sanctorum Ravennæ, omnes, quotquot choro mancipati ſunt, dignitates, canonici, manſionarii, ſupranumerarii, intereſſe jubemus. Abſentes, niſi ex juſta cauſa, a ſolemnioribus, diſtributione unius diei, a minus ſolemnibus, diſtributione matutino cum laudibus, & prima reſpondente, quaque vice multabuntur.

VIII. Omnes qui in Metropolitana noſtra dignitates, vel canonicatus obtinuerint, orthodoxæ ſuæ Fidei profeſſionem tam coram Nobis, aut Vicario noſtro generali, quam in capitulo intra bimeſtre a die captæ poſſeſſionis per ſe, ut ſuperius ediximus, (2) emittant. (3) Conſtitutiones autem capitulares, quarum obſervantiam, adjecto jurejurando deſponderunt, quod & a ſucceſſoribus inpoſterum præſtari volumus, religioſe cuſtodiant.

IX. Quæ de dignitatibus, & canonicis Metropolitanæ noſtræ ſtatuimus, collegiatarum noſtræ diœceſis canonici ad ſe etiam pertinere intelligant, ſalvis tamen earum legibus, & inſtitutis, quæ vel probata induxit conſuetudo, vel Deceſſorum noſtrorum decreta confirmarunt. (4)

X. Illud vero tum Metropolitanæ noſtræ, tum collegiatarum canonicos expreſſe meminiſſe volumus, ſub ſuſpenſio-

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni. Syn. Ferretti, Syn. Cantoni.* (2) *Parte I. Cap. I.* (3) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. de Reform. cap. 12.* (4) *Syn. Guiccioli.*

ſionis pœna, ipſo facto per ſingulos capitulares incurrenda, vetitum eſſe, protectorem cujuſvis gradus, conditionis, vel dignitatis, ſpecialiſſima quoque, ac individuali mentione indigentis, ac etiam Cardinalatus honore præfulgentem ſibi eligere, conſuetudine etiam centenaria, vel immemorabili minime ſuffragante. (1)

CAPUT XIV.

De Parochis, eorumque munere.

I. ANimarum gubernationi, quam artium artem ab Angelico Doctore, (2) munuſque angelicis humeris formidandum a Tridentinis Patribus (3) haud immerito appellari novimus, arcana divini conſilii diſpenſatione præpoſitos, & tanti oneris magnitudine, cum noſtrarum imbecillitate virium comparata, vehementer commotos, ac perterrefactos, tot hic coaleſcentium miniſtrorum conſpectus, quos inter Eccleſiæ huic noſtræ ſingulari Pii VI. P. O. M. beneficio ſuperioribus annis adſcitos (4) intuemur, Nos mirum in modum recreat, atque confirmat. Quo autem præſtantiſſimi muneris partes ſanctius, atque facilius exequantur, nonnulla hic tamquam ſumma, & præcipua capita duximus ſubnectenda.

II. Paſcendis dominicis ovibus admoti, Joannis verba attenta mentis conſideratione revolventes: *Bonus Paſtor animam ſuam dat pro ovibus ſuis*, (5) nulli ſtudio parcant, nullum laborem ſubterfugiant, omnia ſibi pro animarum, quibus præpoſiti ſunt, ſalute ſtatuant perferenda. Probos

ma-

(1) *Encyclica S. Cong. Conc.* 24. *Febr.* 1728. *de mandat. Ben.* XIII. (2) *S. Thom. in ep. ad Hebr. c.* 13. (3) *Conc. Trid. ſeſſ.* 6. *de Reform. cap.* 1. (4) *Bulla ſeparationis ſeptem Parochialium a Diœceſi Faventina in Append. n. I.* (5) *Joan. cap.* 10.

Digitized by Google

magis magiſque ad virtutem excitent, aberrantes reducant. Blaſphemos, perjuros, alioſque palam criminoſos arguendo, obſecrando, increpando in omni patientia Chriſto conentur lucrifacere; dum vero ſe paternis monitionibus nihil proficere intellexerint, eorum nomina ad Nos deferant, qui quod noſtri officii ratio poſtulabit, non prætermittemus. Turpes, & famoſas fœminas, mox ut paræciæ limen intraſſe cognoverint, ne harum aſpectus, & conſuetudo noceat, re etiam ad Nos, ubi opus fuerit, delata, a ſuis amovendas, & ejiciendas finibus ſtatim curabunt. Improbos, ac depravatos mores, obſcænos amores acrius inſectentur, ſcandala coerceant. Inter ſe diſsidentibus, odia, & inimicitias gerentibus pacificatores accedant, & mutuam inter omnes animorum conjunctionem foveant. Studeant viduarum defenſioni, puellarum pudicitiæ, parentum concordiæ, pupillorum utilitati. Egenos, eoſque præſertim, qui ab ſtipe quæritanda pudore deterrentur, qua poterunt, ope juvabunt; quibus ipſi re ſubvenire pro ſuis facultatibus nequibunt, iis ſubſidia ut ab aliis præſtentur ſtudioſe curabunt: omnibus omnia facti, conſilio, opera præſto ſint, nullaque re deſint, quæ ad animæ, corporiſque neceſſitates ſublevandas quoquomodo pertinere videatur. Pueros, atque adultos chriſtianæ fidei elementis imbuant; idque ut parentes erga filios, domini erga ſervos præſtent, paſtorali vigilantia provideant, & ipſorum curæ, fideique concreditum gregem divini Verbi pabulo alant, & nutriant, eorum memores, quæ ſuis loco, & tempore (1) de duplici hoc Parochorum munere ediximus; neque aut auditorum paucitate, vel aliorum in proximis eccleſiis ſacras conciones habentium copia, vel alia quavis excuſatione, & prætextu, quæ ſuarum par-

(1) *Cap. II., & Cap. III. Partis I.*

partium adeo ſunt, prætermittant. (1) In omnibus autem ſe præbeant exemplum bonorum operum: ſobrii, juſti, ſancti, irreprehenſibiles ſint, ne in opprobrium incidant, utque exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, utiliter arguere poſſint. Quæ igitur de vita, & honeſtate clericorum generatim vulgavimus, in ſe ipſis perficiant, & compleant, ut gravitate, ac religione morum aliis præeuntes, animarum rectores, & duces jure meritoque appellentur.

III. Appetente paſchali tempore, ſingulis annis animarum ſuæ quiſque curæ ſubjectarum numerum Parochi ineant; nomina, cognomina, ſexum, ætatem cujuſque recenſeant, notent quinam confirmati, quinam confeſſi, quinam ſacra communione refecti, quot Sacerdotes, quot Clerici, omniaque in librum hujus rei cauſa comparatum referant, quem *Status Animarum* inſcribant. Hujus ſtatus animarum compendium ſingulis annis, de more, ad curiam noſtram afferendum curabunt. Parochi vero diœceſis Nobis inſuper per literas ſignificare non prætermittant, presbyterorum, & clericorum in ſuis paræciis commorantium nomina, quænam ſit tam eorum, quam laicorum vivendi ratio, an ullæ irrepſerint corruptelæ.

IV. Promptos ſe ſemper, ac paratos ad Sacramenta miniſtranda præbeant Parochi. Pœnitentiæ Sacramentum petentes paterna charitate excipiant, invitos alliciant. Dominicis ſaltem diebus, aliiſque feſtis, etiam non accerſiti, in confeſſionali ſede congruo temporis ſpatio ultro immorentur.

V. Ægrotos, præſertim in vitæ diſcrimen adductos, frequenter inviſant, ſolentur, ad morbi moleſtias patienter pro Dei amore perferendas adhortentur, ad actus fidei, ſpei, charitatis, aliarumque virtutum identidem eliciendos excitent,

(1) *Inn.* XIII. *Conſtit.* Apoſtolici miniſterii. *Lambertin. Inſtit.* 10.

tent, & Sacramentis opportune reficiant. Dum vero eos in ipſo jam vitæ occaſu verſari, iiſque poſtremam imminere horam intellexerint, tum maxime iis præſto eſſe, opem ferre, plenariam indulgentiam in mortis articulo elargiri, piis precationibus eorum animas Deo commendare, & extrema paterni amoris officia perſolvere non prætermittant: quod ſi diutius eos cum morte luctari contigerit, aliorum ſacerdotum auxilium exquirant, quibuſcum in agone laborantibus alterna vice conſtanter adſint, eoſque paterna charitate ad uſque vitæ exitum proſequantur (1). Quoniam autem deteſtanda domeſticorum incuria non raro accidiſſe accepimus, ut ægroti omni prorſus Sacramentorum præſidio deſtituti ex hac vita migraverint, huic incommodo pro viribus occurrant Parochi, ſideles gravibus verbis identidem commonefacientes, ut, cum eorum aliquem infirmari contigerit, id ſibi incunctanter denuntient. Eorum, qui vita exceſſerint, nomen, cognomen, ætatem, patriam, ſtatum, morbi genus, quo occubuere, an, & quibus Sacramentis refecti fuerint, an plenaria indulgentia in mortis articulo ditati, in libro ad hanc rem confecto, cui titulum addant *Liber Defunctorum*, accurate recenſeant.

VI. Correptum morbo Parochum ſive urbanum, ſive diœceſanum, is, qui vicinior eſt, conveniet, quaque poterit ope juvabit. Ægrotantis vicem in animarum cura, ſi opus fuerit, ipſe ſubeat, atque interim Nos de ejus adverſa valetudine certiores faciat. Graviter decumbenti ipſe vicinior Parochus Sacramenta miniſtrabit, morienti aderit, ejuſque animam piis precibus fraterna charitate Deo commendabit. (2) Eo defuncto, vicarius foraneus in diœ-

 ceſi,

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni de Sacram. Extrem. Unct. cap.* 2. (2) *Conc. Prov. Rav. cit.*

Digitized by Google

ceſi, vel Parochus vicinior in urbe, rem ad Nos confeſtim deferat. Qui vero vacantis paræciæ œconomus conſtitutus fuerit, ejus incolas hortabitur, ut eum viduatæ eccleſiæ paſtorem, fuſis ad Deum precibus, ſtudeant impetrare, qui illius curæ recte, ſancteque gerendæ idoneus reperiatur. (1)

VII. Quibus animarum cura commiſſa eſt, iis divino præcepto mandatum eſt pro illis Sacrificium offerre. (2) Huic oneri ſatisfactum noverint, ſi Miſſæ Sacrificium dominicis, aliiſque per annum diebus feſtis de præcepto pro populo celebraverint, & applicaverint. Eodem onere adſtringuntur vicarii, ſeu œconomi eccleſiarum vacantium, ac demum ii, qui tamquam vicarii, ſive perpetui, ſive ad tempus conſtituti animarum curam adminiſtrant. Ne vero cum iis ſevere nimis agere videamur, quibus adeo exigua res eſt, ut ferme ex eleemoſynis, quas a fidelibus pro miſſarum celebratione accipiunt, vivere cogantur, Nos illorum inopiam ſummopere miſerantes, cum iis, quos revera tales eſſe noverimus, opportune diſpenſabimus ad hoc, ut etiam diebus feſtis eleemoſynam ab aliquo pio offerente accipere, & pro ipſo Sacrificium applicare, quatenus hoc ab eo requiratur, libere, & licite poſſint, & valeant; duplici tamen adjecta conditione, ſcilicet, ut Miſſa in eccleſia parochiali celebretur, utque tot Miſſas infra hebdomadam pro populo applicent, quot diebus feſtis infra eamdem hebdomadam occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint. (3) Dies vero, quibus pro populo applicaverint, in peculiari libro adnotare ne prætermittant, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis. (4) Si Paro-

(1) *Conc. Prov. Rav. cit.*, *Syn. Criſpi*. (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1. (3) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Cum ſemper oblatas 19. *Aug.* 1744. *Lambertin. Inſtit.* 10. (4) *Lambertin. Inſtit. cit. Braſchi Promptuar. Synod. cap.* 107. *n.* 28.

rochum die feſto ad aliam eccleſiam celebrandi cauſa commigrare contingat, alius ab eo ſacerdos, qui in parochiali Sacrum faciat, & divini Verbi prædicatione populum paſcat, deſignetur. In ſolemnioribus vero feſtivitatibus, videlicet Nativitatis Domini cum tribus ſequentibus diebus, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Aſſumptionis B. M. V., & omnium Sanctorum, necnon tribus diebus Paſchatis, & Pentecoſtes, mane a propria paræcia nunquam diſcedant, ſub pœnis arbitrio noſtro inſerendis. Præter eos dies, quibus pro populo applicare jubentur animarum Curatores, aliis etiam per hebdomadam diebus, atque adeo frequenter, ut ſuo muneri ſatisfaciant, celebrabunt. (1)

VIII. Quoniam omnibus animarum Rectoribus mandatum eſt, ut per ſe ipſos earum curam exerceant, (2) damnanda prorſus eſt eorum ſocordia, qui ardua quæque in vicarium, ſeu capellanum rejicientes, otio ipſi indulgent, ut alieni potius laboris ſpectatores, quam eccleſiæ Rectores eſſe videantur. Munera igitur ſibi, ſuæque fidei concredita, ea qua decet religione, ac animi alacritate ipſimet obeant, ut & divinam ultionem, & graviſſimam ſacrorum canonum animadverſionem effugiant. (3) Quanquam enim capellanos habere iis liceat, immo vero, ubi frequentia populi id exigit, neceſſe ſit, ipſi tamen per ſe ipſos populum ſibi in curam cuſtodiamque traditum, quantum cujuſque vires ferre poterunt, paſcere non recuſent, aut negligant. (4) Neminem autem, quamvis alioquin ad audiendas confeſſiones approbatum, Nobis non annuentibus, ad capellani munus aſſumant.

IX. Ut vero multiplicem illam, & aſſiduam, quam debent,

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de Reform. cap. 14.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. 7. de Reform. cap. 3.* (3) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere. Conc. Prov. Rav. Boncompagni.* (4) *Apud Lambertin. Inſtit. 17.*

bent, commiſſis ſibi ovibus ſollicitudinem impendant, Parochis inhibemus, ne quodvis onus ſuſcipiant, quo a ſuis muneribus quoquo modo abducantur, (1)

X. Si quando ultimas fidelium voluntates, poſtulante neceſſitate, Parochus excepturus ſit, binos ad id teſtes adhibeat, quod etiam ſervetur, ſi ordinarius teſtatoris confeſſarius teſtamentum excipiat: at ſi capellanus, vel alius extra ordinem confeſſarius evocetur, tres teſtes requiruntur. In excipiendis autem hujuſmodi fidelium ultimis voluntatibus, formulam, quæ in appendice proſtat, (2) ſinguli ob oculos ſibi proponant, ex ejuſque ratione rem totam conficiant.

XI. Eccleſiaſticas functiones, quæ ad augendum Dei, Sanctorumque cultum, ac populorum religionem excitandam, ſive lege, ſive probata conſuetudine in unaquaque paræcia inductæ ſunt, quo decet ritu, & apparatu in ſuis quiſque eccleſiis Parochi peragant. Sanctum, cujus nomini ecclesia dicata eſt, tamquam totius paræciæ Angelum tutelarem ſummo religionis obſequio proſequantur, utque omnes ejus incolæ pari cultu revereantur, curabunt. Ejus diei feſtum maxima, qua poterunt, celebritate peragant. Ab effuſis tamen, & ad luxum, voluptatemque inſtructis conviviis agitandis prorſus temperabunt, ne alendis potius ſe ipſis, quam paſcendo gregi intenti eſſe videantur; ſed vulgari, & communi cibo utantur, nec unquam frugalitatis, & temperantiæ terminos prætergrediantur. Choreæ, ſaltationes, ludi, & inconditæ lætitiæ ſtrepitus non modo a Parochorum ædibus, ſed a totius etiam paræciæ finibus longiſſime abſint.

XII. Eccleſiæ quiſque ſuæ, cui veluti ſponſæ ſociantur, decorem diligant Parochi, in eaque excolenda, ornan-

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni. Syn. Criſpi, Syn. Guiccioli.* (2) *In Append. n. II.*

nandaque omne ſtudium adhibeant. Sacram ſupellectilem ad eccleſiaſtica miniſteria rite obeunda requiſitam, ſi minus pretioſam, ſaltem mundam, ac decentem, ſibi nunquam deeſſe patiantur.

XIII. Quæ ipſis inter Miſſarum ſolemnia ab eccleſiaſtica auctoritate promulganda proponuntur, edicere ne prætermittant: cætera non item, niſi noſtra, vel Vicarii noſtri generalis facultas accedat.

XIV. Quicquid a paſtoralibus curis ſupererit temporis, ſacris ſtudiis impendant, quo ſibi, ſuiſque ovibus regendis aptiores in dies evadant. Quare libros ſibi neceſſarios, & utiles comparabunt, præſertim vero Sacram Scripturam, Concilium Tridentinum, Catechiſmum Romanum, aliquem moralis theologiæ, & ſacrorum canonum tractatorem, & Synodum hanc noſtram, quam inter libros ad eccleſiam pertinentes recenſeant.

XV. Ad frequentem Pœnitentiæ, & Communionis uſum oves ſuas allicere, & cohortari nunquam ceſſabunt Parochi, uberrimos fructus, maximaſque utilitates, quas ex horum Sacramentorum crebra iteratione conſequimur, commemorantes, docenteſque, qua ratione præparari recipientium animos oporteat, ut præclariſſimis hiſce donis cumulari mereantur.

XVI. Cum tot, tantaque Parochis incumbant onera, quæ ab iis, qui gregem mercenariorum more deſerunt, impleri non poſſunt, jure meritoque Tridentini Patres decretum de reſidentia in Conciliis Epiſcopalibus publicari mandarunt, ut quæ adeo ex paſtorum munere, animarumque ſalute ſunt, ea omnium auribus, mentibuſque altius infigerentur. (1) Quotquot ergo animarum curæ præpoſiti ſunt,

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 23. de Reform. cap. 1.*

ſunt, ad perſonalem in parochialibus ædibus reſidentiam ſe teneri ſciant. Huic porro reſidentiæ legi non ſatisfieri a parochiarum ruralium Rectoribus, qui tam diurno, quam nocturno tempore in urbe jugiter commorantur, exceptis ſolis diebus feſtis, quibus ad proprias parochias ſe conferunt; neque ab iis, qui, nocturno cæteroquin tempore reſidentes, Miſſa ſummo mane celebrata, urbem petunt, in eaque diurno tempore totius, vel majoris partis anni permanent, vel e contra, quamvis paſcendis, regendiſque ovibus ſubſtitutum ab iis deputatum relinquant, Sacra Concilii Congregatio declaravit. (1) Si ædes hujuſmodi corruere, vel inſtaurari contingat, domum intra paræciæ fines, & eccleſiæ, quam fieri poterit, propiorem, unde commode injuncto ſibi oneri ſatisfacere poſſint, conducant. Nobis tamen inconſultis nihil innovetur. (2) Juſtam & rationabilem extra parochiam abeundi cauſam habentes, hanc ſciant nullo ſibi pacto ſuffragari, niſi a Nobis ante cognita, & probata fuerit, expreſſam diſcedendi licentiam in ſcriptis, gratiſque concedendam obtinuerint, & idoneum vicarium, a Nobis approbandum, cum debita mercedis aſſignatione reliquerint. (3) Hanc diſcedendi licentiam, ultra bimeſtre, niſi gravis cauſa intercedat, non obtinebunt. (4) Dominicis vero diebus Adventus, & Quadrageſimæ, nec non Nativitatis, & Reſurrectionis Domini, Pentecoſtes, & Corporis Chriſti feſtis diebus, *quibus reſici maxime, & in Domino gaudere paſtoris præſentia oves debent*, ejus obtinendæ ſpe, niſi gravior urgeat neceſſitas, omnino careant. Ne autem quis animo fingat, ſe poſſe ad breve tempus, Nobis inconſultis, abeſſe, eadem Sacra Congregatio ſancivit, ne per hebdo-

(1) *Apud Lambertin. Inſtit.* 17. (2) *Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere, Conc. Prov. Rav. Boncompagni.* (3) *Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *de Reform. cap.* 1. *S. Cong. Conc. apud Lambertin. Inſtit.* 17. (4) *Conc. Trid. loc. cit.*

domadam quidem cuiquam licere, non obtenta licentia, a parochiali ſtatione diſcedere. (1) Bidui abſentiam, nullo recurrente feſto, & idoneo Sacerdote relicto, non improbamus, (2) modo non ita frequens ſit, ut unius anni ambitu duorum menſium ſpatium excedat. (3) Quoties vero prædicta licentia petenda erit, eam quidem urbani Parochi a Nobis, vel a Vicario noſtro generali impetrabunt; rurales vero a ſuæ quiſque congregationis vicario foraneo, ſi abſentia hebdomadam non excedat. Si vicarii foranei juſtam diſcedendi cauſam habeant, futuram eorum abſentiam viciniori parocho ſignificabunt. Si cui ab eccleſia diſcedendi repentina ſuperveniat neceſſitas, quæ petendæ veniæ dilationem non patiatur, is quamprimum de abſentiæ ſuæ cauſa certiores Nos faciat, ut de ea cognoſcere valeamus. (4) Qui abſentiæ dies in facultate aſſignatos doloſe protraxerit, illegitimæ abſentiæ reus habebitur. (5) Hæc autem facultas neque poſtulanda, neque ullatenus concedenda erit, niſi juſta recedendi cauſa interceſſerit. Interea meminerint diſceſſuri ita ovibus ſuis providendum, ut, quantum fieri poteſt, ex ipſorum abſentia nullum detrimentum perſentiant. (6) Qui contra hujus decreti diſpoſitionem abeſſe auſi fuerint, præter pœnas adverſus non reſidentes latas, privationem fructuum pro rata temporis abſentiæ, nulla etiam judicis declaratione ſecuta, ſe noverint incurſuros; & præterea, ſi contumaces fuerint, per cenſuras eccleſiaſticas, aliaque juris remedia, etiam uſque ad privationem, quacunque appellatione poſtpoſita, compellendos. (7)

XVII. Plurima alia, quæ ipſos reſpiciunt, quæque in noſtra hac Synodo ſparſim continentur, religioſe cuſtodiant

(1) *Apud Lambertin. loc. cit.* (2) *Conc. Rom. Tit. XVII. cap. 6.* (3) *Syn. Criſpi.* (4) *S. Cong. Conc. apud Lambertin. loc. cit. Conc. Prov. Rav. Card. de Ruvere.* (5) *Syn. Criſpi.* (6) *Trid. loc. cit.* (7) *Trid. loc. cit.*

Digitized by Google

diant Parochi, ut forma facti gregis, Paſtorum Principi, cum apparuerit, læti occurrere poſſint, & immarceſſibilem gloriæ coronam accipere mereantur.

CAPUT XV.

De Parochorum Urbis Conventu.

I. Pia Parochorum Ravennæ ſocietas, quam Conventum appellamus, pro divini cultus incremento, & expiandis defunctorum animis jam uſque a Sancti Gregorii Magni ætate, ut perhibent, inſtituta, a Sancto primum Raynaldo, aliiſque ſubinde Deceſſoribus noſtris; ordinationibus, & ſtatutis, pro temporum opportunitate editis, confirmata, Summorum Pontificum præconiis, eximiis favoribus, ac privilegiis liberaliter cumulata, ſicut Eccleſiæ noſtræ decus, nobilitatemque non mediocriter auget, ita noſtrum jure optimo ſibi vindicat ſtudium, & ſollicitudinem poſtulat peculiarem.

II. Parochi itaque in eum cætum cooptati, relictis quæ juris erant antiqui, novam omnino methodum, Sacra Concilii Congregatione annuente, (1) & Ferdinando Romualdo Guicciolo deceſſore noſtro approbante, inductam, ac in præcedenti Synodo confirmatam (2) ſequantur. Centum, & viginti vicibus, ſinguli ſingulis vicibus convenientes, totidem anniverſaria cum integro defunctorum officio, ritu duplici, ac Miſſa decantata, cum exequiis celebrabunt. Conventus hujuſmodi ita diſtribuantur, ut decem in ſingulos menſes habeantur: ac ne ulla unquam ex cauſa hunc ordinem immutari contingat, Sacræ Rituum Congre-

(1) *S. Cong. Conc. die* 19. *Sept.* 1761. (2) *Syn. Cantoni.*

Digitized by Google

gregationis decreto indultum eſt, (1) ut hæc anniverſaria diebus etiam feſtivis duplicibus Sanctorum, non tamen de præcepto, celebrari poſſint. Ab his autem per vices triginta quolibet anno vacare ſingulis Parochis impune licebit.

III. Solemne item anniverſarium agant infra octavam commemorationis omnium fidelium defunctorum pro defunctis ſuæ Congregationis confratribus applicandum. His accedit officium, & Miſſa ſolemnis pro quolibet Conventus defuncto Parocho bis celebranda in eccleſia, ubi cadaver conditum fuerit; additis Miſſis duabus a ſingulis pro defuncto Parocho offerendis.

IV. Quæ de pſallendi diſciplina, deque Miſſa conventuali ſuperius tradidimus, cum de horis canonicis ageremus, (2) magna ex parte ſibi convenire intelligant. Qui in aliquo peccaverint, punctationem ſubeant. Eidem ſubjaceant pœnæ qui vel integro anniverſario, vel ejus parti intereſſe recuſaverint.

V. Singulæ punctationes in libro hujus rei gratia unice comparato diſtincte notentur, ut, anno exeunte, liceat dignoſcere quo quiſque modo ſuo muneri ſatisfecerit, quibus integræ debeantur diſtributiones, quibus diminutæ perſolvendæ ſint. Ea autem punctandi ratio ineatur, quam immediatus Deceſſor noſter die 6. Julii 1773. probavit, ac Nos confirmamus, ut ſcilicet *non quinque tantum punctationes, quod alias ſtatutum fuerat, ſed ſeptem integro anniverſario reſpondeant, una nempe cuilibet nocturno, una laudibus, & tres Miſſæ; prima ſcilicet ab hujus initio uſque ad Præfationem, altera uſque ad Communionem, & ultima uſque ad finem exequiarum; itaut qui choro aderit poſt primum pſalmum cujuslibet nocturni, vel laudum, & ſic poſt ultimum* Kyrie, *vel*

L l *Præ-*

(1) *S. Rit. Cong. 16. Sept. 1673.* (2) *Cap. VIII. Partis III.*

Præfationis finem, *vel poſt antiphonam*, *quæ dicitur* Communio, *ille debeat tamquam abſens haberi*, *& punctationem ſubeat illi officii*, *vel Miſſæ parti reſpondentem : eademque pœna multentur*, *qui iis officii*, *vel Miſſæ partibus*, *ac exequiis nondum abſolutis*, *a choro diſceſſerint*. (1)

VI. Singulis publicis ſupplicationibus, quæ a Metropolitana noſtra haberi conſueverunt, parochi adeſſe non prætermittant, ſub punctationis pœna, quam ſibimet ipſi indixerunt : adeout qui abſque juſta cauſa, a Majoribus approbanda, intereſſe recuſaverint proceſſionibus Dominicæ Palmarum, Corporis Chriſti, & S. Apollinaris, punctandi ſint, ac ſi ab integro conventu abſuiſſent : qui vero a reliquis abſuerint, videlicet S. Marci, Rogationum, & cum Arca Sanctorum, quatuor puncta quaque vice ſubire debeant ; ita tamen ut defectus hujuſmodi ſuppleri poſſit, ſi iidem parochi frequentius, quam teneantur, conſuetis conventibus interſuerint. (2)

VII. Miſſas ſinguli ſexaginta juxta citatam novam methodum celebrabunt. Omnes porro Miſſæ, quæ ſive a prædictis Parochis, ſive ab alio quocunque ſacerdote tam ſæculari, quam regulari in quacunque hujus civitatis eccleſia, & ad quodcunque altare pro anima cujuſcunque confratris in hujus congregationis albo relati, quæ Deo in charitate conjuncta ex hac luce migraverit, expianda celebrabuntur, ut perinde ſuffragentur, ac ſi ad altare privilegiatum fuiſſent celebratæ, Apoſtolica largitate conceſſum, & indultum eſt. (3) His accedunt aliæ tredecim Miſſæ, quas ſinguli parochi in ſuis quiſque eccleſiis celebrare tenentur ratione capellaniæ de Honeſtis anno 1757. Conventui unitæ.

VIII.

(1) *In Append. ad Conſtit. Convent.* (2) *In actis Conventus die* 27. *Apr.* 1774. (3) *Breve Ben.* XIV. 9. *Decembr.* 1745. *relat. in Append. ad Syn. Guiccioli pag.* 376.

VIII. Meminerint Parochi, pecunias, quæ ab iis, qui in conventum adſcribi petunt, ſolvi conſueverunt, non in privatos eorum uſus, ſed in bonorum ſtabilium emptionem eſſe impendendas, ut ex eorum fructibus ſuſceptis oneribus perpetuo ſatisfieri poſſit. (1)

IX. Parochorum cætus quolibet anno, ſtatutoque tempore habeatur, in quo Major, qui una cum altero præcedente anno electo per integrum annum conventui præſit, aliique officiales ſuis quiſque muneribus obeundis idonei eligantur. Quicquid in hoc, aliiſque conventibus, quos cogi contigerit, deliberatum, decretumque, aliter quam per occulta ſuffragia, fuerit, vim nullam habere decernimus. In conventibus ut omnia rite, atque ordine gerantur, qui præſunt diligenter curabunt. Fraternam inter ſe concordiam, & pacem omnes tueantur. De rebus in deliberationem adductis, quiſque pro ſua fide, & religione ſuffragium ferat.

X. Cætera item, quæ in peculiaribus eorum conſtitutionibus a Deceſſoribus noſtris ſemel, atque iterum approbatis, quaſque Nos etiam approbamus, & confirmamus, continentur, omnino a conventualibus Parochis ſervari jubemus.

CAPUT XVI.

De Sanctimonialibus, deque aliis piis fœminis collegialiter viventibus, vel ſeorſum in propriis, aut ſuorum domibus commorantibus.

I. INter innumera immenſæ Dei bonitatis, & omnipotentiæ ſpecimina, quibus eum mirabilem prædicamus, perſpicuum ſane, & præclarum eſt Sanctimonialium vocatio,

(1) *Conſtit. Convent.* §. 18.

Digitized by Google

tio, quæ unius cœleſtis ſponſi amore captæ, ſenſuum illecebras, vitæ commoda, humanarum rerum blandimenta virili animo deſpicientes, ac in tacitos cœnobiorum receſſus ſecedentes, victum, edomitumque mundum illuſtri triumpho ſubegerunt. Sed quo ſublimior earum gloria eſt, eo majori ſtudio Nobis enitendum, ut quæ mente, & corpore ſe Deo devoverunt, *conſument opus ſuum magno præmio deſtinatum*. (1)

II. Eas itaque vehementer in Domino hortamur, atque obſecramus, ut in ejus, quod profeſſæ ſunt, inſtituti diſciplina ſingulæ ſe contineant, & quam nomine, atque habitu præſeferunt ſanctitatem, eam morum innocentia, & totius vitæ laude in ſe ipſis referre ſtudeant, atque imitari.

III. Horas canonicas in choro devote, & compoſito ad religionem animo, & corpore perſolvant. Quas chorum adire obeundorum miniſteriorum ratio non ſinit, illas ad privatam earum recitationem ſub gravi teneri, niſi morbo, vel alia juſta cauſa excuſentur, communi fere doctorum ſenſu receptum eſt. Divino altaris ſacrificio quotidie aſſiſtant, quotidie mentali orationi, & piorum librorum lectioni vacent, ac conſcientiæ examen inſtituant. *Saltem ſemel ſingulis menſibus* animam a ſordibus Pœnitentiæ Sacramento detergant, *& ſacroſanctam Eucbariſtiam ſuſcipiant, ut eo ſe ſalutari præſidio muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas*. (2) Menſam conſueta benedictio præveniat, & gratiarum actio ſubſequatur. In ea omnes conticeſcant, ut ſacra lectione, qua ſemper cibus condiendus erit, animus pariter reficiatur. Ad inſtaurandam vero, conſervandam, augendamque regularis ordinis dignitatem, & ſpi-

(1) S. Cypr. de diſcipl., & habit. Virg. (2) Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 10. de Reform.

ſpiritus fervorem reparandum, ſingulis annis per dies decem exercitiis ſpiritualibus, ab eo, quem Nos delegaverimus, tradendis, operam dare non gravabuntur. (1) Ut autem in Monaſteriis eorum juriſdictioni ſubjectis idipſum faciendum curent, Superiores regulares in Domino hortamur. (2)

IV. Quæ Altiſſimo vota nuncuparunt, fideliter reddant: *ſi enim illa, quæ baſes ſunt, & fundamenta totius regularis diſciplinæ, exacte non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.* (3) Caſtitatem velut lilium inter ſpinas perpetuo intemeratam ſervare curabunt. Præſidibus, & præpoſitis ſuis, quam ſpoponderunt obedientiam, ne animi quidem, & voluntatis retenta libertate, alacriter præſtabunt. Religioſam vero paupertatem ita diligant, & ſequantur, ut vere Dominus earum pars, & hæreditas dici poſſit. Nemini igitur *liceat bona immobilia, vel mobilia cujuſcunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita tanquam propria, aut etiam nomine conventus poſſidere, vel tenere, ſed ſtatim ea ſuperiori tradantur, conventuique incorporentur.* Neque liceat Superioribus bona ſtabilia alicui *concedere, etiam ad uſumfructum, vel uſum, aut adminiſtrationem. Mobilium vero uſum ita Superiores permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſæ ſunt, conveniat; nihilque ſuperflui in ea ſit; nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur.* (4) Nihil ſibi quocunque titulo acquirant, nihil diſtrahant, commodent, mutuo dent, deponant, non obtento Superiorum aſſenſu. Pecuniam, quam ex annuis præſtationibus ſibi conſtitutis recipiunt, ſeu quam ſuarum manuum laboribus lucrantur, in communes loculos dimittant, nec, niſi præobtento Abbatiſſæ conſenſu, ac in cauſas tantum hone-

(1) *Epiſt. Encycl. S. Cong. Ep. & Reg. 9. Octobr. 1682. juſſu Inn. XI.* (2) *Lambertin. Inſtit. 29.* (3) *Trid. Seſſ. 25. cap. 1. de Reform.* (4) *Trid. Seſſ. cit. cap. 2. de Reform.*

honeſtas, & neceſſarias ab eadem approbandas expendant: quin & paratiſſimo animo ſint ad ejus jacturam libenter perferendam, ſi forte illam, ita expoſcentibus monaſterii rationibus, in alios quam in proprios uſus, ſuperiorum conſilio erogandam eſſe contingeret. (1)

V. Quæ vero communis vitæ inſtitutum amplexæ ſunt, his ſummopere gratulamur, quod ad paupertatis votum religioſius cuſtodiendum, & ſartam, tectamque ſervandam monaſticam diſciplinam, maximum in eo præſidium conſtitutum eſſe intelligamus.

VI. Quoniam autem hujus veteris inſtituti, cui regularium ordinum Fundatores ſuum veluti ædificium ſuperextructum voluerunt, cuſtodiam Nobis demandarunt Tridentini Patres, gravibus verbis præcipientes, ut quæ ad *communem vitam*, *victum*, *&* *veſtitum* pertinent, fideliter ſervanda curaremus, (2) ea propter Monialibus, quæ hanc vitæ rationem iniverunt, opportunas leges condidimus; (3) in id etiam ſtudium omne, atque induſtriam collaturi noſtram, ut quod animo conſilium obverſatur in ſingulis diœceſeos noſtræ monaſteriis vitæ communis invehendæ, ad optatum exitum perducamus,

VII. Eſt & aliud regularis diſciplinæ præſidium, quod in clauſura ſitum eſt, cui tantum Summi Pontifices tribuerunt, ut non patiantur ad ſolemnem religionis profeſſionem ullam admitti, quæ non elegerit ſub certa, & approbata ſui monaſterii clauſura perpetuo permanere. (4) Hujus autem clauſuræ lex monialium clauſtris indicta, non ipſis modo egreſſum extra monaſteriorum ſepta prohibet, ſed & exteros tam viros, quam mulieres ab eorum ingreſſu repellit,

(1) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 13. *cap.* 12. *n.* 21. (2) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 1. *de Reform.* (3) *Conſtit. editæ* 10. *Febr.* 1788. (4) *Bonif.* VIII. *cap.* Periculoſo *de ſtat. regul. in* 6.

lit, niſi & neceſſitas urgeat, & opportunæ facultates præobtentæ fuerint. Quoniam vero ſub *obteſtatione divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ* Nobis præceperunt Tridentini Patres, ut in omnibus monaſteriis jurisdictioni noſtræ ſubjectis ordinaria, in aliis autem Sedis Apoſtolicæ auctoritate, clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, reſtituendam, & ubi inviolata fuerit, conſervandam maxime curaremus, (1) ea propter officii noſtri ratio poſtulare viſa eſt, ut nonnulla hic tanquam præcipua capita ediceremus.

VIII. Nemini ergo Sanctimonialium liceat poſt profeſſionem e monaſterio exire, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu, niſi in caſibus a jure permiſſis: aliter autem egredientes, ſeu licentiam exeundi quomodocunque concedentes, nec non comitantes, recipientes, ſive laici, ſive eccleſiaſtici, ſive conſanguinei, ſive non, excommunicationis majoris latæ ſententiæ vinculo, ſtatim eo ipſo, abſque ulla declaratione innodabuntur, a quo, præterquam a Romano Pontifice, niſi in mortis articulo, abſolvi nequibunt. (2)

IX. Nemini item liceat, cujuſcunque generis, aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine noſtra, vel Vicarii noſtri generalis licentia in ſcriptis obtenta, intra monaſteriorum, etiam regularibus ſubjectorum, ſepta ingredi, ſub excommunicationis pœna ipſo facto incurrenda; (3) quæ licet neque ex Tridentino, (4) neque ex conſtitutionibus S. Pii V. (5) non ſit reſervata, ex Gregoriana tamen conſtitutione certum eſt Summo Pontifici reſervari in eos, qui

facul-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap. 5. de Reform.* (2) *S. Pius v. Conſtit.* Decori, & honeſtati. (3) *Trid. ſeſſ. cit. cap. 5. de Reform. S. Cong. Conc. 13. Nov. 1610., & 1620. S. Cong. Ep. & Reg. 24. Aug. 1594.* (4) *Trid. loc. cit.* (5) *S. Pius v. Conſtit.* Circa paſtoralis officii, & *Conſtit.* Decori, & honeſtati.

Digitized by Google

facultatum prætextu ingredi *præſumpſerint*, (1) ſeu qui ingreſſum juſſerint, juverint, vel permiſerint; (2) facultatibus, ſeu conceſſionibus a Romanis Pontificibus, etiam S. R. E. Cardinalibus, ſive ſingulis, ſive eorumdem Cardinalium Congregationibus, Legatis, Nunciis, Internunciis, ſeu aliis quibuſcunque impertitis, per quas, ſive ipſis ingrediendi, ſive aliis ad ingrediendum Monialium clauſtra licentia conceditur, revocatis, ac penitus ſublatis; (3) quin & eos qui abſque ullo *facultatum prætextu* ingredi auderent, eadem reſervatione affici ſentiunt plures Canoniſtæ, quibus ſtylus Curiæ ſuffragari videtur. Excommunicationi pariter Summo Pontifici reſervatæ *intra Urbem*, *& intra Italiam* omnes ſubjacebunt, qui ad *malum finem* in clauſtra Monialium ſe inferre non dubitaverint. (4)

X. Mulieres, quibus ab Apoſtolica Sede Monialium ſepta ingrediendi facultas conceditur, conditiones ſervent, quæ in Urbani VIII. conſtitutione continentur, (5) niſi aliter in conceſſione cautum ſit. Si ſecus egerint, facultates hujuſmodi ad declinandas pœnas in violantes clauſuram inflictas nullo ſibi pacto ſuffragari ſciant.

XI. Quoniam ex Tridentino (6) omnes, cujuſcunque *ſexus*, *vel ætatis* fuerint, a monaſteriorum ſeptis arcendi ſint, caveant Moniales, ne pueros, puellaſque, etiam doli, & rationis expertes, in clauſtra intromittant; alias & violatæ clauſuræ reatum, & pœnas illam violantibus inflictas omnino ſe noverint incurſuras. (7) Quin & canes in-

(1) *Greg.* XIII. *Conſtit.* Ubi gratiæ 13. *Junii* 1575. (2) *Conſtit. cit. Paulus* V. *Conſtit.* Monialium ſtatui. (3) *Conſtit. cit. Greg.* XIII. *& Pauli* V. *Ben.* XIV. *Conſtit.* Salutare 2. *Jan.* 1742. (4) *S. Cong. Epiſc. & Reg.* 26. *Nov.* 1602. *de mandat. Clem.* VIII., *& Clem.* XI. 13. *Maji* 1711. (5) *Urban.* VIII. *Conſtit.* Sacroſanctum Apoſtolatus miniſterium 27. *Octobr.* 1624. (6) *Trid. loc. cit.* (7) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Tudertina 7. *Apr.* 1579. *in* Neapolit. 22. *Martii* 1580. *in* Cremonen. 12. *Febr.* 1585. *in* Taurinen. 10. *Jun.* 1650.

intra clauſuram retinere Sacræ Congregationis decreto ſibi vetitum ſciant. (1)

XII. Quibus, neceſſitate ſuadente, a Nobis, vel a Vicario noſtro generali Monialium clauſtra ingrediendi facultas ſcripto impartita fuerit, eos nunquam nocturnis horis, niſi forte ex neceſſaria cauſa, quæ moram non patiatur, neque aliter, quam a duabus ſaltem Monialibus comitatos admitti volumus. Ingreſſi locum operi, cujus gratia acciti fuerint, aſſignatum recta petant; non diutius, quam agendæ rei ratio poſtulet, immorentur; non cibum capiant, non hac illac vagentur; non ſurſum deorſum curſitent. Qui his contraire legibus non verebuntur, ſe ſciant ab ingreſſu in quæcunque Monaſteria deinceps prohibendos, aliiſque gravioribus pœnis pro arbitrio noſtro puniendos. (2)

XIII. Muri, quibus clauſura munitur, interius, exteriuſque, ubi opus fuerit, inſtaurentur. Si quæ his proceræ arbores ſuperimmineant, excidantur. (3) Feneſtræ, quæ exteras vias ſpectant, cancellis ferreis claudantur, atque ita conformentur, ut neque alios aſpicere, neque ab aliis aſpici Moniales poſſint. Fores, quæ aditum ad clauſuram præbent, ſint firmæ, & ſtabiles, non rimis fatiſcentes, non ulli rei perviæ, ſeris, vectibuſque inſtructæ. Hæ, occidente ſole, omnino claudantur, nec niſi in neceſſarios uſus, atque orto jam ſole recludantur. Harum claves, ſicut & feneſtellæ Communionis, aliæque, quæ clauſuram quoquo modo communiunt, nocturno præſertim tempore, penes Abbatiſſas ſerventur. (4)

XIV. Quoniam autem præcipuus clauſuræ finis fuit,

M m ſa-

(1) *S. Cong. Ep.*, *&* *Reg. in* Neapolit. 12. *Jul.* 1592. *in* Mutinen. 3. *Febr.* 1597. *& in* Juſtinopolitan. 22. *Sept.* 1651. (2) *Syn. Guiccioli*, *Syn. Cantoni*. (3) *S. Cong. Ep. & Reg.* 13. *Aug.* 1585. (4) *Encyclica S. Cong. Ep. & Reg. juſſu Clem.* XI. 30. *Octobr.* 1706.

ſacras Virgines a Mundi hujus conſortio ſegregare, quo liberius orationi vacarent, mentemque ad cœleſtium rerum curam, & contemplationem traducerent, eapropter exterorum ad ipſas acceſſus, & colloquia ſub graviſſimis temporalibus, & ſpiritualibus pœnis prohibuerunt Sacri Canones, & Prædeceſſores noſtri. (1) Nos eorum veſtigiis, pro noſtrorum temporum ratione, inhærentes, hæc, quæ ſequuntur, duximus decernenda. Nemini igitur ſive clerico, ſive laico, exceptis tamen conjunctis in primo, aut ſecundo conſanguinitatis, vel affinitatis gradu, (2) eorumque famulis, & ancillis, liceat ad crates, colloquutoria, rotas, portas, vel feneſtras Monialium, etiam regularibus ſubjectarum, (3) eas alloquendi gratia accedere, facultate a Nobis, vel a Vicario noſtro generali non ante impetrata, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis. Hanc vero facultatem qui obtinuerint, ſibi nullo modo ſuffragari noverint in Adventu, & Quadrageſima, quo tempore ulli unquam, ac neque conſanguineis, & affinibus, (4) ut ſupra, reſerari Monaſteriorum crates, niſi hoc peculiariter indultum ſit, inhibemus. Sed neque horis choro, Miſſæ conventuali, mentali orationi, prandio addictis, ulli acceſſus, ulla colloquia fiant. Colloquutoria per id tempus nulli omnino pateant; generatim vero ea circa veſperam claudantur, neque mane, niſi oratione mentali, & matutinis horis abſolutis, recludantur, iterum occlndenda tempore Miſſæ conventualis, & a meridie ad horas uſque veſpertinas expletas. (5) Ad januas autem, viris præſertim, cum Monia-

(1) *Cap.* Periculoſo *de ſtat. Regul. in 6. Concilia Prov. Rav. ſub S. Raynaldo, Syn. Aldobrandini, aliæque.* (2) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Peruſina 18. *Jan.* 1618., *& alias.* (3) *S. Cong. Conc.* 13. *Nov.* 1610., 1630., *& S. Cong. Ep. & Reg.* 24. *Aug.* 1594., *& in* Camerinen. 7. *Martii* 1617., *& alias.* (4) *S. Cong. Ep., & Reg.* 15. *Jan.* 1616., *&* 20. *Sept.* 1593., *& alias.* (5) *Decret. S. Viſit.* 20. *Julii* 1786.

Digitized by Google

nialibus colloquia ſerere penitus interdicitur . (1) Illud quoque ſub gravibus arbitrii noſtri pœnis omnino vetamus , ne feneſtellis ad ſacram Communionem miniſtrandam , vel ad ſacramentales Confeſſiones excipiendas paratis , pro colloquutoriis abutantur ; (2) ſed neque rotis , vel cratibus in eccleſia exiſtentibus , ut Sacræ Congregationis decreto vetitum eſt , pœna carceris adjecta in eos qui in fragranti deprehenderentur . (3) Hujuſmodi autem colloquia nunquam ex otio , aut levitate , ſed ex neceſſitate , aut honeſtate habeantur . His auſcultatrices ita adſtent , ut & audire , & videre inter ſe colloquentes , niſi conſanguinei , vel affines ſint , de quibus ſupra dictum eſt , queant . Quibus colloquia cum Monialibus interdicuntur , eos ab epiſtolarum quoque inutili commercio , ſub pœnis arbitratu noſtro inferendis abſtinere jubemus . Si quæ vero Moniales ex juſta , atque honeſta cauſa literas mittere , vel accipere debeant , eas , antequam mittant , vel perlegant , Abbatiſſæ exhibere non gravabuntur . Nemo larvatus , ſeu perſonatus Moniales adire , nemo prope Monaſteria cantiones , potiſſimum amatorias , ac nocturnis præſertim horis canere , vel muſicis inſtrumentis obſtrepere præſumat . Qui hæc perpetrare auſus erit , in eum ſeveriſſime animadvertemus . (4) Monialibus viciſſim inhibemus , ne perſonatæ ad ea loca accedant , ubi ſpectari ab exteris poſſint : ac ſi quando theatrales actiones ſacras , venia a Nobis ante impetrata , ab iis repræſentari contigerit , hæ non aliter , quam januis clauſis , ac remoto quocunque extraneo ſpectatore , habeantur . Virilium autem indumentorum , aut cujuſvis generis armorum uſum ſibi ſemper vetitum eſſe ſciant . (5)

XV.

(1) *Syn. Guiccioli , Syn. Cantoni .* (2) *Encycl. S. Cong. Ep. & Reg. juſſu Clem.* XI. 30. *Octobr.* 1706. (3) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Fugubina 22. *Sept.* 1651. , *& in* Ceſenaten. 7. *Febr.* 1653. (4) *Syn. Cantoni* . (5) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Ferrarien. 27. *April.* 1604. *Syn. Criſpi* .

XV. Regularibus in memoriam revocamus Sixti V. decretum, quo cavetur, ne ulli religioſo, cujuſcunque ordinis, qualitatis, & dignitatis exiſtat (Superiore, cui Monaſterii, ſeu Domus cura incumbit, Viſitatore, vel Viſitatoribus, confeſſarioque ordinario, & extraordinario, cum ad tempus deputabitur, duntaxat exceptis) liceat abſque licentia expreſſa Sacræ Congregationis Epiſcoporum, & Regularium accedere ad Monaſteria, ſeu domos quarumcunque Monialium, vel Sororum, ſive ſui, ſive alterius cujuſvis ordinis, ad colloquendum, ſive tractandum cum eis, vel cum quibuslibet aliis perſonis intra clauſuram degentibus, ſub quocunque quæſito colore, etiamſi a ſuis Superioribus ad prædicandum Verbum Dei, vel ad Miſſas celebrandas in ipſarum eccleſiis mitti contigerit, ſub pœnis privationis officiorum, vocis activæ, & paſſivæ ipſo facto incurrendis, aliiſque ejuſdem Congregationis arbitrio; (1) contrafacientes vero ne ab alio quam ab Apoſtolica Sede, aut a Sacra Congregatione abſolvi, & rehabilitari poſſint. Norunt Regulares Sixtinam ſanctionem Urbani VIII. decreto confirmatam fuiſſe, & renovatam; in eo tamen ejus rigorem temperatum fuiſſe, quod locorum Ordinariis, *ob pias, & rationabiles cauſas, eaſque (ita ferente caſu) repentinas*, facultas tributa fuerit concedendi licentiam, quatenus ſibi viſum fuerit in Domino expedire, per quatuor vices, ad ſummum, quolibet anno cuicunque regulari, ut Moniales ſibi in primo, & ſecundo tantum conſanguinitatis gradu conjunctas convenire, & alloqui poſſit: id vero non aliter quam ſervata ad unguem ejuſdem decreti forma, quod in appendice referri mandavimus. (2) Hanc formam ni ſervaverint regulares, pœnis in eadem Sixtina ſanctione conten-

(1) *Decret. S. Cong. Ep. & Reg. 7. Maji.* 1590. *juſſu Sixti* v. (2) *In Append. n. I.*

tentis, ac ſi nullam licentiam obtinuiſſent, eo ipſo ſe noverint fore addictos, & arbitrio S. Congregationis ſeverius puniendos. (1)

XVI. Illud etiam neminem eorum latere arbitramur, Clementem IX. Sacræ Congregationis oraculo declaraſſe, regulares ad Monaſteria Monialium, quamvis ab Ordinarii juriſdictione quomodolibet exempta, ac etiam ipſis regularibus ſubjecta, ſine neceſſaria licentia, accedentes, *colloquendo, etiam per quodcumque modicum temporis ſpatium, cum Monialibus, aut aliis intra clauſuram degentibus peccare mortaliter*, improbata, rejecta, ac damnata contraria ſententia; eoſque ſub excommunicationis, aliiſque contra regulares ad Monaſteria Monialium, abſque legitima facultate, accedentes ſtatutis pœnis, poſſe ab Ordinariis locorum, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegatis, coerceri. (2) Hunc gravis culpæ reatum, aliaſque pœnas eos non effugere, etiamſi ex rationabili cauſa ad Monialium Monaſteria accedant, vel immediate poſt habitam ad crates concionem, cum ipſis, vel cum aliquibus, vel cum una tantum earum ſermones immiſceant, *cum quæſtionibus, vel dubiis ſpiritualibus, aut materiis ipſius concionis*, ex ejuſdem Sacræ Congregationis declarationibus (3) ſibi certo conſtare non dubitamus. Poſtremo meminiſſe juvabit, Clementem XII. revocaſſe, atque penitus abrogaſſe facultates a Romanis Pontificibus per eorum vivæ vocis oracula, vel reſcripta regularibus quibuſcunque, conventibus, & monaſteriis cujusvis ordinis conceſſas *alloquendi Moniales, etiam conſanguineas, aliaſque perſonas intra clauſuram degentes, abſque peculiari ſuperiorum, ad quos ſpectat, licentia*, pœna, inter alias, excommunicationis ipſo fa-

(1) *Decret. cit. Urb. VIII.* (2) *S. Cong. Conc.* 11. *Maji* 1669. *approb. Clem.* IX. (3) *S. Cong. Conc.* 26. *Nov.* 1672. *&* 21. *Maji* 1678.

facto incurrendæ, Summoque Pontifici reſervatæ in eos conſtituta, qui dictis facultatibus revocatis, & abrogatis ullatenus uti præſumerent, vel auderent. (1) Quæ cum ita ſint, neminem regularium fore arbitramur, qui tot, ac toties editis graviſſimis ſanctionibus præſumat obſiſtere, & duriſſimum, cui earum infractores reſervantur, judicium non reformidet. Qui vero noſtrarum legum, quibus acceſſus ad Monialium clauſtra, ſine debita facultate inhibetur, vi coactiva eximuntur, directivæ tamen auctoritati noſtræ ſe ſciant eſſe ſubjectos. (2)

XVII. Quoniam optima familiæ cujuſcunque inſtitutio, ab ejus, qui præeſt prudentia, & ſollicitudine potiſſimum pendet, intelligant Moniales ſe, poſthabito omni partium ſtudio, eam præ cæteris in Abbatiſſam eligere teneri, quam regulari diſciplinæ inſtaurandæ, conſervandæque aptiorem in Domino judicaverint. Hæc autem *eligatur non minor annis quadraginta, & quæ octo annis, poſt expreſſam profeſſionem, laudabiliter vixerit*. (3) Annus autem quadrageſimus debet eſſe completus, (4) aliter electio ipſo jure nulla foret. (5) Ejus electio fiat *per vota ſecreta, ita ut ſingularum eligentium nomina nunquam publicentur*; (6) ſecus electio ipſa in nihilum verteretur. (7) Hujus officium ne ultra triennium protendatur; quo elapſo, *omni prorſus auctoritate carebit, ac a regimine, & adminiſtratione Monaſterii per triennium abſtinebit*. (8) Hæc vero, cum ſit omnium mater, & magiſtra, morum etiam integritate, & virtutum omnium ſplendore cæteris præluceat. Pacem inter ſo-

(1) *Clem.* XII. *Conſtit.* Romanus Pontifex 12. *Febr.* 1732. (2) *Encycl. Ben.* XIV. *die* 1. *Octobr.* 1749. (3) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap* 7. *de Reform.* (4) *S. Cong. Conc. in* Neapolit. 24. *Sept.* 1678. (5) *S. Cong. Conc. in Viterbien.* 16. *Maji* 1623. (6) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 6. *de Reform.* (7) *S. Cong. Conc. in* Melphitenſ. 3. *Aug.* 1696. (8) *Greg.* XIII. *Conſtit.* Expoſcit debitum 1. *Jan.* 1585.

ſorores ſoveat, malos, ſi qui irrepſerint, uſus evellat, omnes ad perfectionis, in quam potiſſimum incumbere debent, ſtudium excitet, quæque ad neceſſarios vitæ uſus requiruntur, ſuppeditanda alacriter curet. Hæ viciſſim erga illam ita affectæ ſint, ut eam, veluti matrem, filiali obſequio revereantur, & colant, ejus recte facta, moreſque imitentur, ejuſque arbitrio, & voluntati morigeras ſe præbeant.

XVIII. Abbatiſſæ, ſicut & cæteræ, quæ ad officia aſſumuntur, caveant, ne dictorum officiorum occaſione, ſive antequam illa exercere incipiant, ſive poſtquam illis perfunctæ fuerint, ullam pecuniæ ſummam, vel ab earum parentibus oblatam, impendant, aut impendi patiantur; vel aliquid, quantumvis exiguum, ſive agendarum feſtivitatum cauſa, ſive muneris ſpecie, ſive quocunque alio prætextu, qui quoquomodo ad prædicta officia referatur, ſubminiſtrent perſonis in Monaſterio degentibus, vel earum ſuperioribus, quamvis regularibus, confeſſariis, aliiſque miniſtris, quin neque eccleſiæ, aut ſacrario; adeout ſumptus omnes, quos juxta religioſæ moderationis fines, & juxta cujuſcunque Monaſterii vires taxari volumus, communi Monaſteriorum ære omnino fiant. Sin vero Monaſterium oneri ferendo par fuerit, ex annuis præſtationibus in communem arcam inlatis, religioſis indigentiis prius ſatisfactis, ſuppleatur. Huic omnes decreto obtemperare ſtudeant, ne privationem officiorum, vociſque activæ, & paſſivæ, aliaſque arbitrio noſtro inferendas pœnas ſubeant. (1)

XIX. Viros ſingulari morum gravitate, prudentia, ac do-

(1) *Epiſtolæ Encyclic. S. Cong. Ep. & Reg. juſſu Clem.* XI. 28. *Jul.* 1708., 26. *Jan.* 1709., 26. *Jun.* 1716. Epiſt. *Ben.* XIV. *ad Archiep. Mediolanen.* 26. *Jan.* 1742. Clem. XIII. *in ſuo Mot. prop.* 30. *Jun.* 1759.

doctrina præditos eſſe oportet, qui excipiendis ſacramentalibus Monialium confeſſionibus præficiuntur. Ad hoc igitur præclarum munus aſſumpti, florem eccleſiaſtici germinis, illuſtrioremque gregis noſtri portionem eorum ſollicitudini commiſſam eſſe intelligentes, eam ipſi ſanctioris vitæ rationem ineant, cujus aliis ſuaſores, & duces conſtituuntur. His ſi virtutum præſidiis ſuffulti ad graviſſimum hoc miniſterium obeundum acceſſerint, de Monialium in via perfectionis profectu non poſſumus non bene ominari. Accedentes ad Pœnitentiæ tribunal, quod neque ante ſolis ortum, neque poſt ejus occaſum patebit, (1) omnes, nulla ætatis, conditionis, meritorum ratione habita, perhumaniter excipiant, ac tempus, quam æquiſſime poterunt, ſingulis diſtribuant. Clauſuram, niſi Sacramenta ægrotantibus miniſtraturi, vel ſpiritualem opem cum morte luctantibus præſtituri, non ingrediantur. Ingreſſi recta via eant, redeantque, nec in alia parte divagentur, etiam alias morbo laborantes inviſendi cauſa, quibus Sacramentorum miniſtratio non ſit neceſſaria. (2) De ſpirituali earum ſalute ſolliciti, temporalium negotiorum ſive Monaſterii, ſive peculiaris cujuſvis Monialis curam, & cogitationem in alios rejiciant. (3) Annua mercede ipſis de more conſtituta contenti, munera a peculiaribus Monialibus non accipiant: non iis viciſſim dona ipſi præbeant. (4) Eorum munus triennio circumſcribitur, eoque propterea elapſo, omni juriſdictione careant. (5) Refici, aut cibum ſumere in Monaſteriis Monialium, vel ad crates, vel rotas in Monaſteria reſpondentes, vel ad portam clauſuræ, aliiſque in locis,

(1) *Decret. S. Viſit. ſub die* 20. *Jul.* 1786. (2) *S. Cong. Ep. & Reg.* 13. *Sept.* 1583. (3) *S. Cong. Ep. & Reg.* 13. *Sept.* 1585. *Syn. Criſpi, Guiccioli, Cantoni*. (4) *Syn. Cantoni*. (5) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Comen. 4. *Martii* 1591. *in* Raguſina 20. *Octobr.* 1626. & 27. *Martii* 1747. & *alias*.

cis, ubi videri a Monialibus poſſint, Sacræ Congregationis decreto ſibi vetitum eſſe ſciant. (1)

XX. Quamvis autem conſultiſſima lege, & veteris diſciplinæ auctoritate roborata generaliter ſtatutum ſit, ut pro ſingulis Monialium Monaſteriis unus duntaxat confeſſarius deputetur, qui ſacramentales confeſſiones univerſæ earum communitatis excipiat, ut tamen earum animis in afflictione interdum, & anguſtia conſtitutis opportunum ſolatium, ac remedium afferrent Tridentini Patres, ſanxerunt, ut præter ordinarium Sacramenti Pœnitentiæ miniſtrum, *alius extraordinarius ab Epiſcopo, & aliis Superioribus bis, aut ter in anno offeratur, qui omnium confeſſiones audire debeat*. (2) Hujus Nos ſaluberrimæ ſanctionis aſſertores, & vindices, non modo Monaſteriis omnibus jurisdictioni noſtræ ſubjectis duobus, aut tribus per annum temporibus extraordinarios exhibebimus, ſed ut Superiores etiam regulares quoad Moniales eorum regimini ſubjectas id ipſum præſtent, ſervata Conſtitutionum Apoſtolicarum forma, quibus cavetur, ut, ſemel ſaltem in anno, ad id munus ſacerdotem ſæcularem, aut regularem alterius diverſi ordinis eligant, inſtare, & urgere non prætermittemus. (3) Quamvis vero confeſſarii extraordinarii earum omnium, quæ eidem confiteri velint, confeſſiones excipere teneantur, non omnibus tamen, & ſingulis Monialibus præcipitur, ut extraordinario ſacerdoti peccata ſua confiteantur. Illud tantum requiritur, ut omnes omnino ſive religioſæ, ſive non in Monaſteriis commorantes, extraordinariis confeſſariis ſe ſiſtant, ſive ad ſacramentalem confeſſionem apud ipſos, ſi placuerit, peragendam, ſive ad ſalutaria monita, etiam extra ſacramentalem Con-

(1) *S. Cong. Ep. & Reg.* 13. *Sept.* 1583. & 7. *Maji* 1590. (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 10. *de Reform.* (3) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Paſtoralis curæ 5. *Aug.* 1748. *Idem de Syn. Diœceſ. lib.* 8. *cap.* 12. *n.* 17.

ſeſſionem ab ipſis accipienda . (1) Extraordinariis miniſterio ſuo fungentibus nullum impedimentum afferant confeſſarii ordinarii ; multoque minus alicujus Monialis , aut alterius cujuſcunque perſonæ intra ſepta Monaſterii commorantis ſacramentalem Confeſſionem excipere audeant . Poſtquam autem confeſſarii extraordinarii officium ſuum expleverint , ad idem Monaſterium ne ulterius accedere , aut ullius generis cum eo commercium , etiam ſpiritualis cauſæ , aut neceſſitatis obtentu , habere , vel fovere præſumant . (2)

XXI. Ut autem nihil eorum prætermittamus , quæ ſacrarum virginum conſcientiæ tranquillitati , quieti , & ſecuritati quoquo modo conferre arbitramur , præter confeſſarios extraordinarios pro integris earum cœtibus deputandos , Monialibus etiam peculiaribus confeſſarium extra ordinem aliquando expoſcentibus obſecundare non recuſabimus , niſi aut Monialis poſtulantis , aut confeſſarii requiſiti qualitas aliter Nobis faciendum ſuaſerit . (3) Hujus rei gratia duodecim ex ordine ſæculari , & regulari viros ætatis maturitate , morum gravitate , & prudentia præſtantes delegimus , eorumque nomina evulgavimus , ut facile in promptu habeant Moniales , qui conſilio , & opera occurrentibus earum ſpiritualibus indigentiis opportuna remedia valeat admovere .

XXII. Ut a maxima puellas ſervandi difficultate , & cuſtodiæ periculo parentes ſe liberarent , eas Monaſteriorum diſciplinæ tradere conſueverunt , ut inter virginum choros neſcirent ſæculum , angelice viverent , eſſent in carne ſine carne , omne hominum genus ſui ſimile reputarent . (4) Sed quamvis pium hoc inſtitutum a primis uſque ſæculis re-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* (2) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* (3) *Ben.* XIV. *Conſtit. cit.* (4) *D. Hier. ep. ad Lætam inter ſelect.* 15. *lib.* 2.

receptum, & cuſtoditum in Eccleſia fuerit, meminiſſe tamen juvabit, Tridentinos Patres anathemati ſubjicere *omnes, & ſingulas perſonas, cujuſcunque qualitatis, vel conditionis fuerint, tam clericos, quam laicos, ſæculares, vel regulares, atque etiam qualibet dignitate fulgentes, ſi quomodocunque coegerint aliquam virginem, vel viduam, aut aliam quamcunque mulierem invitam, præterquam in caſibus in jure expreſſis, ad ingrediendum Monaſterium, vel ad ſuſcipiendum habitum cujuſcunque religionis, vel ad emittendam profeſſionem quique conſilium, auxilium, vel favorem dederint; quique ſcientes eam non ſponte ingredi Monaſterium, aut habitum ſuſcipere, aut profeſſionem emittere, quoquo modo eidem actui vel præſentiam, vel conſenſum, vel auctoritatem interpoſuerint:* ſimilique anathemati eos ſubjicere, *qui ſanctam virginum, vel aliarum mulierum voluntatem veli accipiendi, vel voti emittendi, quoquo modo ſine juſta cauſa impedierint.* (1)

XXIII. Sed ut Deo dicandarum virginum libertati proſpiciamus, cum iiſdem Tridentinis Patribus inhibemus, ne puella habitum regularem ſuſcipiat, ne in Monaſteriis quidem regularium jurisdictioni ſubjectis, niſi ante per Nos, vel per Vicarium noſtrum ejus fuerit explorata voluntas, *an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat quid agat*, & noſtra in ſcriptis licentia impetrata fuerit. (2)

XXIV. Puellæ habitum ſuſcepturæ a Monialibus in capitulum collectis per occulta ſuffragia recipiantur; receptæ ſi intra duos menſes habitum non induant, acceptatio ad nihilum recidet. (3) Habitum autem nulla reapſe aſſumat, niſi decimum quintum annum compleverit, (4) & pe-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 18. *de Reform.* (2) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 17. *de Reform. S. Cong. Conc.* 13. *Nov.* 1627. *&* *in* Dertonen. 16. *Decembr.* 1645. *S. Cong. Ep. & Reg. in* Brixien. 1. *Jul.* 1650. (3) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Aſſiſien. 14. *Martii* 1614. *& in* Placentin. 10. *Nov.* 1628. (4) *S. Cong. Ep. & Reg.* 23. *Maji* 1659

Digitized by Google

pecunia pro dote conſtituta in monte Pietatis, vel apud publicum nummularium integre depoſita, ſeu, iis deficientibus, perſonæ, quam Nos hujus rei gratia delegaverimus, concredita fuerit. Si contra factum fuerit, pœnam ſuſpenſionis ab officio, arbitrio Summi Pontificis reſervatæ, incurret Abbatiſſa, necnon amiſſionis dotis, vel ejus partis, quæ reapſe depoſita non fuerit. (1) Dotes autem pro Monaſteriis, in quibus vitæ communis inſtitutum invectum eſt, noſtro Sacræ Viſitationis decreto conſtituimus. (2) Pro cæteris ſervetur conſuetudo. Præter ea, quæ pro puellæ veſtibus, & alimentis tempore probationis requiruntur, nihil, quocunque prætextu, a parentibus, propinquis, aut curatoribus ex ejus bonis Monaſterio tribuatur, vel a Monialibus recipiatur, ſub anathematis pœna. Abeunti vero ante profeſſionem, quæ ſua erant, omnia reſtituantur. (3) Sed & illud ante habiti ſuſceptionem omnino requiritur, ut puella per decem dies exercitiis ſpiritualibus vacet. (4)

XXV. Ad profeſſionem autem non admittatur, quæ probationis annum, poſt ſuſceptum habitum, non exegerit, & decimum ſextum ætatis annum nondum compleverit: aliter enim emiſſa profeſſio nulla foret. (5) De profeſſionis tempore Nos ante menſem Monaſterii præfecta certiores faciat; quod ſi neglexerit, ab officio, quamdiu Nobis videbitur, ſuſpenſa ſit. (6) Ante profeſſionem iterum per ſecreta ſuffragia acceptabitur; rurſus a Nobis, vel a Vicario noſtro virginis voluntas explorabitur, (7) & ſpiritua-

(1) *Clem.* XIII. *in ſuo Mot. prop.* 13. *Febr.* 1759. *Encyclic. S Cong. Ep. & Reg.* 12. *Febr.* 1759. *juſſu ejuſd. Pontif.* (2) *Decret. S. Viſit.* 1. *Jun.* 1788. (3) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 16. *de Reform.* (4) *Encycl. S. Cong. Ep. & Reg. juſſu Inn.* XI. 9. *Octobr.* 1682. (5) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 15. *de Reform.* (6) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 17. *de Reform.* (7) *Conc. Trid. ſeſſ. cit. cap.* 17. *de Reform.*

Digitized by Google

tualia exercitia per alios decem dies iterabuntur. (1) Emiſſa profeſſione, dos ad Monaſterium devolvitur, vel in ejus utilitatem, Nobis tamen prius requiſitis, atque annuentibus, impendenda, ſi pro numeraria, vel in ſtabilibus, ſeu, iis deficientibus, in cenſibus collocanda, (2) aut in eorum extinctionem (3) eroganda, ſi pro ſupernumeraria (4) chorali (5) fuerit perſoluta.

XXVI. Renuntiatio, aut obligatio, quæ profeſſioni præmitti conſuevit, etiam jurejurando confirmata, vel in favorem cujuſcunque cauſæ piæ, nullius ſit roboris, niſi cum licentia noſtra, vel Vicarii noſtri generalis intra duos menſes proximos ante profeſſionem fiat; nec aliter ſuum effectum ſortiri, niſi eadem ſecuta profeſſione, intelligatur. (6) Notarii vero has excipientes renuntiationes, earum acta intra menſem cancellario noſtro, ut in archivo ſerventur, deferre non prætermittant. (7)

XXVII. Puellæ intra Monaſterii ſepta educationis gratia non admittantur, niſi S. Congregationis Epiſcoporum, & Regularium licentia, (8) conſenſus majoris partis Monialium per ſecreta ſuffragia, noſtraque approbatio acceſſerit, (9) ſub pœnis in violantes clauſuram latis omnino incurrendis. (10) Si minores ſeptem, vel majores vigintiquinque annis fuerint, peculiaris ejuſdem S. Congregationis facultas, ut recipiantur, requiritur. (11) Receptæ clauſuræ leges ſervent; ſi ſemel egrediantur, ulterius non reci-

(1) *Encycl. cit.* (2) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Ferrarien. 14. *Nov.* 1601. (3) *Eadem S. Cong. in* Piſtorien. 12. *Jul.* 1604. (4) *Eadem S. Cong. in* Caſtellana 25. *Jul.* 1574. *& alias*. (5) *Eadem S. Cong. in* Parmen. 15. *Sept.* 1603. *& alias*. (6) *Trid. ſeſſ. cit. cap.* 16. *de Reform.* (7) *Monacell. tit.* 1. *form.* 13. (8) Conc. *Rom. Tit.* 21. *cap.* 4. *S. Cong. Ep. & Reg. in* Viterbien. 17. *Apr.* 1602. *& in* Volterran. 11. *Sept.* 1603. *& alias*. (9) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Dertonen. 27. *Maji* 1607. *in* Amelienſi 4. *Jan.* 1608. *in* Aſſiſien. 29. *Apr.* 1603. *& alias*. (10) *Eadem S. Cong. in* Neapolit. 7. *Febr.* 1647. *& alias*. (11) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Dertonen. 27. *Maji* 1607.

Digitized by Google

recipientur. (1) Nubere volentes, dimittemus. (2) In Monaſteriis commorantes ſponſalia non ineant; ſi inverint, iis egreſſum e Monaſteriorum, etiam juriſdictioni noſtræ minime ſubjectorum, clauſura indicimus. (3) Regularem habitum petentes, eo non ante induantur, quam per duos menſes a clauſura exulaverint; (4) niſi juſtis de cauſis aliter Nobis viſum fuerit expedire; neque illum eadem, qua redeunt die, neque in exteriori eccleſia ſuſcipiant. (5) Hæ ſeorſim a Monialibus, & Novitiis convivant, (6) ſub Magiſtræ diſciplina, quæ eas *lanam facere*, *tenere colum*, *ponere in gremio calathum*, *rotare fuſum*, *ſtamina pollice ducere*, aliaſque fœminiles artes edoceat, potiſſimum vero ad pietatem, & religionem, obedientiam, & verecundiam inſtituat. A ſæcularibus conſortiis, quoad fieri poterit, arceantur; *nihil aliud diſcant audire*, *nihil loqui*, *niſi quod ad timorem Dei pertinet; turpia verba non intelligant*, *cantica mundi ignorent; adhuc tenera lingua pſalmis dulcibus imbuatur*. (7) Veſtes, quibus utuntur, laneæ ſint, cærulei coloris, & ejuſdem formæ; omniſque earum ornatus, & cultus ſumptuariæ legi, quam Sacræ Viſitationis decreto edidimus, omnino cohæreat. (8)

XXVIII. Nec minori cura earum educationi advigilandum, quæ, aſſumpto jam regulari habitu, religioſam vocationem periclitantur. Iis item locus ſeorſim ab aliis aſſignetur; (9) iis Magiſtra ſpectatæ probitatis præficiatur, quæ eas ad inſtituti diſciplinam erudiat, & illuſtri virtu-

tum

(1) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Dertonen. 27. *Maji* 1607. (2) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Bononien. 29. *Nov.* 1600. (3) *Eadem S. Cong. in* Bononien. 8. *Octobr.* 1723. *in* Coſentina 9. *Nov.* 1635. (4) *S. Cong. Ep. & Reg. apud* Nicol. *verb.* Educand. *n.* 18. (5) *Edict. Card. Vicarii juſſu Ben.* XIV. (6) *S. Cong. Ep. & Reg. pluries*, *& ſignanter in* Novarien. 2. *Jun.* 1595. *& in* Neapolit. 11. *Decembr.* 1648. (7) *D. Hier. Ep. cit.* (8) *Decret. Sac. Viſit.* 20. *Jul.* 1786. *&* 24. *Febr.* 1787. (9) *Sac. Cong. Ep. & Reg. in* Comen. 10. *Martii* 1593.

tum ſpecimine ad perfectionis ſtudium inflammet: *doceat ad orationes, & pſalmos nocte conſurgere; mane hymnos canere, tertia, ſexta, nona hora ſtare in acie, quaſi bellatrices Chriſti, accenſaque lucerna, reddere ſacrificium veſpertinum*. Hæ viciſſim illius nutum pro verbis, ac monitis, & pro imperio habeant: *Ament, ut parentem, ſubjiciantur, ut dominæ, timeant, ut magiſtram*. (1) Ita fiet, ut, cum prudentes virgines ſanctis operibus lampades ornaverint ſuas, ſpiritale cum cœleſti Sponſo connubium inire mereantur.

XXIX. Hæc, & permulta alia, quæ in cujuſque Monaſterii regulis, & ſtatutis continentur, religioſe, fideliterque Moniales obſervent, atque in mores traducant; quod ab illarum perſpecta pietate, atque ab earum, quæ præſunt, ſollicitudine haud dubitanter confidimus Nos fore conſequuturos.

XXX. Præter Sanctimonialium cœnobia, quæ hanc civitatem exornant, ſunt & alia pia domicilia, in quibus fœminæ peculiarem habitum geſtantes collegialiter vivunt, quæ tamen nec ſolemnia profeſſionis vota emittunt, nec clauſuræ legibus adſtringuntur. His jurisdictioni noſtræ omnimodam ſubjectionem indicimus. (2) Singulis hiſce cœtibus ſuæ conſtitutiones ſunt, quarum præſcripto earum fœminarum regimen moderari, moreſque inſtitui voluerunt Majores noſtri. His decreta identidem acceſſere ad retinendam diſciplinæ rationem pro temporum opportunitate edita. Hæc ſervari, hæc in mores traduci, atque opere compleri omnino volumus, & jubemus.

XXXI. Fœminis vero in propriis, vel ſuorum domibus commorantibus, & alicujus Inſtituti habitum petentibus,

(1) *D. Hier. Ep. inter ſelect. 16. lib. 2. ad Gaudentium*. (2) *Clem.* XII. *Conſtit.* Romanus Pontifex *ann.* 1732. *Ben.* XIV. *Conſtit.* Emanavit nuper *die* 17. *Sept.* 1749.

bus, illum ne ante regulares conferant, quam noſtrum aſſenſum obtinuerint, quem profecto denegabimus, niſi omnes conditiones adſint, quas Sacræ Urbis Congregationes requirunt. Primo ſcilicet, ut regulares habitum collaturi rite probaverint ſibi a Sede Apoſtolica id privilegii conceſſum eſſe; ſecundo petentes habitum morum honeſtate commendari; tertio eas ætatis ſuæ annum agere quadrageſimum; quarto iis cenſum ſuppetere, qui ad vitam ſuſtentandam ſufficiat; quinto denique non cum aliis eas cohabitare, quam cum perſonis in primo tantum conſanguinitatis, vel affinitatis gradu ſibi conjunctis. Habitu indutæ fori privilegio gaudent, & noſtræ, ac parochorum juriſdictioni omnino ſubjiciuntur. A regularibus ſui ordinis, niſi ad ſæcularium confeſſiones excipiendas approbati fuerint, ſacramentali abſolutione ſe donari non poſſe ſciant; non poſſe ab iis Sanctiſſimam Euchariſtiam in die Paſchatis ſumere, non Viaticum, non Extremam Unctionem recipere, non earum cadavera, inconſulto parocho, efferri, non in eccleſia ſui ordinis inhumari, niſi vel ibi ſepulcrum elegerint, vel ibi communis tumulus pro Tertiariis extructus reperiatur, (1)

XXXII. Quæ demum in ædibus Sanctæ Mariæ Magdalenæ, ſub clauſura Nobis reſervata, commorantur, ſuis conſtitutionibus inhæreant, quas pro laudabiliori, ſanctaque earum converſatione jam edidimus, (2) & præſenti decreto iterum confirmamus.

CA-

(1) *Lambertin. Inſtit. 29. & Inſtit. 105. Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. lib. 9. cap. 15. n. 11.* (2) *Conſtitutiones editæ anno 1787.*

Digitized by Google

CAPUT XVII.

De Piis Laicorum Sodalitatibus.

I. LAicos vel generis dignitate præſtantes, vel gerendis Reipublicæ negotiis occupatos, vel rei familiaris adminiſtrandæ, augendæque curis diſtentos, vel per alicujus exercitationem artis vitam tolerantes, abjectis ſæculi oblectamentis, & humanarum rerum cogitatione poſthabita, piis Sodalitatibus nomen dare, in pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus ſanctum Dei nomen religioſe in choro concelebrare, aliaque chriſtianæ charitatis officia obire, non ullius ſpe lucri adductos, ſed unius pietatis ſtudio incitatos, tantum id quidem eſt, ut nullo Nos laudum præconio hoc ſatis efferre, atque aſſequi poſſe intelligamus. Sed quoniam ea eſt infelix rerum omnium conditio, ut quo ſanctius conſtitutæ ſunt, eo validiore conatu ſubvertere illas, ac labefactare nitatur inimicus homo, Nos paſtoralis curæ noſtræ partibus deeſſe videremur, niſi ea expreſſe ſubnecteremus, ex quibus earumdem Sodalitatum firmitatem, atque utilitatem potiſſimum pendere exiſtimamus.

II. Qui Sodalitatum cœtibus adnumerantur, quodam quaſi fraternæ charitatis fœdere, ac vinculo inter ſe cohæreant, mutuamque benevolentiam, & individuam animorum conjunctionem jugiter alant, ac foveant: Sanctiſſimam Euchariſtiam præſcriptis diebus, prout cujuſque Sodalitatis ſtatuta poſtulant, collegialiter recipiant, morumque honeſtate, & gravitate cæteris præire ſtudeant, & antecellere.

III. Conventus, qui ad officiales eligendos, vel aſciſcendos confratres, vel ad conſultandum de communibus rebus ex cujuſque Sodalitatis legibus, & opportunitate co-

gi ſolent, conſueta precatione ab eo, qui præeſt, recitanda, incipi, & concludi jubemus. In his omnia rite, atque ordine peragantur. Contentiones, jurgia, & intempeſtivi joci cohibeantur, ſub pœnis pro modo culpæ arbitrio noſtro infligendis. In muneribus demandandis, ne quis ineundæ gratiæ, aut offenſionis vitandæ ſtudio ſe moveri patiatur: omnia ad Dei gloriam, & Confraternitatis utilitatem referantur. Qui in Sodalitatis nominibus fuerint, quamvis cæteroquin ſpectatæ prudentiæ, & integritatis ſint, niſi æs alienum ante perſolverint, ab officiis prohibeantur. (1) Non abſimili religione, & fide in novis cooptandis ſodalibus utendum eſt. De candidatorum moribus, ingenio, ſtudiiſque diligenter percontetur. Rudimentorum fidei ignari, flagitioſi, ſeditioſi, ganeis addicti, aliique, quos cujuſque Sodalitatis leges, & inſtituta rejiciunt, omnino repellantur. Quicquid in hiſce conventibus actum, conſtitutumque fuerit, non initis occulte ſuffragiis, nullius roboris fore decernimus. Acta, & deliberationes in libro ad id unice comparato, ne rei memoria intereat, continuo referantur. Delecti ad Sodalitatis officia, ea alacriter ſuſcipiant, & religioſe exequantur. Nemo ea recuſabit, niſi Nos, aut Vicarius noſter generalis excuſationis ejus cauſam probaverimus. Ea, ultra tempus a cujuſque Sodalitatis conſtitutionibus præfinitum, non exerceant. (2) Si quando Sodalitati expedire viſum fuerit, ut officiorum tempora prorogentur, non repugnabimus, ea tamen lege, ut ſuæ quiſque adminiſtrationis, ſi quam obiverit, ratiocinatori rationem antea reddat, & per ſecreta ſuffragia prorogationem obtineat. Eam vero ultra triennium protendi ſine noſtra in ſcriptis licentia prorſus interdicimus. (3)

IV.

(1) *S. Car. Borr. Prov. I. Syn. Cantoni*. (2) *S. Cong. Ep. & Reg.* 18. *Jul.* 1594., & 11. *Maji* 1616. (3) *S. Cong. Conc.* 1760. *Syn. Cantoni*.

IV. Qui ſervandæ, vel expendendæ Sodalitatis pecuniæ præficiuntur, circumacto ſuæ adminiſtrationis tempore, ratiocinatori rationem reddant; quod ni ſponte ſua fecerint, compellentur, atque interim ad quævis Sodalitatum munera inhabiles habebuntur. (1) Hæ autem accepti, & expenſi rationes cum deputatis a Sodalitate electis ineantur. Quod ſi Sodalitates in eccleſiis parochialibus erectæ, vel eiſdem adnexæ ſint, parochorum etiam præſentiam requirimus. (2) Prædictis autem conventibus, ubi de Officialium electione agatur, ſacerdotem aliquem ſpectatæ prudentiæ, & probitatis a Nobis approbandum præeſſe, parochum vero, ubi hoc in more ſit poſitum, intereſſe omnino volumus.

V. Sodalitatum proventus, quorum accuratam adminiſtrationem iis, ad quos pertinet, etiam, atque etiam commendamus, præterquam in Dei cultum, alioſque a teſtatoribus conſtitutos uſus, non inſumantur. Sumptus extra ordinem, peculiari congregatione non annuente, ne fiant: qui eos pro arbitrio fecerint, Nobis impendiorum rationem repoſcentibus, ſuo damno rependere compellentur.

VI. Bonorum immobilium ultra triennium locatio, eorumdem immobilium vel etiam mobilium pretioſorum diſtractio, vel commutatio, ſi ea ad Confraternitates, etiam laicales eccleſiaſtica auctoritate erectas pertineant, Extravagantis *Ambitioſæ* prohibitioni, & excommunicationi ſubjiciuntur, niſi noſtra, vel Sedis Apoſtolicæ, pretii rerum ratione habita, facultas acceſſerit. Eadem vero immobilia bona, etiam ad modicum tempus, locare, mobilia commodare, cenſus emere, pecuniam mutuam dare, Nobis non annuentibus, ſibi interdictum fore omnes norint.

VII.

(1) *Syn. Cantoni*. (2) *Syn. Cantoni*.

VII. Arculas, ſeu capſulas in eccleſiis apponere, vel circumferre, pelvim, menſas, aut aliud quicquam pro colligendis eleemoſynis exponere, ſub quocunque prætextu, nemo audeat. Eleemoſynæ autem quocunque modo recollectæ, aliaque chriſtianæ charitatis oblata ſubſidia in ſacris inſtaurandis, exornandiſque ædibus, vel in alios a Nobis præfiniendos uſus fideliter erogentur. (1)

VIII. Capellani a Sodalitatibus electi, & a Nobis, ſi ſæculares, ſi vero regulares fuerint, etiam a ſuorum ordinum ſuperioribus approbandi, caveant, ne, Confraternitatis alicujus privilegiorum prætextu, ſuæ in abſolvendo jurisdictionis latius, quam par ſit, fines protendant. (2) His pacta, de more, ſtipendia ſolvantur, neque, Nobis non annuentibus, imminuantur, aut augeantur. Hi viciſſim ſui muneris officia erga confratres religioſe obire non prætermittant; indulgentias, pene innumeras, piis Sodalitatibus pontificia liberalitate conceſſas, identidem confratribus commemorantes, ut cœleſtium donorum copia, & ſpe excitati alacrius ſuis quiſque muneribus perfungantur.

IX. Sodalitates eccleſiarum cultum, & nitorem cordi habeant. Sacra ſupellex divinis obeundis officiis requiſita nunquam deſit. Hæc in ſacrariis, non autem in privatis domibus, niſi Nobis aliter viſum fuerit, ſervetur.

X. Diem Sancto Titulari ſacrum ſingulæ Sodalitates celebrem habeant. Hujus vero diei venerandam, ſanctamque lætitiam ad profana ſpectacula, inconditumque gaudium ne vertant. Convivia, & commeſſationes Confraternitatum ſumptibus ne habeantur. Hæc autem in oratoriis, eorumque ſacrariis, vel ære proprio fieri ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis, prorſus interdicimus. (3)

XI.

(1) *Clem.* VIII. *Conſtit.* Quæcunque a Sede Apoſtolica 24. *Decembr.* 1604. (2) *Clem.* VIII. *Conſtit. cit.* (3) *Syn. Cantoni*.

XI. Si quæ alia feſta, vel pia exercitia fundatorum voluntas, vel probata induxerit conſuetudo, ea peragere non prætermittant. Extra ordinem vero, Nobis non annuentibus, ne inducantur.

XII. Parochi, in quorum eccleſiis, vel paræciis Sodalitates erectæ ſunt, caveant, ne bonorum, aut pecuniarum ad eas ſpectantium procurationi, vel oblationum, aut eleemoſynarum ab iis recollectarum adminiſtrationi ſe immiſceant. (1) Sodalitates viciſſim ab iis omnibus abſtinebunt, quæ aut juribus parochorum officere, aut eorum muneribus impedimento eſſe poſſint.

XIII. Nulli Sodalitatum liceat in propriis oratoriis, ſeu eccleſiis ſepulcra conſtruere, niſi noſtra in ſcriptis licentia acceſſerit. Confratres autem decedentes, vel in majorum ſuorum ſepulcro, vel in parochiali eccleſia tumulandi ſunt, nunquam vero in ſepulcro ſui oratorii, niſi illud ſibi explicite elegerint. (2) Quoniam vero quamplures controverſias, quæ inter parochos, & Confraternitates ſæculares exoriri poſſent, Sacra Rituum Congregatio diremit per ejus generale decretum a Clemente XI. confirmatum, hoc propterea, cum occaſio tulerit, conſulendum, huic inhærendum: peculiaribus tamen pactis, concordiis inter partes initis a Sancta Sede approbatis, indultis, conſtitutionibus ſynodalibus, ac provincialibus, conſuetudinibusque immemorabilibus, vel ſaltem centenariis in ſuo robore permanentibus. (3)

XIV. Publicis ſupplicationibus, quibus ſeu lege, ſeu legitima conſuetudine intereſſe tenentur, convenire confratres ne præ-

(1) *S. Rit. Cong.* 10. *Decembr.* 1703. (2) *S. Cong. Conc. in* Neapolit. 13. *Febr.* 1660. (3) *Decret.* Urbis & Orbis 12. *Jan.* 1704. *relat. a Lambertin. Inſtit.* 105.

Digitized by Google

prætermittant ; alias ſciant ſe pœnis arbitrio noſtro imponendis fore compellendos. (1)

XV. Suis quæque Sodalitas inſignibus utatur, eaque, Nobis non approbantibus, nunquam audeat immutare. (2) His indutos hac illac confratres excurrere, multoque magis ad tabernas accedere, ſub pœnis arbitrio noſtro inferendis, prorſus vetamus. (3)

XVI. Quas civitatem, & diœceſim noſtram perluſtrantes Sodalitates offendimus conſtitutionibus carentes, eas opportunarum legum præſidio, ut paſtoralis ſollicitudo noſtra ferebat, communivimus. Quoniam igitur ſingulis modo Sodalitatibus ſuæ leges ſunt, quàrum præſcripto regantur, eas ſtudioſe compleri, & in mores traduci mandamus. Si qui vero ſtatuta contemnere, pietatis officia negligere, &, quod pejus eſt, in vitia ruere, aut prava aliqua conſuetudine detineri comperti fuerint, hi pro modo culpæ, & cujuſque Sodalitatis præſcripto vel multentur, vel fruſtra moniti, e ſodalium conſortiò ejiciantur.

XVII. Auguſtiſſimi Sacramenti cultui. proſpicientes, ejuſdem Sodalitates in omnibus ruralibus paræciis Sacræ Viſitationis decreto ſub die 8. Septembris 1787. excitari mandavimus, ſuis cuique legibus conſtitutis, quas typis evulgandas curavimus. Omnibus propterea, & ſingulis, qui eiſdem cœtibus recenſentur, præcipimus, ut quæ inibi ſancita ſunt, quæque generatim de piis laicorum Sodalitatibus hoc capite ſtatuuntur, religioſe perficiant ; in eam ſpem erecti fore, ut, cum Regem regum ſub viſibili elementorum ſpecie latitantem intima animi pietate, atque obſequio venerati fuerint in terris, eum revelata facie contemplari in cœlis mereantur.

CA-

(1) *S. Cong. Conc.* 21. *Jan.* 1622. *&* 8. *Maji* 1627. (2) *S. Cong. Ep. & Reg. in* Anconit. 20. *Febr.* 1601. (3) *Syn. Cantani*.

CAPUT XVIII.

De Noſocomiis , Xenodochiis , Orphanotrophiis , Brephotrophiis , ac Montibus Pietatis .

I. QUam accepta Deo ſit piorum Locorum inſtitutio , quibus vel morbo laborantibus remedia parantur , vel pias peregrinationes obeuntibus præbetur hoſpitium , vel puellarum , puerorumque , qui parentibus orbantur , aut humana ope deſtituuntur , pudicitiæ , honeſtatique conſulitur , vel nothis , cæteriſque omnibus inopia preſſis ſubvenitur , quiſque facile intelliget , qui Chriſti Domini verba ſecum animo repetat , quibus quicquid officii uni ex minimis iſtis chriſtianæ charitatis affectu præſtiterimus , ſibi ipſi præſtitum , nobiſque liberaliter repoſitum iri profitetur . (1) Horum itaque Locorum piorum demandatam Nobis a Tridentino curam (2) eo lubentius gerimus , quo gratiora divinæ voluntati collata in rem hanc ſtudia futura eſſe confidimus .

II. Ab Hoſpitali autem Sanctæ Mariæ de Crucibus , in quo ægroti , peregrini , ac nothi ex pia fundatorum voluntate recipiendi ſunt , ſumentes initium , permulta a Nobis forent hoc loco pro ejus regimine ſtatuenda , niſi id ante , opportunis conditis legibus , quas denuo confirmamus , ſatis Nos præſtitiſſe intelligeremus . (3) Id unum itaque videretur ſupereſſe , ut eorum , quæ inibi ſancita ſunt , exactam omnium cuſtodiam , & exequutionem urgeremus . Sed tantæ rei gravitas omnino Nos ſilere non patitur .

III. Omnes itaque , & ſingulos , qui Hoſpitalis admini-

(1) *Matth.* 25. (2) *Conc. Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 15. *de Reform. & ſeſſ.* 25. *cap.* 8. *de Reform.* (3) *Nova Conſtit. pro Hoſpitali S. Mariæ de Crucibus typis evulganda.*

niſtrationi, & gubernationi præſunt, vehementer in Domino hortamur, ut ſuorum munerum partibus ſedulo reſpondere curent; ac reliquos etiam ejuſdem miniſtros, ubi opus fuerit, excitent, ut ſuo quiſque officio rite perfungatur. Neminem eorum, qui ex loci ſtatutis excipiendi ſunt, ſi ſumptui Hoſpitale par fuerit, rejiciant. Induant erga omnes miſericordiæ viſcera, omnique humanitatis genere afflictos, jacenteſque eorum animos ad ſolatium erigant.

IV. Noverint Medici corporum, animarumque ſalutem ab ſua ſedulitate, & diligentia plurimum pendere; meminerint quid jurejurando ſpoponderint cum doctorali laurea donarentur. Cum igitur ad *infirmos in lecto jacentes* ſive gravi, ſive levi morbo affectos advocati fuerint, eos ante omnia *moneant, & inducant quod medicos advocent animarum, ut poſtquam fuerit de ſalute animarum proviſum, ad corporale medicinæ remedium ſalubrius procedatur*; (1) *neque tertio die ulterius eos viſitent*, niſi confeſſarii teſtimonio vel emiſſam confeſſionem, vel ex rationabili cauſa dilatam fuiſſe conſtiterit. (2) Hanc veteris diſciplinæ ſanctionem, quam à Conciliorum generalium auctoritate, a pontificiis Conſtitutionibus, & Prædeceſſorum noſtrorum decretis accepimus, cum ubique in diœceſi noſtra, tum maxime in prædicto Hoſpitali, aliiſque curæ noſtræ ſubjectis ſervari volumus, & decernimus. Qui defuerint, admiſſi in proprium officium criminis pœnas a ſacris canonibus ſtatutas, aliaſque arbitrio noſtro experientur.

V. Capellanorum munus eſt ſpiritualem ægrotantium ſalutem operari. Ad eorum itaque Sacramentales Confeſſiones excipiendas, quoties requiſiti fuerint, præſto ſint;

quin

(1) *Conc. Gen. Later. ſub Inn.* III. *Can.* 22. *relat. in cap.* Cum infirmitas *de pœnit. & remiſſ.* (2) *S. Pius* V. *Conſtit.* Supra gregem Dominicum 8. *Martii* 1566. *Conc. Rom. Tit.* 32. *cap.* 1. *Lambertin. Inſtit.* 22.

quin & irrequiſiti, ut infirmi omnes eam intra biduum ſaltem emittant, ſive morbus periculum mortis afferat, ſive non, hortari non prætermittant. Eos perquam frequenter inviſant, in chriſtianæ doctrinæ elementis erudiant, ad actuum Fidei, Spei, Charitatis, aliarumque virtutum crebram iterationem alliciant, & paterno, ac ſuavi alloquio ſolentur, & recreent. Adductos in vitæ diſcrimen cœleſti Cibo, & extrema Unctione communiant, cumque tempus propinquæ mortis advenerit, eorum animas ad ultimum uſque vitæ ſpiritum piis precationibus omnipotenti Deo commendent. Quem vero in re tanti momenti oſcitanter indormire, aut non ſatis ſtudioſe verſari intellexerimus, eum condignis pœnis afficiemus. Excubias, & vigilias alternis vicibus agant, ac diu noctuque in ſtatione permaneant. Eorum nemo ab urbe, non impetrata, ſaltem ab altero ex prioribus, venia, diſcedat.

VI. Eorum, qui ad Hoſpitale advenerint, nomina, cognomina, patria, ætas, & quicquid ſecum attulerint, in libro hujus rei gratia comparato diligenter referantur.

VII. Bona ab iis, qui inteſtati deceſſerint, relicta, non in alios, quam a Nobis præfinitum fuerit, uſus deriventur. Vita functis pro cujuſque facultate, vel loci conſuetudine juſta perſolvantur; conſaneſcentes, niſi jam confirmata ſatis valetudine medici judicio eos eſſe conſtiterit, non dimittantur.

VIII. Adventantibus peregrinis omnia hoſpitalitatis officia perſolvantur. Mares, & fœminas promiſcue verſari, niſi eos matrimonii vinculo conjunctos eſſe haud dubie conſtiterit, quin & pueros cum majoribus natu cubare, niſi eos arctiſſima inter ſe conſanguinitate conjunctos eſſe manifeſte comprobatum fuerit, prorſus interdicimus. Hoſpitio

Digitized by Google

excepti mane, & veſperi ſimul ſtatis horis conveniant, conſuetis precationibus operam daturi. Elapſis, quos Loci ſtatuta concedunt, diebus, e diverſorio dimittantur. Judæi autem, hæretici, facinoroſi, aliique hujus ſurfuris homines neutiquam recipiantur, recepti omnino abire cogantur.

IX. Infantes expoſiti ſtatim recipiantur, & nutricibus recte valentibus, ac boni teſtimonii alendi tradantur. Si nullum collati Baptiſmatis indicium ferant, baptizentur: ſi vero ſchedulam ſuſcepti Baptiſmatis collo appenſam gerant, ſub conditione iteretur, niſi ſchedulæ auctor fide dignus innoteſcat, vel unius etiam tantum teſtimonio collatum fuiſſe Baptiſma comprobetur, quoniam *bene aliquando creditur uni, quando non ſit præjudicium alicui, puta utrum aliquis ſit baptizatus*. (1)

X. Puerorum *Miſericordiæ* Hoſpitium, quod fidelium largitionibus, ac potiſſimum Deceſſoris noſtri liberalitate anno 1772. inſtitutum fuerat, Sacræ Viſitationis decreto die 13. Decembris 1788. veteri Orphanotrophio univimus, quod majori puerorum agmini alendo id Nobis viſum fuerit expedire. Hanc autem unionem, quo magis inviolata permaneat, ex hujus etiam noſtræ Synodi auctoritate confirmamus. Hujus ergo Orphanotrophii regimini admoti, eo majori ſollicitudine muneri ſuo reſpondere ſtudeant, quo major puerorum alendorum, inſtituendorumque copia ſuppetit. Conſtitutiones, quas pro loci hujus opportunitate edidimus, ipſi ſervabunt, & ſervandas ab omnibus curabunt; neque minus de inſtituendis ad religionem, & pietatem animis, quam de ſuppeditando corporibus victu laborabunt, ampliſſimam mercedem in cœlis conſequuturi, ſi in re ſane graviſſima operam, & ſtudium collocaverint.

XI.

(1) *Cap.* Nuper *de teſtibus. Lambertin. Inſtit.* 8.

XI. Egenis pariter puellis recipiendis, alendis, inſtituendiſque bina in civitate extabant Hoſpitia, quibus aliud anno 1769. additum fuit ſub titulo *Providentiæ*, Prædeceſſoris noſtri beneficentia inſtitutum, & piorum largitionibus auctum. Quoniam autem ſingulis ſuæ leges ſtatutæ ſunt, quibus & domeſtica diſciplina, & ſubſidiorum dotalium tradendorum methodus, & rerum omnium agendarum ratio continetur, ex earum propterea præſcripto omnia peragi, & adminiſtrari mandamus; quod ab eorum, qui præſunt, ſtudio, fide, & religione jure Nos ſperare poſſe exiſtimamus.

XII. Montes Pietatis eo conſilio inſtituti ſunt, ne infanda uſurariorum aviditas extremas pauperum opes, & ſanguinem abſumeret, ac voraret. Hi, ſi recte conſtitutis legibus adminiſtrentur, & Conciliorum generalium, & Summorum Pontificum auctoritate (1) probantur, ac inter pia loca, & præcipua chriſtianæ charitatis opera merito recenſentur. Quoniam vero Tridentini Patres prædictos Montes Pietatis Epiſcoporum curæ, & viſitationi ſubjecerunt, (2) ne muneri noſtro deeſſe videamur, nonnulla ad hanc rem vel ex Deceſſorum noſtrorum ſanctionibus petita, vel ex integro pro temporis opportunitate condita, ſtatuenda eſſe duximus.

XIII. Firmum itaque, ac ratum ex ſel. record. Pauli V. Conſtitutione (3) omnino eſſe debet, pecuniam ſive ab initio pro Montium erectione conlatam, ſive pro ſortis augmento poſtmodum acquiſitam, non aliter quam in pauperum uſus, & levamen, juxta formam erectionis, diſtrahendam, aut erogandam eſſe, pœna excommunicationis ipſo

(1) *Conc. Later. ſeſſ.* 10. *Conc. Trid. ſeſſ.* 22. *cap.* 8. *de Reform. Leo* x. *Conſtit.* Inter Multiplices 4. *Maji* 1515. *Paulus* v. *Conſtit.* 82. Oneroſa 5. *Febr.* 1615. *aliique Summi Pontifices*. (2) *Conc. Trid. loc. cit.* (3) *Conſtit. cit.*

ipſo facto incurrendæ, Summoque Pontifici reſervatæ in præſides, ſeu miniſtros conſtituta, qui ſecus facere, ſub quovis prætextu, aut quæſito colore, etiam cum obligatione intra quodcunque breve tempus reſtituendi, abſque Sedis Apoſtolicæ auctoritate, auſi fuerint, aut præſumpſerint. Hujus Conſtitutionis exemplar italico idiomate redditum in ſingulis Montium Pietatis domibus appenſum proſtare volumus.

XIV. Pignora a mutuatariis accepta omni diligentia ſervabunt Montis miniſtri, ne aut rubigine abſumantur, aut loci ſqualore, & pulvere obſordeſcant. Accepta ſemel pignora non commutabunt, non ea, vel ad breviſſimum tempus, ulli omnino commodabunt, non illis utentur. Quos in ea re peccaſſe conſtiterit, citra ullam veniæ ſpem, ab officio repellemus; quin nec ea, exceptis præſidibus, cuiquam oſtendent, neque cujus ſint, evulgabunt. Pecunia pro pignoribus mutuata, niſi noſtra in ſcriptis licentia acceſſerit, quinquaginta ſcutatorum ſummam nunquam ſuperet. Vaſa ſacra, ac veſtes ſacræ, ſine noſtra licentia, (1) a Judæis vero nulla omnino pignora recipiantur, ſub pœnis arbitrio noſtro infligendis. Si intra tempus a legibus Montis præfinitum pignora redimere domini prætermiſerint, nullius ratione habita, ea ſtatim veneant, ut exinde redacto pretio ſortem creditam Mons recuperet, ac modicum quid ultra ſortem, quod vulgo *denarino* nuncupari conſuevit, recipiat; reſiduum vero ſibi vindicent mutuatarii.

XV. Ut autem modicum hoc lucrum, quod ultra ſortem recipitur, ab omni vacet uſuræ ſuſpicione, quicquid exigitur, non cauſa mutui exigatur, ſed ut congrua miniſtris, quibus in ſervandis, cuſtodiendiſque pignoribus plurimum

(1) *Lambertin. Inſtit. 69.*

Digitized by Google

mum curæ, & laboris impendendum eſt, ſtipendia ſolvantur, aliæque fiant expenſæ, quæ ſi ex ipſis Montis pecuniis deducerentur, verendum eſſet, ne brevi Mons ipſe; maximo cum pauperum detrimento, deficeret. Non igitur pro arbitrio, ſed conditionis Montis ratione habita, auctarium ſtatuendum eſt. Eapropter rationibus ſupputatis, & Montis hujus ſtatu quam diligentiſſime explorato, Deceſſorum noſtrorum ſanctionibus, quibus cavetur, ut unus tantum nummus pro ſingulis centenis nummis ſolvatur, (1) in ſuo robore relictis, ſtatuimus, ut quoties pecunia pro pignoribus mutuata ſummam ſcutatorum decem non excedit, nihil omnino recipiatur, quod jam a Nobis in Sacra Viſitatione decretum, (2) iterum edicimus, atque decernimus.

XVI. Si vero contingeret (quod tamen miniſtrorum fide, atque induſtria freti nunquam eventurum ſperamus) ut ſublevandis pauperum indigentiis Montis reditus impares forent, non propterea liceret, niſi ex Apoſtolicæ Sedis diſpenſatione, vel æs alienum contrahere, vel ad contractum diſſolvendum plus, quam antea conſueverit, a mutuatariis exigere. (3)

XVII. Quæ hactenus ſingillatim admonenda, decernendaque duximus, ita ab omnibus Montis Pietatis præfectis, & miniſtris quibuſcunque ſervari, & ad praxim deduci volumus, ut tamen hi cætera non obliviſcantur, quæ in peculiaribus ſuis conſtitutionibus continentur, quas, qua parte noſtris hiſce decretis non adverſantur, approbamus, & confirmamus.

XVIII. Quicquid de Noſocomio, Xenodochio, Orphano-

(1) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni*. (2) *Decret. S. Viſit.* 30. *Decembr.* 1788. (3) *S. Cong. Conc. apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 10. *cap.* 5. *n.* 2.

Digitized by Google

notrophiis, ac de Monte Pietatis urbis hujus hoc capite a Nobis ſancitum eſt, ad alia etiam ſimilia diœceſeos noſtræ pia loca pertinere declaramus, ſalvis tamen peculiaribus legibus, ſtatutis, atque decretis, quæ ſive a Majoribus noſtris, ſive a Nobis, pro circumſtantiarum, & locorum varietate, condita fuerint.

CAPUT XIX.

De Vicario Generali, & Archiepiſcopalis Fori Miniſtris.

I. QUod inſcrutabili divinæ Sapientiæ conſilio humilitati noſtræ concreditum eſt Epiſcopale munus, tanta Nos curarum obruit mole, ut impoſito graviſſimo oneri ſuccumbendum Nobis eſſe intelligamus, niſi multiplici miniſtrorum copia, quos laboris, & paſtoralis officii ſocios adſcivimus, aliquantulum ſublevemur.

II. Hos inter primas Vicario noſtro generali deferimus, eique propterea honorem, & obſequium, quod perſonam noſtram referenti jure exhibendum eſt, tribui omnino volumus. Principem inter dignitates, & canonicos locum *tam in choro, quam in proceſſionibus, in ſedendo, ſtando, eundoque*, ſive Nos præſentes, ſive abſentes erimus, obtinebit; (1) eidemque præcedentia ſupra hujus civitatis Gubernatorem, *ſemper, & ubicunque tam in ſedendo, quam in incedendo, in proceſſionibus, ac in omni loco, & actione, ubi ſimul convenire, vel incedere contigerit*, præſentibus, aut abſentibus Nobis, quod S. Rituum Congregationis decreto ſancitum, (2) & veteri conſuetudine receptum eſt, tribua-

(1) *Conc. Prov. Rav. Boncompagni*. (2) *Decret. S. Rit. Cong.* 28. *Apr.* 1607. *in Append. ad V. Part. Syn. Guiccioli n. XI.*

buatur. Inſula etiam, ac pontificalibus inſignibus, quibus metropolitanæ noſtræ canonici utuntur, quemadmodum a Sancta Sede eidem conceſſum eſt, (1) perſruatur.

III. At quanto ejus præſtantior eſt dignitas, tanto magis eum decet doctrinæ, ac prudentiæ laude, morum gravitate, ac totius vitæ integritate cæteris eminere.

IV. Hujus potiſſimum munus eſt cauſas, quæ ad noſtrum tribunal deferuntur, cognoſcere, ac unicuique juſtitiam integre, ſapienterque adminiſtrare. Hunc propterea & congrua juris utriuſque peritia pollere, & fori uſu exercitatum eſſe oportet, ut recte jus dicere, ac juſtitiæ habenas rite moderari valeat.

V. Juridicis diebus, ſtatiſque horis pro tribunali ſedeat. Feriatis autem, quos tabella a Deceſſore noſtro recognita, ac in appendice reponenda (2) exhibebit, a jure dicundo abſtinebit, præterquam in cauſis, in quibus feriis derogare permiſſum eſt. Facilem omnibus præbeat acceſſum; ita parvum audiat, ut magnum, nec cujuſquam perſonam accipiat. (3) Diſſidia, & lites componere, & conciliare ſtudeat. Pauperum, & miſerabilium perſonarum, eccleſiarum, piorumque locorum, aut legatorum cauſſas, & alias quaſcunque decem aureorum ſummam non excedentes, niſi de ſolutione canonis agatur, ſummarie, & abſque forma judicii expediat. (4) In cæteris definiendis, & decidendis, ſedulo libratis hinc, & illinc rationum, & auctoritatum momentis, abjectoque partium ſtudio, quod cum æquitate magis congruere ſibi viſum fuerit, (5) quam citiſſime poterit decernat. (6) In criminalibus cauſſis humanitate, & clementia legum aſperitatem ita temperabit, ut

(1) *In Archiv. Archiep. Tom. 41. Diverſor.* (2) *In Append. n. I.* (3) *Deuter. cap. 1.* (4) *Syn. Cantoni.* (5) *Prop. 2. inter ſexagintaquinque damnat. ab Inn. XI. die 2. Martii 1679.* (6) *Conc. Rom. Tit. VIII. c. 2.*

ut reorum potius reſipiſcentiam , quam pœnam , atque vindictam ſpectare videatur . Ubi vero res dubia fuerit , reo magis , quam actori favendum eſſe meminerit . (1) In carceribus incluſos paterna charitate inviſat . Caveat , ne quid damni a cuſtodibus patiantur , ne quotidiano victu fraudentur , ne acerbius æquo habeantur , ne demum ſpiritualia ipſis ſubſidia deſint . Eorum præcipue cauſſas ne diutius ſub judice eſſe ſinat . Caveat ne reos criminaliter inquiſitos interrogaturus , ab his , *dum uti principales conſtituuntur* , dicendæ veritatis juramentum exigat : idque a notariis , & ſcribis religioſe ſervandum curet ; alias examen ipſum , & acta omnia nulla eſſe eo ipſo , ac irrita declaramus . Ab his vero juramentum exigere , cum *ut teſtes quoad alios* interrogantur , nullo jure inhibetur . (2)

VI. Si quando de matrimonii alicujus validitate diſceptetur , non inconſulta facilitate , atque præcipiti ſententia irritum illud , ac invalidum declarabit . Ut vero rectus ordo , & judiciorum ſeries pro hujuſmodi cauſſis conſtituta ſervetur , matrimoniorum Defenſorem , virum juris ſcientia pariter , & vitæ probitate præditum , quem in aliorum officialium elenchum ad hujus Synodi calcem referri juſſimus , eligere non prætermiſimus ; facultate tamen Nobis reſervata , alium æque idoneum ejus loco ſubrogandi , ſi vel juſta eum ſuſpendendi , vel removendi cauſa adfuerit , vel , cum ſe occaſio agendi obtulerit , legitime fuerit impeditus. Ipſe vero Defenſor , cum ei munus hujuſmodi committetur , juramentum præbebit officium ſuum fideliter obeundi , quod idem rurſus præſtabit , quotieſcunque in judicio adeſſe debebit pro alicujus matrimonii validitate tuenda . Ejus partes erunt in judicium venire , quoties contigerit matrimonia-

(1) *Ex reg. II. Jur. in 6.* (2) *Conc. Rom. Tit. XIII. cap. 2. Syn. Guiccioli, Syn. Centoni.*

niales ejuſmodi controverſias coram legitimo judice agitari, eumque propterea volumus in quolibet actu judiciali citari, adeſſe teſtium examini, voce, & ſcriptis matrimonii validitatem ſtrenue, & pro viribus tueri, eaque omnia deducere, quæ ad matrimonium ſuſtinendum neceſſaria eſſe arbitrabitur. Quæcunque vero, eo non legitime citato, aut intimato, in judicio peracta fuerint, nulla ac irrita eſſe declaramus. Si judex pro validitate matrimonii ſententiam tulerit, & nullus ſit qui appellet, ipſe quoque Defenſor ab appellatione abſtinebit: ſin autem contra matrimonii validitatem ſententiam pronunciaverit, idem Defenſor ex officio inter legitima tempora ad ſuperiorem judicem provocabit. Quod ſi judex, ad quem appellationis beneficio cauſſa in ſecunda inſtantia delata fuerit, tribunali, & juriſdictione ordinaria careat, ac ejuſmodi cauſſam in noſtra diœceſi cogniturus ſit, eodem matrimonii Defenſore utatur, etiamſi Vicarius noſter generalis primam ſententiam in ea pronunciaverit. Si autem in ſecunda ſententia, æque ac in prima, nullum, ac irritum matrimonium judicatum fuerit, nec ei, ſalva conſcientia, acquieſcendum putaverit Defenſor, adhuc ei integrum erit, interpoſita appellatione, rem ſeveriori trutinæ ſubjicere, prout in Benedictina Conſtitutione, ex qua prædicta delibavimus, quamque, veluti normam in hoc graviſſimo judicii genere, a ſupradictis Vicario noſtro generali, ac matrimoniorum Defenſore religioſe ſervari volumus, fuſius continetur. (1)

VII. Qui certum præſcripſit ordinem in tribunalibus eccleſiaſticis ſervandum, quum in ipſis de connubiorum fœdere diſſolvendo ageretur, idem methodum ſtatuit, qua eccleſiaſtici judices uterentur, cum de ſpiritualibus animorum

Qq ne-

(1) *Ben. XIV. Conſtit.* Dei miſeratione 3. *Nov.* 1741.

nexibus relaxandis res eſſet, ſeu cum de nullitate profeſſionis emiſſæ ab utriuſque ſexus religioſis, vel a Religione aliqua actiones intentari contingeret, ut rerum veritatem in ſpecie dignoſcere, ſuaſque ſententias indubiis fundamentis innixas proferre poſſent. Huic Nos methodo inhærentes, virum doctrina, & probitate commendatum Defenſorem profeſſionum deputavimus, ac in aliorum officialium indicem referri mandavimus. Quæ vero de matrimoniorum Defenſore a Nobis ſuperius dicta, & ſtatuta ſunt, huic omnia dicta, demandata, injuncta, & reſpective applicata eſſe cenſeantur. Is igitur ſingulis hujus generis judiciis aderit, ac pro profeſſionum validitate pugnabit: ipſe interrogatoria dabit, ipſe examini intererit, a ſententia in prima inſtantia pro nullitate profeſſionis edita omnino appellabit, atque in ſecunda, ſeu ulteriori hujuſmodi cauſſarum reviſione ea omnia obſervabit, quæ ſupra a matrimoniorum Defenſore in cauſſis matrimonialibus ſervanda eſſe decrevimus. Vicarius autem noſter generalis, cujus partes erunt cauſſas hujuſmodi in prima inſtantia cognoſcere, probe noverit, eas aliquando ab ipſo tantum, aliquando vero ab eo ſimul, & a ſuperiore regulari judicandas eſſe; noverit, quid de apoſtatis de ſuæ profeſſionis nullitate judicium fieri poſtulantibus Tridentinum decreverit; (1) noverit, reclamantes adverſus profeſſionem nullatenus ab ſe audiendos eſſe, niſi intra quinquennium a die emiſſæ profeſſionis computandum reclamaverint; (2) ac etiam inſtantias pro *reſtitutione in integrum adverſus lapſum quinquennii* omnino rejiciendas, niſi eas ex Apoſtolica delegatione examinandi, vel judicandi facultas impertita fuerit. Hæc, & alia permulta, quæ in Benedictina Conſtitutione videre licet, prompta, notaque ha-

(1) *Trid. ſeſſ. 25. cap. 19. de Regular.* (2) *Trid. loc. cit.*

Digitized by Google

habeat Vicarius noſter generalis, ne prolatas ab eo ſententias ullo unquam inſanabili nullitatis vitio corruere contingat. (1)

VIII. Appellationes, & inhibitiones a Suffraganeorum judiciis non ſine delectu cauſæ, & rei, de qua agitur, in foro noſtro admittantur, aut concedantur. Ne vero in hoc tanti momenti negotio unquam erretur, utque debita unicuique in ſuo ordine jurisdictionis, & auctoritatis prærogativa ſervetur, ea ſemper agendi ratio, & diſciplina in appellationum judiciis a Vicario noſtro præ oculis habeatur, ſerveturque, quam Benedictus XIV. maturo, ſaluberrimoque conſilio conſtituit. Ita fiet, ut diſcordiarum, & contentionum ſemina ſuffocentur, ac mutuo charitatis vinculo tribunalia ſocientur. (2)

IX. Tribunalis noſtri jura ne ab ullo unquam lædi patiatur Vicarius noſter. Sit ſacrorum Canonum cuſtos, apoſtolicarum Conſtitutionum aſſertor, Tridentini Concilii vindex, noſtrarum ſynodalium ſanctionum, & ſacræ Viſitationis decretorum ſtrenuus propugnator. Immunitatem tum realem, tum localem, tum perſonalem tueatur. Clericorum jura ſarta tecta ſervabit. Clerici, quamvis conjugati, ſi requiſitas a jure canonico qualitates habeant, (3) fori, aliiſque clericalibus privilegiis perfruantur. Qui vero tonſuram non geſtaverint, & clericales veſtes abjecerint, non continuo omnibus clericorum exemptionibus excidiſſe judicentur. (4) Fori tantum privilegio ſpoliati cenſeantur, ita ut illud pro ſe allegare non poſſint: at, quia nihilominus jurisdictioni noſtræ ſubſunt, nullo jure impedimur, quominus eos, ſive cælibes, ſive conjugatos, ſive in eorum

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Si datam hominibus. 4. *Martii* 1748. (2) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Ad militantis 30. *Martii* 1742. (3) *Cap.* Clerici *de cleric. conjugat. in* 6. (4) *S. Cong. Conc. pluries apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 12. *cap.* 2. *n.* 2.

rum cauſis prævenerimus, ſive non (niſi forte a jure, aut ab homine per declarationem, ſervatis ſervandis, factam privilegiis clericalibus denudati fuerint) a judice ſæculari repetere, ad forum noſtrum revocare, debitiſque in eos pœnis animadvertere valeamus. (1) Clericorum itaque cauſas, quæ ad eccleſiaſticum forum ſpectare quoquomodo poſſunt, ne ſinat Vicarius noſter in alieno actitari.

X. In eo etiam Vicarii noſtri cura verſari debet, ut tribunalis noſtri miniſtri ſedulam muneri quiſque ſuo operam navent. Notarii judiciorum omnium acta, inſtrumenta, renuntiationes regularium, beneficiorum, atque ordinum collationes, matrimoniales diſpenſationes, edicta, & id genus alia in libros referant, ac in archivio caute cuſtodiant, ne ſurripi unquam, aut corrumpi contingat. Omnes autem, & ſinguli, etiam curiæ noſtræ miniſtri, qui ſcripta quæcunque e cancellaria noſtra aſportare, eaque diſperdere, vel occultare dolo malo præſumpſerint, excommunicationis ſententiam ipſo facto ſe noverint incurriſſe, a qua, niſi ablata ante reſtituerint, non abſolvantur. (2) Appellantibus in caſibus a jure permiſſis actorum omnium coram Nobis geſtorum exemplar apographum cum autographis rite collatum, quanto citius, & ad minus intra menſem, congrua mercede accepta, exhibeant. Qui in differenda exhibitione fraudem fecerint, pœnis a Tridentino ſtatutis, citra ullam veniæ ſpem, ſubjicientur. (3) Demum ſingulos curiæ noſtræ lictores, carcerum cuſtodes, apparitores noſtra, aut Vicarii noſtri mandata adamuſſim curabunt. Qui vero officio ſuo qualitercunque defuiſſe comperti fuerint, eos abire juſſos gravioribus pœnis afficiemus.

XI.

(1) *Decret. S. Cong. Conc. apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 12. *cap.* 2. *n.* 3. 4. & 5. (2) *Syn. Guiccioli, Syn. Cantoni.* (3) *Trid. Seſſ.* 24. *cap.* 20. *de Reform.*

XI. Ut a foro noſtro non avaritiam modo, ſed & omnem avaritiæ ſuſpicionem propulſemus, taxam Innocentianam, qua curiæ Epiſcopalis miniſtris emolumenta aut prohibentur, aut conſtituuntur, in omnibus diœceſeos noſtræ cancellariis palam proponi, ac ſervari abſque ulla fraude jubemus. (1) Quoad caſus vero in ipſa taxa non comprehenſos, propriam ejuſdem diœceſeos noſtræ conſuetudinem ſervandam declaramus. (2)

XII. Advocatum, & Procuratorem pauperum, quos in aliorum officialium album cooptavimus, quanta maxime poſſumus animi contentione cohortamur, ut miſerabilium perſonarum patrocinium benigne ſuſcipiant, earum jura vindicent, cauſas tam in civilibus, quam in criminalibus, quamvis coram judice laico motas, gratis tueantur, atque ita paratum contra potentes, a quibus illæ facilius opprimuntur, auxilium exhibeant, (3)

XIII. Reliquos etiam procuratores monemus, tum ne injuſtas in foro noſtro cauſas agendas, tuendaſque ſuſcipiant, tum ne juſtas plus æquo protrahant; ut in congreſſibus, & colloquiis coram judice vere ſemper, atque ex animo loquantur, nec ſe unquam mutuis conviciis, & contumeliis proſcindant.

XIV. Petitores vero, & accuſatores caveant, *ne cuiquam amore, aut odio, aut cupiditate aliqua adducti, periculum iniquis criminationibus creent*. (4)

XV. Antequam Vicarius noſter generalis indulgentias publicandi facultatem faciat, eas quam diligentiſſime expendat, ne forte confictas, & apocryphas, revocatas, vel nullas, quod datum eis tempus præterierit, ut veras pervulga-

(1) *Conc. Rom. Tit. X. cap. unic.* (2) *Conc. Rom. loc. cit.* (3) *Conc. Rom. Tit. VIII. cap. 3.* (4) *Catech. Rom. Part. 3. cap. 9.*

Digitized by Google

gari, & lucrandas chriſtifidelibus proponi contingat. (1) Nec vero minori ſtudio utatur, cum ab eo ſacras reliquias ab aliis recognitas, & probatas, ac in civitatem, & diœceſim noſtram illatas publico fidelium cultui in eccleſiis, vel oratoriis exponendi facultas poſtulabitur. (2)

XVI. Nullum cujuſvis loci pii nomine eleemoſynarum collectorem, præſertim ſacras imagines circumferentem, vel indulgentias comminiſcentem, diœceſim noſtram obire patiatur, niſi ejus rei facultatem ſcripto exaratam, & quotannis renovandam ab ſe, vel a Nobis obtinuerit. (3) Qui vero, non impetrata venia, hoc ſibi arrogare præſumpſerint, deprehenſi, extortis eleemoſynis ſpolientur, aliiſque ſuæ temeritatis pœnis ſubjiciantur.

CAPUT XX.

De Vicariis Foraneis,

I. CUm tot, ac plerumque tam diſſitas diœceſeon ſuarum partes Epiſcopi per ſe, aut per Vicarios generales negotiorum urbium magnitudine diſtentos, frequenter, ut rei ratio poſtulabat, perluſtrare, atque intueri non poſſent, factum eſt, ut Chorepiſcopos primum, dein Archipresbyteros, Archidiaconos, & Decanos rurales, ſeu Vicarios foraneos paſtoralis ſollicitudinis ſibi ſocios adjunxerint, & ſingulorum locorum regimini cum poteſtate præfecerint. (4)

II. Sive ergo Vicariorum foraneorum dignitas ex originis nobilitate, ſive ex officii, ac muneris gravitate penda-

(1) *Decret. S. Cong. Indulgent. 7. Martii 1678. approb. Inn. XI.* (2) *Conſulantur dicta Cap. VIII. Partis I.* (3) *Sac Cong. Conc. 9. Jan. 1582. & 22. Febr, 1620.* (4) *Ben. XIV. de Syn. Diœceſ. l. 3. cap. 3. n. 5. & ſeq.*

datur, magni ſane facienda eſt, iiſque propterea per diœceſim noſtram conſtitutis, vel inpoſterum conſtituendis honorem, & cultum ab omnibus tribui æquiſſimo jure poſtulamus.

III. Licet autem Vicariis foraneis in choro, ſupplicationibus, ſuneribus, aliiſque hujuſmodi locum inter canonicos, archipresbyteros, parochos ſibi alias non congruentem ſumere interdictum ſit, in congregationibus tamen, aliiſque actibus, quibus tamquam delegati noſtri, & vicario nomine præſunt, eos cæteris omnibus præferri omnino jubemus. (1) His munus ſuum obeuntibus non eccleſiaſtici modo, ſed & laici obſequantur. Qui eorum juſſa contemnere, aut parvipendere auſi fuerint, ne exiſtiment hoc ſibi impune futurum.

IV. Eccleſiis parochialibus, oratoriis, piis ſodalitatibus ſuæ jurisdictioni ſubjectis advigilabunt. Inquirent quæ vita, qui mores clericorum, laicorumque ſint; an parochi reſideant, an Verbi Dei prædicatione, ac bonorum operum exemplo oves ſibi commiſſas paſcant, & in cætera paſtoralia munia incumbant, num eccleſiæ reparatione indigeant, an iis debitus cultus adhibeatur, an ullibi ſacra ſupellex deſit; an præſcripta pro collationibus caſuum conſcientiæ methodus teneatur; an dies feſti devote, & religioſe traducantur; an ſacræ Viſitationis decretis obtemperetur; an edicta, & ſynodales conſtitutiones ſerventur: & ſi qua explorando animadverſione digna invenerint, non accipientes cujuſquam perſonam, paternis adhortationibus malorum progreſſum ſiſtere conabuntur; quibus ſi parum ſe proficere intellexerint, rem ad Nos ſincere, atque ingenue renuntiabunt.

V.

(1) *S. Cong. Rit. pluries apud Ferraris verbo* Vicarius Foraneus.

V. De ſuæ quiſque regionis ſtatu Nos crebro per epiſtolas certiores faciant. Quoties autem in urbem venerint, toties Nos, aut Vicarium noſtrum generalem adibunt, ut mutuis collocutionibus pravos locorum uſus, & conſuetudines agnoſcere poſſimus, collatiſque conſiliis eas facilius coercere, & compeſcere valeamus.

VI. Civiles controverſias ad forum noſtrum ſpectantes intra fines ſibi commendatos exortas e veſtigio componere ſtudeant. Ubi vero crimina, quæ ad forum noſtrum pertineant, perpetrari contigerit, confeſtim facti veritatem ſcrutentur, aſſumptoque tabulario, vel, eo deficiente, adhibitis duobus probatæ fidei viris, rem ſcripto excipiant, ſcriptumque, cum primum poterunt, Nobis, aut Vicario noſtro generali reddendum curabunt, ut quid agendum fuerit ſtatuamus.

VII. Ampliorem vero jurisdictionem in civilibus, & criminalibus noſtris Ferrariæ, & Argentæ reſidentibus Vicariis a Nobis delegatam, iis ſartam tectam ſervari volumus.

CAPUT XXI.

De Examinatoribus, & Judicibus Synodalibus.

I. QUi beneficia curata appetentium doctrinam excutere, vitam probare, aliaſque qualitates, & merita ſcrutari debent, & quos dominici gregis regimini accommodatos noverint, Nobis renuntiare, eos ſane decet morum integritate, prudentia, fide, ac religione præſtare, & in eccleſiaſticarum rerum ſcientia, atque exercitatione cæteris eminere.

II. Huic graviſſimo muneri Examinatores in diœceſana

na Synodo delectos, ab eaque probatos, qui propterea ſynodales vocari conſueverunt, admovendos ſanxerunt Tridentini Patres; ac ne eorum penuria unquam laborari contingeret, ſex ſaltem in qualibet Synodo creari juſſerunt. (1) Huic Nos decreto obſequentes, aliquot ad id officii ex utroque clero viros, qui magis idonei viſi ſunt, ſive in aliis Synodis ſelectos, ſive nunc primum creandos, quorum nomina modo evulgari, ac inter officiales Cleri referri juſſimus, confirmandos, & approbandos proponimus.

III. Electi autem Examinatores, non ante officio fungantur ſuo, quam vel in hac noſtra Synodo, ſi adſint, ſin minus, coram Nobis, vel Vicario noſtro generali fidem ſuam, juxta formulam, quam in appendice reponi mandamus, (2) jurisjurandi religione devinxerint, *ſe quacunque humana affectione poſtpoſita, fideliter munus executuros*. (3)

IV. Quoties pro parochialibus eccleſiis examen erit inſtituendum, eorum ſemper opera utemur, ac tres ſaltem ex eorum cœtu ſingulis vicibus evocabuntur. (4) Accerſiti vero *caveant, ne quidquam prorſus occaſione examinis, nec ante, nec poſt accipiant: alioquin ſimoniæ vitium tam ipſi, quam alii dantes incurrant, a qua abſolvi nequeant, niſi dimiſſis beneficiis, quæ quomodocunque etiam antea obtinebant; & ad alia inpoſterum inhabiles reddantur*. (5) Peracto examine, quotquot regendæ eccleſiæ idoneos judicaverint, per ſuffragia, quæ, priusquam a loco examinis diſcedant, ferre debebunt, Nobis renuntiabunt. Quod ſi pares, aut ſingulares in votis fuerint, Nobis, vel Vicario noſtro generali, ſi examini interſit, integrum erit voti noſtri acceſſione, antequam Examinatores dimittantur, eum, qui rejectus fuerat, approbare, ac propterea etiam ad vacantem

 re-

(1) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform.* (2) *In Append. n. I.* (3) *Conc. Trid. ſeſſ. 24. cap. 18. de Reform.* (4) *Trid. loc. cit.* (5) *Trid. loc. cit.*

regendam eccleſiam præferre, ſi cæteris magis idoneum judicaverimus. (1)

V. Examinatores autem in ferendo ſuffragio non in doctrinæ indagatione unice immorentur, ſed in aliarum etiam qualitatum, quæ doctrinæ arcto fœdere conſociari debent, ſolerti inveſtigatione verſentur. Inquirant, qui mores hominum ſint, quæ gravitas, quæ prudentia, qui ſuſcepti antea labores, quæ virtutum ſpecimina, quæ demum totius anteactæ vitæ ratio; atque ita conjunctim librato omnium virtutum pondere, quæ in parocho deſiderantur, pro ſua religione, & fide ineptos rejicient, & idoneos Nobis renuntiabunt. Abſtineant tamen ab electione dignioris; quanquam enim non alterius cujuſpiam, quam unius ex approbatis ejuſmodi electio facienda ſit, id tamen juris non ſibi, ſed vel Apoſtolicæ Sedi, vel Nobis, vel beneficiorum patronis, pro eorumdem beneficiorum natura, & conditione, omnino reſervatum eſſe ſciant. (2) Poſtremo caveant, ne quemquam illorum, qui examinis aleam ſubituri ſunt, de iis, quæ proponenda ſunt, præmoneant, aut, abſoluto examine, quæ in eo acta ſunt, manifeſtent.

VI. Ut litigantium commodo proſpicerent Tridentini Patres in ſingulis Conciliis provincialibus, aut diœceſanis Judices Synodales deſignari voluerunt, ut præter Ordinarios locorum, *quatuor ſaltem*, *aut etiam plures* in unaquaque diœceſi haberentur perſonæ, quibus cauſæ eccleſiaſticæ, ac ſpirituales, & ad forum eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committerentur. (3) Hos itaque ſynodales Judices doctrina, & probatæ fidei teſtimonio commendatos,

&

(1) *Trid. loc. cit. Ben. xiv. de Syn. Diœceſ. l. 4. cap. 8. S. Cong. apud eundem 1573. & 29. Apr. 1604.* (2) *Trid. loc. cit. Ben. xiv. de Syn. Diœceſ. l. 4. cap. 8. n. 6. S. Cong. Conc. apud eundem. Idem Conſtit.* Cum illud 14. *Decembr.* 1742. (3) *Trid. ſeſſ. 25. cap. 10. de Reform.*

& in officialium album relatos eligimus, eorum quamprimum nomina Sanctiſſimi D. N. Supplicum Libellorum Secretario renuntiaturi. (1) Eos porro de juſtitia integre, ſapienterque adminiſtranda ſollicitos eſſe volumus; eaque de cauſa, antequam muneri manus admoveant, ſe illud fideliter exequuturos, non ſecus ac de Examinatoribus ſuperius dictum eſt, conceptis verbis jurabunt. (2) Sciant autem ſe ante delegationem omni juriſdictione carere, (3) ac in ejusmodi appellationum cauſis, quæ ad eos deferentur, curiæ noſtræ notarios omnino adhibendos eſſe. (4)

CAPUT XXII.

De Laicis.

I. Laicorum animos, moreſque ad chriſtianæ diſciplinæ inſtituta excolere eo magis decere arbitramur, quo eos inter ſæculi oblectamenta conſtitutos, & humanarum rerum cogitatione diſtentos, concupiſcentiarum æſtu acrius jactari, & a pietatis ſtudio facilius abduci intelligimus. Quanquam igitur non pauca, quæ ſparſim in hac noſtra Synodo continentur, Laicorum officia, ac munera attingant, ne tamen paternæ ſollicitudini, qua omnes in Domino complectimur, deeſſe videamur, eos peculiari capite ſeorſim alloquimur.

II. Omnes itaque, & ſingulos hortamur in Domino vehementer, ut, quemadmodum Chriſti ſectatores decet, in omni converſatione ſancti ſint, modeſtiam, humilitatem, patientiam ubique præſeferentes: mundi vanitates contemnant,

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Quamvis Paternæ 26. *Aug.* 1741. (2) *Formula juramen. in Append. n. II.* (3) *S. Cong. Conc. apud Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l. 4. cap. 5. n. 7.* (4) *Eadem S. Cong. apud eundem loc. cit.*

mnant, ſæculi delicias averſentur, mortificationem Chriſti Jeſu in ſuis corporibus circumferentes: abſtinentia, oratione, ac liberalitate in pauperes peccata ſua redimant: eccleſiaſtica jejunia ſervent, dies feſtos ſancte traducant: in templis pie, ac religioſe verſentur, Sacris devote interſint, doctrinæ chriſtianæ, & ſacræ catecheſeos ſcholas frequentent: Verbi Dei pabulo, & ſanctiſſimis Sacramentis ſe crebro reficiant: charitate autem in Deum, & proximos ferveant, pacemque, in qua vocati ſunt in uno corpore, in cordibus jugiter ſuis alant, & foveant. Sed & ſæculares Magiſtratus magnopere in Domino obſecramus, ut ſaltem majoribus anni feſtivitatibus, quibus a Nobis ipſis Sacrum ſolemni ritu peragitur, vel divina veſperarum officia celebrantur, ſeu cum Jubilæum indicitur, & ob publicam cauſam generales ſupplicationes aguntur, ad eccleſiam, quod jam ſacto præſtant, alacriter conveniant, (1) & præclaro pietatis ſpecimine non modo ampliſſimi Ordinis dignitatem tueantur, ſed & cæteros ad religionis ſtudium magis inflamment.

III. Patresfamilias liberos a prima ſtatim ætate ad Dei cultum, & religionem erudiant, ac teneros adhuc animos ſanctiſſimis imbuant diſciplinis: parochum fidei rudimenta edocentem adire jubeant; eorum vitam, & ſtudia ſcrutentur; procaces mores coerceant, & pronum ſponte ſua ad voluptates, & vitia juvenile ingenium compeſcant: ad Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ, cum per ætatem licebit, crebram iterationem alliciant, a pravis conſuetudinibus, illicitiſque amoribus abducant. Nec vero filios tantum, ſed miniſtros quoque, famulos, atque ancillas paterna ſollicitudine complectantur. Ut autem optatos vigilantiæ ſuæ fructus capiant,

(1) *Syn. Aldobrandini.*

Digitized by Google

ant, ſe aliis virtutis magiſtros integritate vitæ, ac morum honeſtate præbere ſtudeant. Viciſſim vero liberi, miniſtri, & famuli parentibus, ac dominis honoris, obſervantiæ, cultus, & obſequii officia ex intimo animi ſenſu deprompta alacriter impendant.

IV. Excellentem eccleſiaſtici Ordinis dignitatem omnes venerentur. Singuli proprium parochum perofficioſe colant, ac revereantur: concionanti adſint, monenti, atque increpanti ſe morigeros præbeant, & obſequantur; indigenti large ſubveniant: (1) decimas, primitias, & obventiones quaſcunque parochialibus, Metropolitanæ noſtræ, aliiſque eccleſiis jure, aut conſuetudine debitas integre perſolvant. Qui vero aut illas ſubtrahere, aut impedire, quominus a debitoribus ſolvantur, non verebuntur, pœna excommunicationis afficientur. (2)

V. Conjuges officiorum viciſſitudine mutuam benevolentiam, & animorum conjunctionem tueantur. A divortiis quoad habitationem prorſus abſtineant, niſi juſta ſubſit cauſa, eaque a Nobis, vel a Vicario noſtro generali ante cognita, & probata fuerit, aliter canonicis pœnis ſe ſciant eſſe ſubjiciendos. (3) Abhorreant etiam a divortio quoad torum tantum, niſi juſtus ſeparationis titulus intercedat.

VI. Matres vero nobiles, & divites in Domino hortamur, ut ſanctiſſimarum fœminarum morem imitantes, liberis, quos ex conjugio ſuſceperint, niſi juſta cauſa impediantur, propria ubera admoveant, & quos ſanguine ſuo in utero aluerint, eos jam in lucem editos, jam matrum officia implorantes ſuo lacte enutrire non erubeſcant. (4)

VII.

(1) *Trid. ſeſſ.* 25. *cap.* 12. *de Reform.* (2) *Trid. loc. cit.* (3) *Cap.* 3. *&* 6. *de divortiis*. (4) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 11. *cap.* 7. *n.* 9. *& ſeq.*

Digitized by Google

VII. Mulieres ſumptuoſiori cultui , & ornamentorum intemperantiæ modum imponant : exteras veſtium conſuetudines a chriſtiana honeſtate alienas prorſus rejiciant . Quæ vero virorum , præcipue juvenum , ad componendos capillos , ornandumque vultum miniſterio utuntur , timeant periculo ſuo , timeant alieno .

VIII. Advigilent animarum paſtores , ne mares cum fœminis , licet arctiori conſanguinitatis gradu conjunctis , ſimul cubent , ut omne hinc periculum amoveatur , & occaſio peccandi .

IX. Qui negotiatione rem familiarem amplificare ſtudent , diligenter caveant , ne nimia cupiditate omnium malorum fonte rapiantur . Ad æquitatis , & juſtitiæ libram contractus exigantur : æqualitas cujuſque propria ſancte ſervetur , non ſervata exacte reparetur .

X. In cenſibus realibus conſtituendis , conditiones , quas S. Pius V. in ſua Conſtitutione præſcripſit , religioſe ſerventur . (1)

XI. Ab uſuræ vitio , quod in contractu mutui ſuam veluti propriam ſedem , & locum habet , vehementer abhorreant . Ut igitur laudabile eſt , immo vero aliquando debitum mutuo alteri ſuccurrere , ita flagitio non vacat lucrum ex mutuo , ipſius ratione mutui exigere . Neque ad hanc labem purgandam ullum accerſiri poſſe ſubſidium putent , *vel ex eo quod id lucrum non excedens , & nimium , ſed moderatum ; non magnum , ſed exiguum ſit ; vel ex eo quod is , a quo id lucrum ſolius cauſa mutui depoſcitur , non pauper , ſed dives exiſtat , nec datam ſibi mutuo ſummam relicturus otioſam , ſed ad fortunas ſuas amplificandas , vel novis coemendis prædiis , vel quæſtuoſis agitandis negotiis utiliſſime ſit im-*

pen-

(1) *Conſtit.* Cum onus 19. *Jan.* 1568.

penſurus; (1) vel ex eo quod mutuantes in ſe ſuſceperint obligationem non repetendi ſortem uſque ad certum tempus; (2) vel ex eo quod pecunia numerata ſit pretioſior numeranda; (3) vel ex eo quod quicquid ultra ſortem recipitur, tamquam ex benevolentia, & gratitudine debitum exigatur. (4) Sed quia æquum non eſt, ut quis diſpendium patiatur, unde videtur præmium meruiſſe, (5) licebit mutuantibus damni emergentis, vel lucri ceſſantis legitimo præſidio moderatum augmentum, ultra integram ſortem, recipere. Cum vero hic legitimus adeſt titulus, illum ingenue adducant; ſi deſit, caveant, ne aliorum contractuum nomine ad palliandum uſuram utantur. Quare omnes, & ſingulos in Domino adhortamur, ut a cenſu perſonali, qui uſuræ periculo, & ſuſpicione non vacat; a cambio, quod *fictum*, & *ſiccum* appellant, in quo vera latet uſura, nec non a cambiis obliquis, quæ vehementem ingerunt ſuſpicionem fraudis, & doli, prorſus abſtineant. (6) Eoſdem etiam a contractu *trium contractuum*, quem ejuſdem quoque patroni periculoſum fatentur, ineundo dehortamur: (7) nec non ab eo, qui dicitur *pactum francandi*, vulgo *fitto franco*, quique ad uſuram obtegendam non raro uſurpari ſolet, (8) ut abſtineant omnes optamus. Caveant a contractu *Mobatra*; (9) & demum a quibuslibet aliis, quos verſutorum hominum quæſtui plus æquo inhiantium nequitia in dies excogitavit, ut ſpecioſis nominibus, quaſi quibuſdam velis, fœneratitium animum obvolverent. In dubiis, conſilium ab iis, qui doctrinæ, ac vir-

(1) *Ben.* XIV. *Conſtit.* Vix pervenit 1. Nov. 1745. (2) *Prop. damnat. ab Alex.* VII. (3) *Prop. damnat. ab Inn.* XI. (4) *Prop. damnat. ab eod. Pont.* (5) *Cap.* 2. *de Fidejuſſ.* (6) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 10. *cap.* 5. (7) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 10. *cap.* 7. (8) *Ben.* XIV. *de Syn. Diœceſ. l.* 10. *cap.* 8. (9) *Prop.* 40. *damnat. ab Inn.* XI.

virtutis gloria ſupra cæteros efferuntur, expoſcant. Meminerint ſe dolo, ac fraude hominum quidem judicium effugere poſſe, Deum autem, qui corda ſcrutatur, eludere non poſſe; timeantque, ne dum vanas, & terrenas divitias quærunt, veras, & cœleſtes amittant.

XII. Teterrimam hanc uſuræ peſtem, ut a diœceſeos noſtræ finibus propulſemus, pœnas infamiæ, irregularitatis, privationis eccleſiaſticæ ſepulturæ, inhabilitatis ad eccleſiaſtica beneficia, ad teſtamenta condenda, niſi injuſte ablata antea reſtituerint, vel de reſtituendo legitime caverint, ſuſpenſionis in clericos, excommunicationis in laicos, quæ ad coercendam fœneratorum licentiam ab utroque jure ſtatutæ ſunt, notoriis hujus criminis reis indicimus, & denuntiamus.

XIII. Notarii vero, & proxenetæ, qui contractibus, & obligationibus fœneratitiis operam præſtiterint, gravi ſe crimine obſtringent, cujus abſolutionem Nobis reſervamus, aliaſque arbitrii noſtri pœnas exolvent. (1)

XIV. Piarum omnium diſpoſitionum executores a Tridentino conſtituti, (2) ſingulis univerſim notariis, qui pias hujuſmodi fidelium diſpoſitiones tam in ultima voluntate, quam inter vivos exceperint, præcipimus, ut eas infra menſem ab obitu teſtatoris Nobis, aut Vicario noſtro generali, vel ſaltem Vicariis foraneis revelent, ac deferant. Qui hoc prætermiſerint, in eos, pro modo culpæ, cujus abſolutionem Nobis reſervamus, ſevere animadvertemus. (3)

POſtquam ſtatuta die, & hora populus ad Eccleſiam convenerit, alta voce legantur Literæ, ſeu Decreta, quibus Indulgentia conceditur una cum poteſtate Benedictionem Apoſtolicam ſuper populum effundendi, ut de delegatione audientibus conſtet; & conceſſio ex latino ſermone in vulgarem accommodatum ad populi intelligentiam converſa pronuncietur: populus ad ſuorum ſcelerum deteſtationem pio, brevique ſermone excitetur, poſt quæ Sacerdos, nullis circumſtantibus Miniſtris, Stola, & Superpelliceo indutus (ut in Rituali Romano præſcribitur, cum agitur de Benedictionibus, quæ extra Miſſam Presbyteris permittuntur) ante Altare genuflexus, ſequentibus verbis Dei opem implorat.

℣. Adjutorium noſtrum in Nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.
℣. Salvum fac populum tuum Domine.
℟. Et benedic hæreditati tuæ.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

Dein-

Digitized by Google

Deinde ſtans, ſequentem recites Orationem.

OREMUS.

OMnipotens, & miſericors Deus da nobis auxilium de Sancto, & vota populi hujus in humilitate cordis veniam peccatorum poſcentis, tuamque Benedictionem præſtolantis, & gratiam, clementer exaudi; dexteram tuam ſuper eum benignus extende, ac plenitudinem Divinæ Benedictionis effunde: qua bonis omnibus cumulatus, felicitatem, & vitam conſequatur æternam. Per Chriſtum Dominum Noſtrum. Amen.

Poſt quam ad cornu Epiſtolæ accedat, ut in actis Eccleſiæ Mediolanenſis part. 4. *Benedicet in Eccleſia ad Altare, ſtans in cornu Epiſtolæ*: Et ſtans in cornu Epiſtolæ, non trina, hoc eſt triplici ſigno Crucis, ſed una Benedictione, unico videlicet ſigno Crucis, benedicat proferens alta voce hæc verba:

Benedicat Vos Omnipotens Deus ✠ Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. ℟. Amen.

N. III.

Benedictio Equorum, & Animalium.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

DEus refugium noſtrum, & virtus adeſto piis Eccleſiæ tuæ precibus auctor ipſe pietatis, & præſta, ut quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus, qui glorioſum B. Antonium variis tentationibus probatum inter mundi hujus turbines illæſum tranſire feciſti

con

Digitized by Google

concede famulis tuis, ut & præclaro ipſius proficiamus exemplo, & a præſentis vitæ periculis ejus meritis, & interceſſione liberemur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

BEnedictionem tuam Domine hæc animalia accipiant, qua corpore ſalventur, & ab omni malo per interceſſionem B. Antonii liberentur. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Deinde aſpergat aqua benedicta.

Benedictio contra Mures, Locuſtas, Bruchos, & Vermes noxios.

Antiph. Exurge Domine adjuva nos, & libera nos propter nomen tuum.
Pſalm Deus auribus noſtris audivimus, patres noſtri annuntiaverunt nobis. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto: *Et repetitur antiph.* Exurge Domine &c.

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini.
℟. Qui fecit Cœlum, & Terram.
℣. Domine exaudi orationem meam.
℟. Et clamor meus ad te veniat.
℣. Dominus vobiſcum.
℟. Et cum ſpiritu tuo.

OREMUS.

PReces noſtras, quæſumus Domine, clementer exaudi, ut qui juſte pro peccatis noſtris affligimur, & hanc Murium (*vel* Locuſtarum, *vel* Vermium) perſecutionem patimur, pro tui nominis gloria ab ea miſericorditer liberemur; ut tua potentia procul expulſi (*vel* expulſæ) nulli noceant, & campos, agroſque noſtros in tranquillitate, ac quiete dimittant, quatenus ex eis ſurgentia, & orta tuæ Majeſtati deſerviant, & noſtræ neceſſitati ſubveniant. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

OREMUS.

OMnipotens ſempiterne Deus omnium bonorum remunerator, & peccatorum maximus miſerator, & in cujus nomine omnia genuflectuntur, cœleſtia, terreſtria, & infernalia, tua potentia nobis peccatoribus omnipotenter concede, ut quod de tua miſericordia confiſi agimus, per tuam gratiam efficaciter conſequatur effectum: quatenus hos peſtiferos Mures (*vel* Locuſtas, *vel* Vermes) per nos ſervos tuos maledicendo maledicas, ſegregando ſegreges, exterminando extermines, ut per tuam clementiam ab hac peſte liberati, gratiarum actionem Majeſtati tuæ libere referamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Exor-

Exorcizo vos peſtiferos Mures (*vel* Locuſtas , *vel* Vermes) per Deum Patrem omnipotentem ✠, & Jeſum Chriſtum Filium ejus ✠, & Spiritum Sanctum ab utroque procedentem ✠, ut confeſtim recedatis a campis , & agris noſtris , nec amplius in eis habitetis , ſed ad ea loca tranſeatis, in quibus nemini nocere poſſitis ; pro parte Omnipotentis Dei , & totius curiæ cœleſtis , & Eccleſiæ ſanctæ Dei vos maledicens , ut quocunque ieritis , ſitis maledicti (*vel* maledictæ) deficientes de die in diem in vos ipſos (*vel* ipſas) & decreſcentes , quatenus reliquiæ de vobis nullo in loco inveniantur , niſi neceſſariæ ad ſalutem , & uſum humanum : quod præſtare dignetur , qui venturus eſt judicare vivos, & mortuos , & ſæculum per ignem . ℟. Amen .

Poſtremo aqua benedicta aſpergantur loca infecta .

N. IV.

M O D U S

A Benedicto XIV. approbatus , pro opportunitate temporis ſervandus , ut infra in Rubricis notatur , ad impertiendam Benedictionem in articulo mortis conſtitutis , ab his , qui facultatem habent a Sede Apoſtolica delegatam .

Benedictio in articulo mortis cum ſoleat impertiri poſt Sacramenta Pœnitentiæ , Euchariſtiæ , & Extremæ Unctionis illis infirmis , qui vel illam petierint , dum ſana mente , & integris ſenſibus erant , ſeu veriſimiliter petiiſſent , vel dederint ſigna contritionis ; impertienda iiſdem eſt , etiamſi poſtea linguæ , cæterorumque ſenſuum uſu ſint deſtituti , aut in delirium , vel amentiam inciderint . Excommunicatis vero , impœnitentibus , & qui in manifeſto peccato mortali moriuntur , eſt omnino deneganda .

Habens prædictam facultatem , ingrediendo cubiculum , ubi jacet infirmus , dicat : Pax huic Domui &c. , *ac deinde ægrotum , cubiculum , & circumſtantes aſpergat aqua benedicta dicendo antiphonam :* Aſperges &c.

Quod ſi ægrotus voluerit confiteri , audiat illum , & abſolvat . Si Confeſſionem non petat , excitet illum ad eliciendum actum contritionis , de hujus benedictionis efficacia , ac virtute , ſi tempus ferat , breviter admoneat , tum inſtruat , atque hortetur , ut morbi incommoda , ac dolores in anteactæ vitæ expiationem libenter perferat , Deoque ſe ſe paratum offerat ad ultro acceptandum quidquid ei placuerit , & mortem ipſam patienter obeundam in ſatisfactionem pœnarum , quas peccando pro-

Digitized by Google

promeruit ; tum piis ipſum verbis conſoletur in ſpem erigens fore , ut ex divinæ munificentiæ largitate eam pœnarum remiſſionem , & vitam ſit conſecuturus æternam . Poſtea dicat .

℣. Adjutorium noſtrum in nomine Domini .
℟. Qui fecit Cœlum , & Terram .

Antiphona .

Ne reminiſcaris Domine delicta Famuli tui (vel Ancillæ tuæ) neque vindictam ſumas de peccatis ejus .
Kyrie eleiſon , Chriſte eleiſon , Kyrie eleiſon . Pater noſter . &c.
℣. Et ne nos inducas in tentationem ,
℟. Sed libera nos a malo .
℣. Salvum fac Servum tuum (vel Ancillam tuam ,) *& ſic deinceps.*
℟. Deus meus ſperantem in Te .
℣. Domine exaudi orationem meam .
℟. Et clamor meus ad te veniat .
℣. Dominus vobiſcum .
℟. Et cum ſpiritu tuo .

OREMUS.

Clementiſſime Deus , Pater miſericordiarum , & Deus totius conſolationis , qui neminem vis perire in te credentem , atque ſperantem , ſecundum multitudinem miſerationum tuarum reſpice propitius Famulum tuum N. , quem tibi vera Fides , & Spes chriſtiana commendant. Viſita eum in ſalutari tuo , & per Unigeniti Tui Paſſionem , & Mortem , omnium ei delictorum ſuorum remiſſionem , & veniam clementer indulge , ut ejus anima in hora exitus ſui Te Judicem propitiatum inveniat , & in Sanguine ejuſdem Filii tui ab omni macula abluta , tranſire ad vitam mereatur perpetuam . Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum .

Tum dicto ab uno ex Clericis adſtantibus Confiteor &c. *Sacerdos dicat*. Miſereatur &c. deinde ,

Dominus Noſter Jeſus Chriſtus Filius Dei vivi , qui Beato Petro Apoſtolo ſuo dedit poteſtatem ligandi , atque ſolvendi , per ſuam piiſſimam miſericordiam recipiat confeſſionem tuam , & reſtituat tibi ſtolam primam , quam in Baptiſmate recepiſti ; & Ego facultate mihi ab Apoſtolica Sede tributa , Indulgentiam plenariam , & remiſſionem omnium peccatorum tibi concedo . In nomine Patris &c.
Per ſacroſancta humanæ reparationis myſteria , remittat tibi omnipotens De-

Digitized by Google

Deus omnes præſentis, & futuræ vitæ pœnas, Paradiſi portas aperiat, & ad gaudia ſempiterna perducat. Amen.
Benedicat Te Omnipotens Deus, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

Si vero infirmus ſit adeo morti proximus, ut neque confeſſionis generalis faciendæ, neque præmiſſarum precum recitandarum tempus ſuppetat, ſtatim Sacerdos benedictionem ei impertiatur.

AP-

Digitized by Google

APPENDIX
SECUNDÆ PARTIS.

AD CAPUT IV.
DE SACROSANCTA EUCHARISTIA.

N. I.

PIUS PP. VI.

AD perpetuam rei memoriam. Dum ſingularem fidei conſtantiam, & eximiæ devotionis affectum, quos dilecti filii Communitas, & Cives Civitatis noſtræ Ravennaten. erga Nos, & hanc Sanctam Sedem geſſiſſe ſemper, & adhuc gerere comprobantur, penſamus, dignum arbitramur in mutuæ benevolentiæ Noſtræ teſtimonium illis concedere, quæ ad illorum honorem, & decus quodammodo ſpectare dignoſcuntur, ut ob hæc nova beneficia ſuam fidem, & ſtudium erga Romanam Eccleſiam illorum Matrem, & Dominam in dies impenſius intendant, ac cæteri ad ſimilia largitionis munera promerenda inducantur. Exponi ſiquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Magiſtratus Sapientum, ſeu de Savi ejuſdem Civitatis Noſtræ Ravennaten., quod ab antiquis uſque temporibus quolibet anno ipſi ſimul cum alio Magiſtratu Nonaginta Pacificorum nuncup., & ſuis reſpective Miniſtris, Famulis, ac Militibus Prætorianis in ſolemni apparatu ad Eccleſiam Sancti Sebaſtiani ejuſdem Civitatis, quæ, ut aſſerunt, eſt de ſuo jure patronatus, in feria quinta majoris hebdomadæ ad ſolvendum præceptum Communionis Paſchalis ſe ſe conferre, ac Sacram Synaxim e manibus Superioris Conventus Fratrum Ordinis Servorum B. Mariæ Virginis nuncup. dictæ Eccleſiæ adnexi, & quibus cura ejuſdem Eccleſiæ commiſſa eſt, ſumere conſueverunt. Cum autem, ſicut eadem expoſitio ſubjungebat, licet ad hæc uſque tempora conſuetudo hujuſmodi invaluerit, nullum tamen reperiatur documentum, quo privilegium hujuſmodi fuiſſe illis aliquando conceſſum demonſtretur; ad tollendam in re tanti momenti omnem dubietatem, ac perplexitatem privilegium hujuſ-

mo-

Digitized by Google

modi ſibi per Nos concedi ſummopere deſiderent. Nobis propterea humiliter ſupplicari fecerunt, ut ſibi in præmiſſis opportune providere, & ut inſra indulgere de benignitate Apoſtolica dignaremur. Nos igitur memoratos exponentes ſpecialibus ſavoribus, & gratiis proſequi volentes, & eorum ſingulares perſonas, a quibusvis excommunicationis, & interdicti, aliiſque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris, & pœnis a Jure, vel ab homine quavis occaſione, vel cauſa latis ſi quibus quomodolibet innodatæ exiſtunt ad effectum præſentium duntaxat conſequendum, harum ſerie abſolven., & abſolutas fore cenſen., ſupplicationibus hujuſmodi inclinati; ac audita etiam prius Venerabilis Fratris Antonii Archiepiſcopi Ravennatenſis informatione, tum ſex publicis Repræſentantibus, qui in bimeſtri Paſchali dictum Magiſtratum Sapientum gerunt, tum ſex publicis aliis Repræſentantibus, qui Magiſtratum Nonaginta Pacificorum eodem tempore obtinent; ut ipſi pariter cum ſuis reſpective Miniſtris, & Famulis nempe quoad Magiſtratum Sapientum cum Miniſtro a Secretis, Notario Cancellario, Adjutore Secretariæ, & Cancellariæ, Ratiocinatore, ac ſuo Adjutore, Campionerio, ſeu Moderatore librorum Cataſtri, rei familiaris Curatore, ſeu Maeſtro di Caſa, ac Officiali Præſidenti nitori, & manutentioni viarum Urbanarum Battiſango nuncupato, duobus Decanis, quatuor Famulis Donzelli nuncupati, duobus Buccinatoribus, ac Bajulo; & quoad alium Magiſtratum Nonaginta Pacificorum cum Miniſtro a Secretis ejuſdem Magiſtratus, Bedello, ſeu Decano, Duce, & ſex Militibus Prætorianis dicti Magiſtratus, ac Tympaniſta, ac cum aliis Miniſtris, & Famulis inpoſterum forſitan aſſumendis prævia tamen approbatione moderni, & pro tempore exiſtentis Archiepiſcopi Ravennatenſis in dicta Eccleſia S. Sebaſtiani Sacram Synaxim ad ſolvendum præceptum Paſchale, e manibus Presbyteri ab eodem Archiepiſcopo Ravennatenſi deſignandi, & deputandi, receptis tamen ab eo Paſchalis Communionis Teſſeris, ſumere libere, ac licite poſſint, & valeant, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium concedimus, & impertimur. Decernentes has præſentes Literas firmas, validas, & efficaces exiſtere, & fore, ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac illis, ad quos ſpectat, & pro tempore quandocunque ſpectabit pleniſſime ſuffragari, & ab eis reſpective inviolabiliter obſervari; ſicque in præmiſſis per quoſcunque judices ordinarios, & delegatos etiam Cauſarum Palatii Apoſtolici Auditores judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane ſi ſecus ſuper his a quoquam quavis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari; Non obſtantibus Apoſtolicis, ac Univerſalibus, Provincialibuſque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel ſpecialibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus, nec non quatenus opus ſit, Eccleſiæ prædictæ etiam juramento confirmatione Apoſtolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & conſuetudinibus privilegiis quoque indultis, & Literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innovatis: quibus omnibus, & ſingulis illorum te-

no-

Digitized by Google

nores præſentibus pro plene, & ſufficienter expreſſis, ac de verbo ad verbum inſertis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris ad præmiſſorum effectum, hac vice duntaxat ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæteriſque contrariis quibuſcunque &c. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem ſub Annulo Piſcatoris die XII. Septembris MDCCLXXXVI. Pontificatus Noſtri Anno Duodecimo.

B. Mariſcottus Pro-Secretarius.

L. ✠ Sigilli &c.

N. II.

O R D O

Inter Eccleſias Civitatis Ravennæ perpetuo ſervandus in ſolemni expoſitione SS. Sacramenti Euchariſtiæ, quæ Dominica qualibet per annum fieri conſuevit ab Illmo, & Rmo D. D. Archiepiſcopo approbatus, & confirmatus.

La Santa Chieſa Metropolitana.
La Chieſa di s. Maria in Porto.
La Chieſa di s. Vitale.
Di Claſſe.
Di s. Giovanni Evangeliſta.
Di s. Domenico.
Di s. Apollinare nuovo.
Di s. Franceſco.
Di s. Niccolò.
Di s. Giovanni Battiſta.
Di s. Sebaſtiano.
De' Padri Cappuccini.
Del Seminario.
Delle Monache di s. Andrea.
Di s. Chiara.
Di s. Stefano.
Di s. Giovanni Evangeliſta.
Del *Corpus Domini*.
Delle Cappuccine.
Delle Convertite.
La Parrocchia di s. Giovanni in Fonte.
Di s: Agneſe.
Di s. Maria *in Foris*.
Di s. Paterniano.
De' Ss. Giovanni, e Paolo.
Di s. Eufemia.
Di s. Biagio in Borgo di Porta Adriana.
Di s. Maria maggiore.
Di s. Maria *in Cœlos eo*.
Di s. Croce.
Di s. Apollinare *in Veclo*.
Di s. Vittore.
Di s. Clemente.
Di s. Michele.
De' Ss. Nicandro, e Marziano.
De' Ss. Vincenzo, ed Anaſtaſio.
Di s. Barbara.
Di s. Maria Maddalena.
Di s. Agata maggiore.

Di

Di s. Rocco in Borgo di Porta Siſi.
La Chieſa della Illm̃a Comunità.
La Chieſa dell' Oſpedale della Madonna.
La Confraternita di s. Giorgio.
Della Immacolata Concezione in s. Franceſco.
Della Natività di Maria Vergine in s. Niccolò.
Della B. V. del Carmine in s. Girolamo.
De' Sette Dolori in s. Sebaſtiano.
La Chieſa dello Spirito Santo nella Domenica avanti la vigilia del s. Natale.
L' Oratorio della Natività di Maria Vergine in s. Biagio.
Di s. Carlo in s. Rocco, ſe l' anno avrà 53. Domeniche, quando no, ſi tralaſci.
La Domenica della Quinquageſima ſi farà l' Eſpoſizione nella Chieſa di s. Maria del Suffragio.
La Domenica fra l' Ottava del Corpus Domini nella Chieſa di S. Giuſtina, ove trovaſi la Confraternita del Ssm̃o Sacramento.

Si avverte doverſi eſattamente oſſervare il prenotato Giro in ogni Domenica, proibendoſi a chiccheſſia, e per qualunque motivo di mutarlo ſenza eſpreſſa licenza di Sua Signoria Illm̃a, e Rm̃a, ſotto pena al di Lui arbitrio.

S' intende eccettuata da queſto ordine la Domenica delle Palme per la Proceſſione, che ſi fa alla Chieſa di S. Sebaſtiano per le Quaranta Ore. Nel rimanente ſi oſſervi il Turno, come ſopra, dichiarando ancora, che ſebbene qualche volta foſſe eſpoſto il VENERABILE nella Metropolitana per funzioni ſtraordinarie, intende Sua Signoria Illm̃a, e Revm̃a, che non ſi tralaſci in verun conto, purchè ſi dia la Benedizione un' ora prima della Metropolitana; ed a tutti quelli, che per qualche ſpazio di tempo pregheranno in quella Chieſa avanti il SANTISSIMO SACRAMENTO per l' eſaltazione di Santa Madre Chieſa, e biſogni di queſta Città ſpirituali, e temporali, per la eſtirpazione delle Ereſie, e concordia fra i Principi Criſtiani, concede ogni volta quaranta giorni d' Indulgenza.

N. III.

Digitized by Google

N. III.

ORDO

Servandus pro adoratione SS. Sacramenti occaſione quadraginta horarum in Eccleſia S. Sebaſtiani in majori hebdomada ab Illm̃o, & Rm̃o D. D. Archiepiſcopo approbatus, & confirmatus.

DOMENICA DELLE PALME.

ORe XXII. Monſig. Illm̃o, e Rm̃o Arciveſcovo, Rm̃o Capitolo, ed Illm̃i Magiſtrati.
XXIII. Gli Orfani.
XXIV. Confraternita dei Santi Apollinare, Coſma, e Damiano.
Ora I. di Notte. Confraternita del SS. Sacramento in S. Agata.
II. Confraternita della Madonna delle Mura.

LUNEDI' SANTO.

Ore XII. La Parrocchia di S. Apollinare *in Veclo*.
XIII. Di Santa Barbara.
XIV. Di S. Agneſe.
XV. Di S. Giovanni in Fonte.
XVI. Di S. Maria *in Cœlos eo*.
XVII. Di S. Apollonia.
XVIII. I tre Conſervatorj delle Orfanelle, delle Mendicanti, e della Provvidenza.
XIX. La Parrocchia di Santa Maria *in Foris*.
XX. Di S. Michele.
XXI. Di S. Croce.
XXII. De' Santi Nicandro, e Marziano.
XXIII. Confraternita della Madonna della Neve in S. Vittore.
XXIV. Confraternita di S. Anna.
Ore I. di Notte. Confraternita de' Santi Leonardo, e Uomobono.
II. Confraternita della Sſma Annunziata.

MARTEDI' SANTO.

Ore XII. La Parrocchia di S. Agata.
XIII. Di S. Clemente.
XIV. Di S. Maria Maddalena.
XV. Di S. Eufemia.
XVI. Di S. Vincenzo.
XVII. Di S. Paterniano.
XVIII. Di S. Rocco.
XIX. Di S. Biagio.
XX. Di S Maria maggiore.
XXI. De' Santi Giovanni, e Paolo.
XXII. Di S. Vittore.
XXIII. Confraternita di S. Carlo in S. Fabiano.
XXIV. Confraternita di S. Criſpino.
Ora I. di Notte. Confraternita di S. Marta.
II. Confraternita di S. Giuſeppe.

MERCOLEDI' SANTO.

Ore XII. Confraternita di S. Giorgio.
XIII. Confraternita di S. Carlo in S. Rocco.
XIV. Confraternita della Natività in S. Biagio.
XV. Confraternita del Suffragio.
XVI. Il Seminario.
Alle Ore XVII. la Benedizione.

N. IV.

N. IV.

SOMMARIO

Delle Indulgenze, delle quali godono tutte le Confraternite del SANTISSIMO SACRAMENTO canonicamente erette. Siccome anche di quelle, che poſſono acquiſtarſi da tutti generalmente i Fedeli in qualunque Luogo nell' onorare la SACRATISSIMA EUCARISTIA.

§. I.

TUtte le Confraternite del SS. Sacramento canonicamente erette, o da erigerſi, godono di tutte le Indulgenze concedute da diverſi Sommi Pontefici alla Ven. Arciconfraternita del SS. Sacramento eretta nella Chieſa di S. Maria ſopra Minerva di Roma ſenza altra conceſſione, comunicazione, o aggregazione. Così dichiarò la Sac. Congregazione delle Indulgenze li 23. Aprile *1676.* con Decreto confermato poi da Innoc. XI. di Ven. Memoria in un ſuo Breve dato il primo Ottobre *1678.*, anche riſpetto a quelle Indulgenze, che di poi veniſſero alla ſuddetta Arciconfraternita diſpenſate; e Benedetto XIV. ha reſo applicabili per modo di ſuffragio alle Anime de' Fedeli Defunti le fin' ora ottenute nel dì 13. Settembre 1749., e ſono le ſeguenti.

Nel giorno dell' ingreſſo.

Indulgenza Plenaria a chiunque Fedele Criſtiano dell' uno, e dell' altro ſeſſo, che veramente pentito, confeſſato, e comunicato ſarà aſcriverſi alla Confraternita del SS. Sacramento: *Paolo V Conſtit.* Cum certas 3. *Novembris 1606.*

Nella Feſta, e Proceſſioni del SS. Sacramento.

Indulgenza Plenaria ai Confratelli, e Conſorelle della ſuddetta Confraternita, che veramente pentiti, confeſſati, e comunicati interverranno, ed accompagneranno la Proceſſione ſolita farſi da loro in ciaſcun anno nel giorno ottavo del *Corpus Domini*, pregando il Signore per la pace, e concordia de' Principi Criſtiani, eſtirpazione delle ereſie, ed eſaltazione della S. Madre Chieſa. *Paolo V. Conſtit. cit.*, quale Indulgenza fu poi da Innocenzo XII. anticipata al Venerdì immediatamente ſeguente al giorno della Feſta del *Corpus Domini* li 27. Novembre *1694.*, e finalmente da Benedetto XIV. li 27. Gennajo 1753. fu eſteſa a qualunque giorno ſia, o della Feſta, o dell' Ottava, o fra l' Ottava, nel quale ciaſcheduna Confraternita ſarà la ſua Proceſſione.

La predetta Indulgenza Plenaria poſſono conſeguire tutti i Confratelli, e Conſorelle della Confraternita, che fa la Proceſſione, ſe, non potendo per

per legittimo impedimento accompagnarla, veramente pentiti però, confeſſati, e comunicati pregheranno come ſopra. *Paolo V. Conſtit. cit.*

Indulgenza di ſette anni, ed altrettante quarantene ai Confratelli, e Conſorelle ſuddetti, che veramente pentiti, e confeſſati ſi comunicheranno nella Feſta del *Corpus Domini*, e pregheranno, come ſopra. *Paolo V. loc. cit.*

Indulgenza parimente di anni ſette, ed altrettante quarantene ai ſuddetti Confratelli, e Conſorelle ogni qual volta accompagneranno il Ss. Sacramento con lume, o ſenza lume, quando viene portato agli Infermi, o altrove, pregando come ſopra. *Paolo V. Conſtit. cit.*

Indulgenza ancora di ſette anni, ed altrettante quarantene ai Confratelli, e Conſorelle ſuddetti, che veramente pentiti, confeſſati, e comunicati interverranno alla Proceſſione ſolita farſi la terza Domenica di ogni Meſe, e nel Giovedì Santo, pregando come ſopra. *Paolo V. loc. cit.*

Indulgenza di cento giorni ai Confratelli, e Conſorelle, che almeno pentiti, e confeſſati accompagneranno la Proceſſione del Giovedì Santo. *Paolo V. loc. cit.*

Indulgenza di cento giorni ai Confratelli, e Conſorelle, che impediti non potranno accompagnare il Ss. Sacramento nelle Proceſſioni, o quando ſi porta agli Infermi, o in qualunque altro modo ſi porti in giro, ſe udendo il ſuono della Campana diranno una volta il *Pater noſter*, *e l' Ave Maria*, o pure reciteranno cinque *Pater*, *ed Ave* per le Anime de' Confratelli, e Conſorelle defunti. *Benedetto XIV. li 2. Agoſto* 1749.

Nel viſitare le Chieſe.

Indulgenza di cento giorni ai Confratelli, e Conſorelle, che in qualſivoglia Venerdì di tutto l' anno viſiteranno la Chieſa, nella quale è eretta la loro Confraternita, pregando ivi per la pace &c. come ſopra. *Paolo V. Conſtit. cit.*

Indulgenza di cento giorni ai Confratelli, e Conſorelle, che viſiteranno nel Giovedì Santo il Luogo dove conſervaſi il Ss. Sacramento, volgarmente chiamato *il Sepolcro*, ed ivi pregheranno per la pace, e concordia de' Principi Criſtiani &c. come ſopra. *Paolo V. loc. cit.*

Eſercitando altre Opere pie.

Indulgenza di cento giorni ai Confratelli, e Conſorelle ogni qual volta interverranno ai Divini Officj, e Proceſſioni, che ſi fanno dalla loro Confraternita. *Paolo V. loc. cit.*

Indulgenza di cento giorni ai ſuddetti, e ſuddette ogni qual volta accompagneranno il Cadavere di qualche Fedele defunto alla ſepoltura. *Clemente X. li 24. Gennajo 1673.*

Indulgenza di cento giorni ai Confratelli, e Conſorelle ogni qual volta interverranno alle Meſſe, che ſi celebreranno nella Chieſa, Cappella, o Oratorio della Confraternita, o alle Congregazioni pubbliche, o private della ſteſſa Confraternita, ovunque ſi faranno; o a qualunque Proceſſione, che con licenza dell' Ordinario ſia per farſi. Lo ſteſſo otterranno, ſe

alloggeranno poveri, o rappacificheranno, o faranno rappacificare nemici, o ciò procureranno, o ridurranno qualche ſviato alla ſtrada della ſalute, o inſegneranno i divini comandamenti, e le coſe neceſſarie per ſalvarſi a chi non le sà, o viſiteranno infermi, o carcerati, o pure li ſovveniranno con qualche ſpirituale, o temporale ſuſſidio, o eſerciteranno qualſivoglia altra opera di pietà, o carità. *Benedetto XIV. li 2. Agoſto* 1749.

Nell' articolo della Morte.

Indulgenza plenaria a tutti i Confratelli, e Conſorelle, che confeſſati, e comunicati invocheranno nell' articolo della morte il Nome Ssmo di *Gesù* colla bocca potendo, o non potendo, almeno col cuore. *Paolo V. Conſtit. cit.*

§. II.

Tutti i Fedeli, che in varie circoſtanze in qualſiſia luogo onorano il Ss. Sacramento, potranno conſeguire le ſeguenti Indulgenze, concedute da diverſi Sommi Pontefici, i quali pure, come le precedenti, ſono ſtate reſe applicabili per modo di ſuffragio alle Anime de' Fedeli defunti da Benedetto XIV. cioè

Nella Feſta, ed ottava del Corpus Domini.

Urbano IV. nella ſua Coſtituzione: *Transiturus* data l' Anno 1262., con cui iſtituì la Feſta del *Corpus Domini*, conceſſe varie Indulgenze, ampliate poi da Martino V. li 26. Maggio 1429., e da Eugenio IV. li 26. Maggio 1443. confermate, ed accreſciute, e ſono.

Indulgenza di ducento giorni a tutti i Fedeli dell' uno, e dell' altro ſeſſo, che veramente pentiti, e confeſſati digiuneranno nel giorno avanti la Feſta del *Corpus Domini*, o in luogo del digiuno eſerciteranno altra opera pia ſecondo il conſiglio del Confeſſore.

Indulgenza di quattrocento giorni a qualunque Fedele Criſtiano pentito, e confeſſato, che aſſiſterà in Chieſa alli primi Veſpri, o al Mattutino, o alla Meſſa, o alli ſecondi Veſpri nella Feſta del *Corpus Domini*.

Indulgenza di centoſeſſanta giorni a chi nella ſteſſa Feſta interverrà alle altre Ore canoniche, cioè Prima, Terza, Seſta, Nona, e Compieta, e la potrà acquiſtare tante volte, quante ſaranno le Ore ſuddette, alle quali aſſiſterà.

Indulgenza di ducento giorni a tutti i Fedeli, i quali ne' giorni dell' ottava del *Corpus Domini* aſſiſtano al Mattutino, ogni qual volta ciò faranno. Lo ſteſſo ſarà di quelli, che fra la ſteſſa ottava aſſiſteranno alla Meſſa, o alli Veſpri.

Indulgenza di ottanta giorni a tutti quelli, che ne' giorni dell' ottava aſſiſteranno alle altre Ore canoniche, per ciaſcheduna di eſſe.

Indulgenza di ducento giorni a chiunque, ſe eſſendo Sacerdote celebrerà la S. Meſſa, o non eſſendo tale, divotamente ſi comunicherà, o accompagnerà la Proceſſione del Ss. Sacramento nella detta Feſta, o altro gior-

giorno dell' ottava, pregando per la pace, e tranquillità della S. Madre Chieſa.

Nell' accompagnare il SS. Sacramento, quando ſi porta agli Infermi, e la Proceſſione di ogni Meſe.

Indulgenza di ſette anni, ed altrettante quarantene a tutti i Fedeli dell' uno, e dell' altro ſeſſo ogni qual volta, ed in qualunque luogo accompagneranno con lume il Ss. Sacramento, quando ſi porta agli Infermi, pregando per la pace, e concordia de' Principi Criſtiani, eſtirpazione delle ereſie, ed eſaltazione della S. Madre Chieſa. *Ven. Innoc. XI. il dì primo Ottobre 1678.*

Indulgenza di cinque Anni, ed altrettante quarantene alli Parrochi, ed agli altri Fedeli tutti, che accompagneranno proceſſionalmente ſenza lume il Ss. Sacramento, quando ſi porta agli Infermi, o altrove. *Paolo V. Conſtit. pluries cit.*

Indulgenza di tre Anni, ed altrettante quarantene a tutti quelli, che non potendo per legittimo impedimento accompagnare perſonalmente il Ss. Sacramento, quando ſi porta agli Infermi, manderanno un lume per di lui corteggio. *Innoc. XII. li 5. Gennajo 1695.*

Indulgenza di cento giorni a tutti i Fedeli Criſtiani, che impediti non potranno accompagnare, come ſopra ſi è detto, il Ss. Sacramento, ſe reciteranno un *Pater noſter*, ed un *Ave Maria*, e pregheranno, come ſopra. *Paolo V. Conſtit. cit.*

Indulgenza ſimilmente di cento giorni a tutte le Donne, che per giuſto motivo non potendo accompagnare il detto Ss. Sacramento, diranno un *Pater noſter*, ed un *Ave Maria*, e pregheranno per l' Infermo. *Paolo V. Conſtit. cit.*

Finalmente Indulgenza di ducento giorni a tutti i Fedeli Criſtiani, che accompagneranno la Proceſſione del Ss. Sacramento ſolita farſi dalla di lui Confraternita nella terza Domenica di ogni Meſe, e nel Giovedì Santo, pregando come ſopra per la pace &c. *Paolo V. Conſtit. cit.*

AD

AD CAPUT V.

DE SACRIFICIO MISSÆ.

N. I.

ANTONIUS CANTONI

Dei , & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Metropolitanæ Eccleſiæ Ravennæ Archiepiſcopus Pontificio Solio aſſiſtens , & Princeps &c.

QUanta cura adhibenda ſit , ut Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium omni religionis cultu , ac veneratione celebretur, quivis facile exiſtimare poterit , qui cogitaverit , *maledictum* in Sacris Literis eum vocari , *qui facit opus Dei negligenter* . An non hanc ſibi comparant maledictionem Sacerdotes illi , qui feſtinanter celebrant ? Quomodo enim fieri poteſt , ut brevi ſpatio unius horæ quadrantis quis Miſſam conficiat , quin verba , benedictiones , genuflexiones mutilet , quin indecenter ſe moveat , & convertat ? Quomodo autem per hujuſmodi acceleratas Miſſas Populus ad devotionem , & ad altiſſimarum rerum , quæ in hoc Sacrificio latent , contemplationem excitabitur ?

Cum igitur non ſine magno animi Noſtri dolore audiverimus aliquos ex utroque Clero in hac Civitate , Noſtraque Diœceſi feſtinanter celebrare , Officio Noſtro deeſſe , neque debitam Tridentini præceptis obedientiam præſtare exiſtimaremus , niſi hujuſmodi malum eradicare , & ne ulterius ſerpat , obviare , quantum poſſumus , conaremur . In memoriam itaque revocamus omnibus Sacerdotibus Conſtitutionem Noſtram Synodalem Part. II. Cap. V. de Sacrificio Miſſæ , ubi ſtatuimus , ſuſpenſione a celebratione afficiendos eſſe eos , qui nimis feſtinanter celebraverint ; eos vero dicendos eſſe nimis feſtinanter celebrare , qui tertiam horæ partem ſacrificando non inſumpſerint . Sanè cum a Sacerdotibus , qui in hac Civitate , Noſtraque Diœceſi celebrant , requirimus , ut tertiam ſaltem horæ partem ſacrificando inſumant , id unum exigimus, quod Theologi etiam benigniores exigunt , ut celebrans a culpa vacet ; id exigimus , quod Benedictus XIII. pro Urbe , Benedictus XIV. pro Civitate Bononienſi ſtatutum voluerunt ; id exigimus , quod a pluribus aliis Epiſcopis ſub pœna ſuſpenſionis exigitur . Deo adjuvante , fore confidimus , ut pauci illi , qui emendatione indigent , hac Noſtra monitione excitati reſipiſcant : ſin autem , ſciant Nobis ratum , fixumque eſſe eos a celebratione ſuſpendere . Quocirca præcipimus omnibus Sacrariorum Præfectis , ut ſi quos Sacerdotes nimis breves in celebrando in eorum Eccleſiis noverint , poſtquam ſemel eos admonuerint , rem ad Nos deferant , neque ampli-

amplius in eorum Eccleſiis eos celebrare permittant; ſi deſides in hoc fuerint, ſciant pœna Scutatorum decem, Locis piis applicandorum, eſſe multandos.

Et quoniam etiam Regulares ex vi Decreti Sacri Concilii Tridentini ſubſunt correctioni, & punitioni Epiſcopi, ſi commiſerint prohibita, & indecentia in Eccleſiis etiam ſuorum Ordinum circa Miſſæ Sacrificium, ut etiam pluries a Sacra Congregatione Concilii declaratum eſt, Superiores Regularium hortamur, ut diligenter invigilent, ne eorum Subditi hac in re delinquant, ne hujuſmodi poteſtate Nobis competente ex Officii Noſtri debito uti cogamur.

Admonemus quoque omnes Sacerdotes, ut memoria repetant Canones, & Synodales Conſtitutiones, quibus cincinni, & comæ calamiſtratæ Clericis interdicuntur, & conſiderent, an parva ſit irreligionis nota eo capitis ornatu ad Altare accedere, quo neque in Plateis uti per Eccleſiaſticas leges licet.

Poſtremo jubemus hoc Noſtrum Edictum publice exponi, & in omnibus Sacrariis conſervari ſub pœnis arbitrio Noſtro imponendis. In quorum fidem &c.

Datum Ravennæ ex Noſtro Archiepiſcopali Palatio hac die 4. Menſis Julii Anni 1780.

A. Archiepiſcopus Ravennæ, & Princeps &c.

Vincentius Bartoletti Cancellarius Generalis Archiepiſcopalis.

N. II.

EDITTO

Sopra l' adempimento degli obblighi di Meſſe, ed altri Legati Pii.

ANTONIO DE' CONTI CODRONCHI

Per la grazia di Dio, e della S. Sede Apoſtolica Arciveſcovo di Ravenna, e Principe, Aſſiſtente al Soglio Pontificio &c.

QUanto ſia grande la premura di Chieſa Santa, perchè le Pie diſpoſizioni de' Fedeli reſtino puntualmente eſeguite, e le Anime Purganti ricevino ne' tempi preſiſſi i dovuti ſuffragj, chiaramente compreudeſi dalle replicate Leggi in varj tempi da eſſa emanate. Laſciando ancora da parte li Canoni del Concilio Vienneſe riferiti nelle Clementine, e rin-

rinnovati dal Sacro Concilio di Trento nella Seſſione 22. baſtano a convincerci le Coſtituzioni di Aleſſandro VII., e di Urbano VIII., confermate da Innocenzo XII., e da Clemente XI. Sommi Pontefici, nelle quali, oltre la pronta, e fedele eſecuzione degli obblighi di Meſſe, ſi preſcrive ancora minutamente il metodo da tenerſi, acciò ne appariſca la ſoddisſazione, ingiungendone con gravi parole a' Veſcovi, ed altri Superiori Eccleſiaſtici un eſatta oſſervanza.

Dovendo Noi pertanto ſecondo l'obbligo rigoroſo del Noſtro Paſtoral Miniſtero invigilare ſull' eſecuzione non tanto delli citati Canoni, che delle Coſtituzioni Apoſtoliche, inerendo alla Notificazione da Noi pubblicata li *16. Dicembre* 1785. in occaſione della Noſtra prima Sacra Paſtoral Viſita, non che alle Leggi Sinodali de' Noſtri Predeceſſori, e particolarmente degli Arciveſcovi Criſpi, e Guiccioli, ordiniamo, ed eſpreſſamente comandiamo ſotto le pene contenute in detti Canoni, e Coſtituzioni Apoſtoliche, e Sinodali, che da tutti i Superiori, Sopraintendenti, Deputati, Sagreſtani, Cappellani, e Sacerdoti, non che da qualunque altra Perſona, che con qualſivoglia titolo, o officio preſieda al governo, regolamento, ed amminiſtrazione di qualſiſia Chieſa, o Luogo Pio di queſta Città, o Dioceſi alla noſtra cura ſoggetto, ſi oſſervino riſpettivamente i ſeguenti ordini.

I. Si formi quanto prima da ciaſcun Superiore &c. delle Chieſe, o Luoghi Pii, che finora non l' aveſſero formato, un Libro nel quale ſiano deſcritti diſtintamente tutti gli obblighi delle Meſſe cantate, e piane, sì perpetui, come a tempo determinato, da che provengono, ſe per Teſtamento, o per donazione *inter vivos* &c., coll' indicazione de' fondi laſciati per dote di ciaſcun obbligo, e gli Altari, a cui ſi devono adempire. Il detto Libro dovrà eſibirſi al Segretario della noſtra Viſita, dal quale gli ſarà fatta l' *eſibita*, e gli ſarà reſtituito

II. Si tenga in ogni Sagreſtia in luogo viſibile la Tabella delle Meſſe, diſtinta dagli altri Legati Pii, con la eſpreſſione del nome del Beneſattore, ed indicazione del Teſtamento, o Iſtromento che ſiavi, cioè per gli atti di qual Notaro ſia ſtato rogato, in qual giorno, meſe, ed anno, ed inoltre coll' eſpreſſione del giorno, e dell' Altare, a cui dovranno celebrarſi le Meſſe: Qual Tabella dovrà eſſere riconoſciuta, e ſottoſcritta dal ſuddetto Segretario, nè da eſſa, ſotto pene a Noſtro arbitrio, potrà levarſi, o aggiugnerſi partita alcuna, ſenza eſſere riconoſciuta, e ſottoſcritta come ſopra, ed accreſcendoſi fra l' anno qualche Legato, dovrà eſibirſi tanto il Libro ſuddetto, quanto la Tabella, ad effetto di notarlo.

III. In ogni Sagreſtia ſi tengano almeno due Libri bislunghi cartolati, uno per gli obblighi perpetui, l' altro per le Meſſe avventizie. Nel primo ſi deſcrivino partitamente nella prima carta gli obblighi di Meſſe, per eſempio.

Per

Per l' Anima di N. N. una Meſſa quotidiana baſſa all' Altare di S. N. come in Tabella N. 1. . . . . *N. 363.*
Per l' Anima di N. N. Meſſe trenta fra l' Anno, come in Tabella N. 2. . . . . *N. 30.*
Per l' Anima di N. N. un Anniverſario di Meſſe dieci baſſe oltre la cantata col notturno nel giorno . . . . del Meſe . . . . come in Tabella N. 3. . . . . *N. 11.*
e così d' altri, che poteſſero eſſervi.

IV. Le Meſſe avventizie ſi deſcriveranno nell' altro Libro notando diſtintamente l' Altare, a cui devono celebrarſi, ſe ſiano *votive*, *o de Requiem*, con eſprimere il numero entro la partita in lettera, e notandolo in abbaco nel margine; per eſempio.

Meſſe due votive all' Altare della B. V. per N. N. . . . . . . *N. 2.*
Meſſe quattro *de Requiem* per N. N., o ad iſtanza *di N. N.* . . *N. 4.*
avvertendo di fare a queſto Libro il ſuo repertorio alfabetico de' Benefattori.

V. Acciocchè poi appariſca l' adempimento delle Meſſe, douranno i Sacerdoti celebranti notare ciaſcuna volta di proprio carattere col loro nome, e cognome la celebrazione ne' Libri ſuddetti in queſto modo = *Ego N. N. celebravi* = e ſe l' obbligo aveſſe l' Altare aſſegnato, e non foſſe eſpreſſo nell' inteſtatura dello ſteſſo Legato, vi aggiugneranno, *ad Altare S. N.* Le Meſſe ſegnate diverſamente, o non celebrate nel tempo, Chieſa, o Altare ſtabilito da' Teſtatori, o riſpetto alle avventizie da' Benefattori (qualora però queſti per una più ſollecita celebrazione non acconſentiſſero, che alcune ſi celebraſſero in altre Chieſe, o Altari) ſi auranno come ommeſſe, e ſi douranno di nuovo celebrare. Che ſe poi qualcuno notaſſe di aver celebrata la Meſſa, o ſi faceſſe notare, quando non l' aveſſe celebrata, e non foſſe per celebrarla in quel giorno, ed applicarla per quel Legato, o ſi ſegnaſſe duplicatamente nello ſteſſo giorno in uno, o più Libri, ovvero ſegnaſſe qualche altro di aver applicato per un obbligo particolare, quando nol ſappia, oltre le pene a Noſtro arbitrio, incorrerà *ipſo facto* per ciaſcuna volta nella pena della ſoſpenſione dalla Meſſa per tre giorni.

VI. Per ovviare al diſordine, che poteſſe ſuccedere in quelle Chieſe, nelle quali vi è maggior numero di Meſſe, potendoſi dare il caſo, che eſcano più Sacerdoti a celebrare nel medeſimo tempo, ed uno ritornando prima ſi ſottoſcrivi nella partita ſoddisfatta da un altro, ordiniamo che ciaſcun Sacerdote prima della Meſſa oſſervi la ſua partita, e ſcrivi il ſuo nome, e cognome, indi celebrato che abbia, vi aggiunga *celebravi*, *o celebravi ad Altare S. N.*

VII. Accadendo ancora alle volte, che il Sacerdote deſtinato alla ſoddisfazione di un obbligo particolare, ſia in qualche giorno accidentalmente impedito, onde non reſti celebrata la Meſſa, dovendoſi queſta rimette-

re

re in altro giorno, chi la celebra noterà: *Ego N. N. celebravi die...*

VIII. Per i Legati temporanei, o perpetui di Meſſe, che rimangano in arbitrio di poterle ſoddisfare in quella Chieſa, o Chieſe, che parerà, o piacerà agli Eredi, o altri, che abbiano per qualunque titolo l'obbligo di adempirli, ſiano tenuti detti Eredi, o altri tanto Eccleſiaſtici, quanto Laici in fine d'ogni Anno eſibire le giuſtificazioni del loro adempimento negli atti della Noſtra Sacra Viſita, ordinando, e dichiarando, che le giuſtificazioni da eſibirſi, come ſopra, debbano contenere la celebrazione delle Meſſe non con un ſemplice atteſtato, ma bensì notate a giorno per giorno dal Celebrante in un foglio, o Libro particolare, con la ſottoſcrizione ancora in fine, ſe ſi crederà neceſſaria, del Rettore, o Sagreſtano di quella Chieſa, o Chieſe nelle quali ſi ſaranno celebrate, altrimenti non ſaranno ammeſſe. E riſpetto agli obblighi, che per diſpoſizione de' Teſtatori, o Benefattori, o per ſpeciale indulto ſi faceſſero celebrare fuori di queſta Città, o Dioceſi, le dette giuſtificazioni dovranno eſſere legalizzate dagli Ordinarj de' Luoghi, e ſe i Sacerdoti ſaranno Regolari, da' Superiori della loro Religione.

IX. Riſpetto agli altri Legati Pii di Limoſine, Doti &c., ordiniamo, che queſti ſi deſcrivino parimenti in un Libro a parte colle riſpettive indicazioni de' Teſtatori, e fondi laſciati &c., e ſe ne tenga affiſſa la Tabella nella Sagreſtia, come ai §. 1., e 2. del preſente Editto: indi in altro Libro ſi noti l' adempimento colle opportune giuſtificazioni, ſotto pena a Noſtro arbitrio.

X. Finalmente inculcando a tutti, ed in particolare ai Sagreſtani, e Sopraintendenti delle Chieſe l' oſſervanza dell' Editto emanato li 4. Luglio 1780. da Monſig. Cantoni Noſtro Predeceſſore ſulla celebrazione della S. Meſſa, comandiamo, che in ciaſcuna Sagreſtia di quelle Chieſe, che ſono gravati d' obblighi di Meſſe, ſi tenga continuamente affiſſa in luogo viſibile una copia del preſente, ſotto pena di Scudi dieci da incorrerſi irremiſſibilmente in caſo di contravvenzione, ed affiſſo, e pubblicato che ſia ne' ſoliti Luoghi di queſta Città, e Dioceſi, vogliamo che obblighi tutti, come ſe a tutti, ed a ciaſcuno foſſe ſtato perſonalmente intimato. In fede &c.

Dato in Ravenna dal Noſtro Palazzo Arciveſcovile li 18. Ottobre 1789.

A. Arciveſcovo di Ravenna, e Principe &c.

Giambattiſta Paſcoli Segretario della Sacra Viſita.

AD

Digitized by Google

AD CAPUT VI.

DE SACRAMENTO PŒNITENTIÆ.

N. I.

Cenſuræ Illmo, & Rmo D. D. Archiepiſcopo reſervatæ in Synodo Diœceſana.

I. EXcommunicatio in Laicos, & ſuſpenſio in Clericos, qui integra Sanctorum corpora, aut inſignes eorum Reliquias diſtrahere, vel ab Eccleſiis, in quibus aſſervantur auferre auſi fuerint. *Part. I. Cap. VIII. N. XVIII.*

II. Suſpenſio in Sacerdotes, qui extra neceſſitatis caſum, puerum quempiam domi baptizaverint. *Part. II. Cap. II. N. IX.*

III. Suſpenſio in Parochos denuntiationes proſequentes, aut matrimonio aſſiſtentes poſtquam ipſis delatum fuerit impedimentum quodcunque ſive certum, ſive dubium. *Part. II. Cap. XIII. N. VIII.*

IV. Advertant inſuper Confeſſarii, ſuſpenſionem per dies XV. a celebratione Miſſæ, in quam incurrunt omittentes recitationem actuum Virtutum theologalium, ut *Part. I. Cap. II. N. IX.*, & per dies tres inflictam contra falſo adnotantes Miſſam celebraſſe &c., ut fuſius *Part. II. Cap. V. N. XXV.* non poſſe tolli ab ipſis media abſolutione ſacramentali intra eoſdem dies XV., vel dies tres reſpective; iis tamen elapſis, per ſe ceſſare.

AD CAPUT IX.

DE INDULGENTIIS.

N. I.

DECRETUM

Sac. Congregationis Indulgentiis, ſacriſque Reliquiis præpoſitæ ſuper Indulgentias Stationum.

QUamvis Sacra Congregatio Indulgentiis, & ſacris Reliquiis præpoſita, cui demandata eſt cura circa rectam, & prudentem Indulgentiarum ad-

adminiſtrationem, uſque ab anno 1676. interrogata, quæ eſſent Indulgentiæ Stationum, plenariæ ne, an partiales, dierum, vel annorum, decreverit, Indulgentias Stationales ſimpliciter enunciandas eſſe, non addendo, plenariæ illæ ſint, an partiales; attamen cum eidem S. Congregat. poſtmodum innotuerit, nonnullos etiam Eccleſiaſticos Viros, atque Eccleſiarum Rectores, allato Decreto minime acquieſcentes, diverſimode interpretatos fuiſſe, Indulgentias Stationales, quarum Elenchi typis editi mire inter ſe diſcrepantes in vulgus prodierunt; cumque inde relatum fuerit, plurima originem duxiſſe inter Fideles diſſidia, abuſus, & ſcandala; hinc, ut iſta penitus amoveantur, utque Chriſtifideles ſcite poſſint; quid ſibi Indulgentiarum in hujuſmodi Stationibus obeundis conceſſum ſit; Sacra eadem Congregatio habita in Palatio Quirinali die 7. Julii 1777. re, prævio diligenti, ac maturo examine, diſcuſſa fuit in Voto = *Conſulendum Sanctiſſimo, prævia revocatione aliarum Indulgentiarum, pro conceſſione Indulgentiæ Plenariæ in aliquibus Feſtis ſolemnibus: partialis vero in reliquis, ad normam earum, quæ conceduntur in Capellis Pontificiis*; videlicet =

In Quadrageſima.

In Feria IV. Cinerum, & Dominica IV. Indulgentia quindecim annorum, totidemque Quadragenarum.

Dominica Palmarum vigintiquinque Annorum, totidemque Quadragenarum.

Feria V. in Cœna Domini Plenaria.

Feria VI. in Paraſceve, & Sabbato Sancto triginta Annorum, totidemq. Quadragenarum.

In reliquis tam Dominicis, quam Feriis decem Annorum, totidemq. Quadragenarum.

In Paſchate Reſurrectionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

In Dominica Indulgentia Plenaria.

In duobus aliis diebus Feſtis immediate ſequentibus, & per totam Octavam uſque ad Dominicam in Albis incluſive, quotidie triginta Annorum, totidemque Quadragenarum.

Die Aſcenſionis.

Indulgentia Plenaria.

In Pentecoſte.

In Sabbato ante Dominicam decem Annorum, totidemque Quadragenarum.

In Dominica, & aliis infra Octavam diebus uſque ad Sabbatum incluſive, quotidie Indulgentia triginta Annorum, totidemque Quadragenarum.

In

In Dominicis Adventus.

In Dominica I. II., & IV. Indulgentia decem Annorum, totidemque Quadragenarum.
In Dominica III. Quindecim Annorum, totidemque Quadragenarum.

In Nativitate Domini Noſtri Jeſu Chriſti.

In Vigilia, nocte, ac Miſſa Auroræ Indulgentia quindecim Annorum, totidemque Quadragenarum.
In die Indulgentia Plenaria.
In ſubſequentibus tribus Feſtis Diebus, & in Circumciſione, ac Epiphania Domini, nec non in Dominicis Septuageſimæ, Sexageſimæ, & Quinquageſimæ Indulgentia triginta Annorum, totidemq. Quadragenarum.
In tribus Feriis Quatuor Temporum decem Annorum, totidemque Quadragenarum.
In Feſto S. Marci Evangeliſtæ, ac tribus Feriis Rogationum Indulgentia triginta Annorum, totidemque Quadragenarum.

Factaque de his omnibus per me infraſcriptum ejuſdem Sac. Congregat. Secretarium relatione Ssmo Dño Nrõ in Audientia 9. Julii 1777. Sanctitas Sua ipſius Sac. Congregat. Votum benigne approbavit, illudq. cum novo Indulgentiarum Stationalium præinſerto Elencho publicari mandavit; non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcunque.

Datum Romæ ex Secretaria Sac. Congreg. Indulgentiarum Die, & Anno præfatæ Audientiæ.

L. CARD. CALINUS PRÆFECTUS.

Julius Cæſar de Somalia S. C. Indulg. Secretarius.

L. ✠ S.

AD

Digitized by Google

AD CAPUT XIII.

DE SACRAMENTO MATRIMONII.

N. I.

Inſtructio Sacræ Congregationis Univerſalis Inquiſitionis Romæ juxta Decreta 21. Auguſti 1670. pro examine illorum Teſtium, qui inducuntur pro contrahendis Matrimoniis.

1. IN primis Teſtis moneatur de gravitate juramenti in hoc præſertim negotio pertimeſcendi, in quo divina ſimul, & humana majeſtas læditur, ob rei, de qua tractatur, importantiam, & gravitatem, & quod imminet pœna triremium, & fuſtigationis deponenti falſum.
2. Interrogetur de nomine, cognomine, patria, ætate, exercitio, & habitatione.
3. An ſit civis, vel exterus; & quatenus ſit exterus, quanto tempore eſt in loco, in quo teſtis ipſe deponit.
4. An ad examen acceſſerit ſponte, vel requiſitus: ſi dixerit acceſſiſſe ſponte a nemine requiſitum, dimittatur, quia præſumitur mendax: Si vero dixerit acceſſiſſe requiſitum, interrogetur a quo, vel a quibus, ubi, quando, quomodo, coram quibus, & quoties fuerit requiſitus, & an ſciat adeſſe aliquod impedimentum inter contrahere volentes.
5. Interrogetur, an ſibi pro hoc teſtimonio ferendo fuerit aliquid datum, promiſſum, remiſſum, vel oblatum a contrahere volentibus, vel ab alio ipſorum nomine.
6. Interrogetur, an cognoſcat ipſos contrahere volentes, & a quanto tempore, in quo loco, qua occaſione, & cujus qualitatis, vel conditionis exiſtant.

Si reſponderit negative, teſtis dimittatur: ſi vero affirmative:

7. Interrogetur, an contrahere volentes ſint cives, vel exteri; ſi reſponderit eſſe exteros, ſuperſedeatur in licentia contrahendi, donec per literas Ordinarii ipſorum contrahere volentium doceatur de eorum libero ſtatu; de eo tempore, quo permanſerunt in ſua Civitate, vel Diœceſi. Ad probandum vero eorundem contrahere volentium Statum liberum pro reliquo temporis ſpatio, ſcilicet uſque ad tempus, quo volunt contrahere, admittantur teſtes idonei, qui legitime, & concludenter deponant ſtatum liberum contrahere volentium, & reddant ſufficientem rationem de cauſa eorum ſcientiæ, abſque eo quod teneantur deferre atteſtationes Ordinariorum locorum, in quibus contrahere volentes moram traxerunt.

Si vero reſponderit, contrahere volentes eſſe cives:

8. Interrogetur ſub qua Parœcia hactenus contrahere volentes habitarunt, vel habitent de præſenti.

9.

9. Item, an ipſe Teſtis ſciat, aliquem ex prædictis contrahere volentibus quandoque habuiſſe uxorem, vel maritum, aut profeſſum fuiſſe in aliqua Religione approbata, vel ſuſcepiſſe aliquem ex Ordinibus ſacris, Subdiaconatum ſcilicet, Diaconatum, vel Presbyteratum, vel habere aliud impedimentum, ex quo non poſſit contrahere Matrimonium.

Si teſtis reſponderit, non habuiſſe uxorem, vel maritum, neque aliud impedimentum, ut ſupra:

10. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, & an ſit poſſibile, quod aliquis ex illis habuerit uxorem, vel maritum, aut aliud impedimentum &c., & quod ipſe teſtis neſciat.

Si reſponderit affirmative ſuperſedeatur, niſi ex aliis Teſtibus probetur concludenter non habuiſſe uxorem, vel maritum, neque ullum aliud impedimentum &c.

Si vero reſponderit negative:

11. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, ex qua deinde Judex colligere poterit, an Teſti ſit danda fides.

Si reſponderit, contrahere volentes habuiſſe uxorem, vel maritum, ſed eſſe mortuos:

12. Interrogetur de loco, & tempore, quo ſunt mortui, & quomodo ipſe Teſtis ſciat, fuiſſe conjuges, & nunc eſſe mortuos: Et ſi reſpondeat, mortuos fuiſſe in aliquo hoſpitali, vel vidiſſe ſepeliri in certa Eccleſia, vel occaſione militiæ ſepultos fuiſſe a militibus, non detur licentia contrahendi, niſi prius recepto teſtimonio authentico a Rectore hoſpitalis, in quo prædicti deceſſerunt, vel a Rectore Eccleſiæ, in qua humata fuerunt eorum cadavera, vel ſi fieri poteſt, a Duce illius cohortis, in qua deſcriptus erat miles. Si tamen hujuſmodi teſtimonia haberi non poſſint, Sacra Congregatio non intendit excludere alias probationes, quæ de jure communi poſſunt admitti, dummodo ſint legitimæ, & ſufficientes.

13. Interrogetur, an poſt mortem dicti conjugis defuncti, aliquis ex prædictis contrahere volentibus tranſierit ad ſecunda vota.

Si reſponderit negative:

14. Interrogetur, an eſſe poſſit, quod aliquis ex illis tranſierit ad ſecunda vota, abſque eo quod ipſe Teſtis ſciat.

Si reſponderit affirmative, ſuperſedeatur in licentia, donec producantur Teſtes, per quos negativa coarctetur concludenter.

Si vero negative:

15. Interrogetur de cauſa ſcientiæ, qua perpenſa, Judex poterit judicare, an ſit concedenda licentia, nec ne.

Si contrahentes ſint vagi, non procedatur ad licentiam contrahendi, niſi doceant per fides Ordinariorum ſuorum eſſe liberos; & in aliis ſervata forma Concilii Tridentini *in cap.* Multi, *Seſſ.* 24.

Fides, aliaque documenta, quæ producuntur de partibus, non admittantur,

